




43
4 F
12

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DUODECIMUS

AB ANNO JESU CHRISTI 542. USQUE AD AN. 592.



R O M Æ MDCCLXXXIV.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

ADPROBATIONES.

Legenti mihi duodecimum Historiæ Ecclesiasticæ Volumen, ab eruditissimo Rom. Oratorii Presbytero P. Saccarello elucubratum, nihil occurrit, quod orthodoxæ Fidei, bonisque moribus adversetur. Itaque in vulgus emitti posse censeo.

Romæ VII. Kal. Octobris 1784.

Joseph Canonicus Reggi
Vaticanæ Biblioth. Præfectus.

Legi duodecimum Ecclesiasticæ Historiæ Volumen a Cl. P. Gaspare Saccarello Congr. Orat. de Urbe Presbytero digestum, illudque immutabilibus Fidei, morumque Regulis consentiens inveni. Quare publica luce dignum censeo.

Joseph Theoli S. Theologiæ D.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Franciscus Antonius Marcucci ab Immac. Conceptione Patr. Constantinop. Episc. Montis-Alti, ac Vicesgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Palatii Apost. Magister.



HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 542. VIGILII PAPÆ 5.
JUSTINIANI IMP. 16. TOTILÆ REG. AN. 1.

1. Omi hujus duodecimi initio Totilas in scenam se prodiit; qui cum anno proximo Gothicum obtinuisset Regnum, hoc altero anno 542. adversus Romanos pugnans, Gothicum in Italia Regnum erigere conatus est. Nam, ut narrat Procopius: *Cesena, & Petra occupatis, aliquanto post in Tusciam se se contulit, ac tentatis regionis illius oppidis, cum ei permittere se nemo vellet, trajecto flumine Tiberi, Romæ finibus abstinuit, & in Campaniam, ac Samnium repente ingressus, Beneventum urbem validam nullo negotio in potestatem suam redegit, ejusque muros æquavit solo; ne advectæ Byzantio copiæ, factis e munito loco eruptionibus, Gothos infestarent. Deinde Neapolitanos ipsum, multa licet blandissime pollicentem, recusantes in urbem accipere, a Conone Romanorum, & Isaurorum mille præsidio defensum, obsidere constituit. Atque ipse quidem haud procul mœnibus castra metatus, cum majore parte exercitus mansit: missa vero altera ad Cumanum Castellum, & cæteras munitiones, iis potitus est, magnamque inde pecuniæ vim collegit.*

JESU CHR. AN. 542. Victoriæ Totilæ,

Proc. de bello Goth. l. 3. cap. 6. 7.

JESU CHR. AN. 542.

legit. Senatorum Conjuges ibi nactus, nulla affecit contumelia: immo eas humanissime dimisit liberas: quo facto magnam prudentiam & benignitatis famam apud Romanos omnes est consecutus. Cum autem nusquam hostes occurrerent, exigua agmina identidem circummittendo, res egit momenti maximi. Brutios, Lucanos, Apulos, Calabrosque in ditionem suam subjunxit: vectigalia exegit publica, & pecuniarios proventus a locorum Dominis in rem suam avertit, ceteraque constituit tamquam Italiæ Dominus.

S. Cassianus Episc. Narniensis Totilæ sphatarium curat.

2. Plurima autem notatu digna in hisce Totilæ expeditionibus accidisse narrat Sanctus Gregorius coævus, ac pene ocularis testis. Imprimis: *Cum præfatus Rex Totilas Narniam venisset, ei vir vitæ venerabilis Cassius ejusdem urbis Episcopus occurrit. Cui quia ex consperſione semper facies rubere consueverat; hoc Rex Totilas non conspersionis esse credidit, sed assiduæ potationis, eumque omnimodo despexit. Sed Omnipotens Deus, ut quantus vir esset, qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quo Rex advenerat, malignus spiritus coram omni exercitu ejus spatharium invasit, eumque vexare crudeliter cœpit. Qui cum ante Regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus: hunc ab eo vir Domini, oratione facta, signo Crucis expulit; qui in eum ingredi ulterius non præsumpsit. Sicque factum est, ut Rex barbarus servum Dei ab illo jam die veneraretur ex corde, quem despectum valde judicavit ex facie.* Cum autem Narnia decedens Totilas, Utriculanæ civitati appropinquaret, *Fulgentius Episcopus, qui Utriculensi Ecclesiæ præerat, Regem crudelissimum Totilam infensum omnimodo habebat. Cumque ad easdem partes cum exercitu pervenisset, curæ fuit Episcopo per Clericos suos xenia ei transmittere, ejusque furoris insaniam, si posset, muneribus mitigare. Quæ ille, ut vidit, protinus sprevit, atque iratus suis hominibus jussit, ut eumdem Episcopum sub omni asperitate constringerent, eumque ejus examini servarent. Quem dum feroces Gothi, ministri scilicet crudelitatis illius tenuissent, circumdantes, eum uno in loco stare præceperunt, eique in terra circulum designaverunt, extra quem pedem tendere nullo modo auderet. Cumque vir Dei in Sole nimio æstuaret, ab iisdem Gothis circumdatus, & designatione circuli inclusus, repente coruscationes, & tonitrua, & tanta vis pluviæ erupit, ut hi qui custodien-*

Greg. dial. l. 3. cap. 6.

diendum eum acceperant, immensitatem pluviæ ferre non possent. Et dum magna nimis inundatio fieret, intra eamdem designationem circuli, in qua vir Domini Fulgentius stetit, ne una quidem pluviæ gutta descendit. Quod dum Regi crudelissimo nunciatum esset, illa mens efferа ad magnam ejus reverentiam versa est, cujus pœnam prius insatiabili furore sitiebat &c. JESU CHR. AN. 542.

3. His hæc alia addit. *Fuit quidam in Campaniæ partibus intra quadragesimum Romanæ Urbis milliarium, nomine Benedictus, equidem ætate juvenis, sed moribus grandævus, & in sanctæ conversationis regula se fortiter stringens. Quem Totilæ Regis tempore cum Gothi reperissent, hunc incendere cum sua cella molliti sunt. Ignem namque posuerunt, sed in circuitu arserunt omnia, cella vero illius igne comburi non potuit. Quod videntes Gothi, magisque sævientes, atque hunc ex suo babitaculo trahentes, non longe aspexerunt succensum clibanum, qui coquendis panibus parabatur, eumque in illo projecerunt, clibanumque clauserunt. Sed die altero ita illæsus inventus est, ut non solum ejus caro ab ignibus, sed neque extrema ullo modo vestimenta cremarentur.* Quæ vero, cum ulterius Totilas progressus est ad Cassinum montem, sexagesimo ab Urbe lapide, inter S. Benedictum seniorem, & Totilam transacta sint, his verbis narrat: *Gothorum temporibus, cum Rex eorum Totilas sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad ejus monasterium pergens, paulo longius substitit, eique se venturum esse nunciavit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset, ut veniret: ipse sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet explorare conatus est. Quidam vero ejus Spatharius Riggo dicebatur, cui calciamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit: quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit, in cujus obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueverant, Comites misit, scilicet Vulterinum, Rudericum, & Blindinum, ut ante Servi Dei oculos ipsum Regem Totilam esse simulantes, ejus lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatharii præberent; ut tam ex eisdem obsequiis, quam ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus, obsequentium frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cum*

S. Benedicti junioris insigne miraculum.

Gregor. Dialog. lib. 2. 14.

Res gestæ inter S. Benedictum & Totilam.

jam ab eo audiri potuisset, clamavit, dicens: Pone fili, pone; hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit; & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expavit; omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum propinquare minime præsumpserunt, sed ad suum Regem reversi nunciaverunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi. Tunc Totilas ad Dei hominem accessit: quem cum longe sedentem vidisset, se se in terram dedit. Cui cum vir Dei bis, terve diceret, surge, nec tamen de terra erigere se auderet: Benedictus eum levavit, & de suis actibus increpavit, atque in paucis sermonibus, cuncta quæ illi erant ventura prænunciavit, dicens: *Multa mala facis, multa mala fecisti; jam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petita, recessit; atque ex illo jam tempore minus crudelis fuit, & non multo post Romam adiit, ad Siciliam perrexit, anno autem Regni sui decimo omnipotentis Dei judicio regnum cum vita perdidit.* His Gregorius addit Gallam quemdam Totilæ Ducem Arianum, ex ferocissimo mitem oratione sua reddidisse Benedictum.

In Basnagem animadversio.

4. His quidem se fidem præbere non posse ait Basnagius, & quidem duplici ratione ductus, primo quod cum Totilas Arianæ sectæ cultor esset, S. Benedicto adorationem ejusmodi (scilicet tantæ reverentiæ signa) exhibere non potuit; alterum, quod Benedicti oraculum de Totilæ Regno veteres chronologi falsi postulant. At hæc levia adeo sunt, ut sophismata magis dixeris vel deliramenta, quam difficultates; quis enim ignorat, ab hæreticis etiam honoris, ac reverentiæ signa viris sanctitate, ac miraculorum gloria præclaris exhibita sæpe fuisse? Et ne vetusta petamus, meminisse juvat quæ de Gondebado Burgundionum Rege Ariano dicta sunt, eum scilicet benevolentiæ, ac reverentiæ signa S. Avito Viennensi Episcopo exhibuisse, atque his similia historiam ecclesiasticam percurrenti passim occurrunt: quid ergo mirum si Totilas S. Benedicti sanctitate, ac miraculorum præstantia motus, ipsum adoravit, quod idem est, ac honorifice excepit, atque ad terram usque prostratus salutavit? Alterum quod opponit Basnagius, dum falsi prophetiam Benedicti postulat,

qui

qui ad Totilam dixit *novem annis regnans , decimo morieris* , tam falsum est , ut veteres chronologi eam subvertant , quam certum ab ipsis confirmari . Cum enim Totilas obierit anno 552. ut ibidem dicemus , is quidem decimus ab hinc annus erat , nec unquam probabit , ea prophetia omnes annos Regni Totilæ designasse Benedictum , sed tantum qui supererant ; ideoque etsi certum sit , eum anno Regni sui duodecimo obiisse , a labenti tamen novem tantum regnavit , & decimo obiit , prout Benedictus prædixerat . *Novem annis regnans , decimo morieris* , subintellige decimo ab hinc , qui loquendi modus , nec novus , nec infrequens est , esset ergo Basnagius his fidem detrahere , fateaturque potius mirabilem Deum in Sanctis suis esse .

JESU CHR. AN. 542. S. Benedicti prophetia de Totilæ Regno.

5. Non sola Italia , sed Hispania etiam hoc anno armorum strepitu concussa est , ut narrat auctor appendicis ad Marii chronicon ad annum 2. consulatus Basilii , qui cum labenti concurrit . *Hoc anno Francorum Reges numero quinque* (idest Childebertus, & Clotharius cum tribus filiis) *per Pampelonam Hispanias ingressi , Cæsar Augustam venerunt , quam obsessam per tres dies omnem seu Terraconensem provinciam depopulatione triverunt* . Idem habet Isidorus in chronico. Eo , inquit , *regnante* (nempe Theode) *dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Spanias convenissent , & Terraconensem Provinciam valde popularent , Gothi duce Theodischo objicibus Hispaniæ interclusis Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ prostraverunt* . De ea expeditione Gregorius Turonensis addit: *Post hæc Childebertus Rex in Hispaniam abiit ; quam ingressus cum Clothario , Cæsar Augustanam civitatem cum exercitu vallant , atque obsident . At illi in tanta humilitate ad Deum conversi sunt , ut induti ciliciis , abstinentes a cibis , & poculis , cum tunica B. Vincentii martyris muro civitatis psallentes circumirent : mulieres quoque amictæ nigris paliis , dissoluta cæsarie , superposito cinere , ut eas putares virorum funeribus deservire , plangendo sequebantur . Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam retulit , ut diceretur ibi Ninivitarum jejunium celebrari , nec existimaretur aliud posse fieri , nisi eorum precibus divina misericordia inflecteretur . Hi autem qui obsidebant , nescientes , quid obsessi agerent , cum viderent sic murum circumiri , putabant eos aliquid agere maleficii . Tunc apprehensum*

Franci Hispanias invadunt.

Vict. chron. Isid. in chron.

Greg. Tur. lib. 3. hist. Franc. c. 29.

Jesu Chr. an. 542.

sum virum de Civitate rusticum, ipsum interrogant, quid hoc esset, quod agerent. Qui ait: Tunicam B. Vincentii deportant; & cum ipsa, ut eis Dominus misereatur, exorant. Quod illi timentes, se ab ea Civitate removerunt: tantum acquisita maxima Hispaniæ parte, cum magnis spoliis in Gallias redierunt. Hæc Gregorius. Cumque Galli milites usque ad Minium amnem pervenissent, in ea regione victi sunt, ut legitur in Mossacensi chronologia, sive serie Gothorum Regum, qui in Gallia Gothica, ac in Hispaniis, usque ad Caroli Martelli tempora regnarunt. Hujus Gothicæ victoriæ meminit etiam Isidorus citatus, qui tamen nullam captæ Hispaniarum partis a Francis mentionem facit, sicuti nec Turonensis, nec auctor de gestis Francorum. Francos tamen Vasconium, & Cantabriam sub jugum misisse asserunt Marca, Hadrianus Valesius, & Cointius.

Marcha hist. Benarniæ lib. 1. cap. 19. Had. Val. rerum Franc. lib. 8. Coint. annal. Franc. hoc anno.

S. Cæsarii obitus.

6. Hoc eodem anno S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, cum *septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis*, ut in ejus vita legitur, *e quibus quadragesimum in Pontificatu verteret circulus gyrum, ac tertia die post S. Genesii festum, VI. Kal. Septemb. ante diem depositionis S. Augustini*, (cujus sanctitatem, ac doctrinam impensissime coluit) *& post diem dedicationis monasterii sui*, ad Cælestem patriam transiit. Anno 502., ut ibidem diximus, Episcopus ordinatus fuerat, ideoque hoc anno, quadragesimo Episcopatus sui obiit. Successorem Auxanium habuit, ad quem extat Vigilii epistola anno sequenti data, de qua ibidem fiet sermo.

Lues per Orientem grassatur.

7. Anno proximo, vel labente dirissima lues Orientalem orbem invasit, quæ longo tempore per singulas provincias vagata, eousque fœviit, ut genus humanum abolere minaretur, ait Procopius: *Ab Ægyptiis orta est Pelusii incolis, unde Bifariam dedita, hac Alexandriam, & reliquam Ægyptum pervasit; illac in Palæstinam Ægypto conterminam diffusa, inde totum Orbem occupavit, semper progrediens cursu certis temporis spatiis definito. Etenim certa lege procedere, statumque dierum intervallum unaquaque regione exigere videbatur, in neminem virus obiter exerens, & hinc inde ad extremas Orbis oras dimanans, quasi vereretur, ne quem terrarum angulum, ac recessum præteriret imprudens. Nam neque insula ulla, nec spelunca, nec montis vertice, ubi sedem homines haberent, abstinuit. Si quem locum transiluit, vel mini-*

Procop. de bello Pers. lib. 2. c. 32. Evagr. lib. 4. cap. 29.

minime, vel leviter tactis incolis, eo postmodum regressa, vicinis, in quos antea desævierat, intactis, inde non prius discessit, quam justum numerum explevit funerum, pro portione ac modo cladis, quam accolis tempore superiori intulerat. Semper autem incipiens ab ora maritima, in mediterraneas plagas serpebat. Altero demum anno, adulto vere, Byzantium pervenit: ubi forte eodem ego, quo illa, tempore versatus sum. Deinde plurima subdit de variis mirisque modis, quibus eo morbo vexati affligebantur; alii etenim Dæmonum spectris terrebantur, alii in somnis, alii febribus, multi bubonibus tumescebant, aut amentia delirabant, ita ut non solum infirmi, sed qui iis inserviebant dirissima paterentur. *Nam ægros excidentes stratis, seque humi volutantes reponebant, atque e tectis præcipites dare se volentes repellebant, tenebantque retractos vi. Nacti aquam, ardebant se in eam immittere, non potus desiderio, (siquidem multi mare petebant) sed animi morbo impulsi. Nec minor circa cibum luctatio, quem haud facile admittebant. Non pauci quibus nemo ministrabat, aut fame, aut ultroneo casu ex edito perierunt. Quoscumque nec veternus nec insania occupaverat, extabescebat his babo, & majores viribus cruciatus vitam adimebant.* Capite vero sequenti, de strage tunc temporis CPoli, ubi tunc Procopius morabatur, hæc adnotat: *Menses quatuor exegit pestis Bizantii, per tres admodum viguit. Initio quidem paulo plures solito moriebantur: deinde vero crudescente calamitate, morientium diebus singulis numerus ad quina millia excrevit, post etiam ad decem millia, immo & supra.* Cum vero in tanta hominum mortalitate insepulti utplurimum remanerent, Imperator Justinianus, datis e palatio militibus, & pecunia, Theodoro Referendario jussit, ut sepulturæ corpora traderentur, & afflictæ urbi quoquo modo subveniret. Hisque similia Evagrius enarrat, qui suorum plurimos ea pestilentia sublatos fuisse commemorat.

De vario morbi genere.

Pestis Bizantium invadit.

8. Quod vero tribus tantum mensibus Constantinopoli ea pestis grassata sit, miraculo adscribi potest, & Beatæ Virginis patrocinio, in cujus beneficii memoriam solemne festum Hypapante, seu Virginis cum Simeone occursus hoc anno CPoli institutum est, ut narrat Theophanes anno Incarnationis secundum Alex. 534., qui superiori respondit: *Hoc anno mense Octobri indictione quinta mortalitas horrenda Bizantium*

De institutione festi Hipapantes sive Purificationis B. M. Virginis.

tium

JESU CHR. AN. 542. *Miscell.l.16.*

tium incubuit. Eodem quoque anno Hypapante, sive occursus Domini mensis Februarii die secunda celebrari cœpit. Eadem labenti anno narrat Miscellæ auctor. *Anno 15. Justiniani mense Octobri facta est mortalitas Bizantii, & eodem anno Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Bizantium secunda die Februarii*, quod festum ubique celebrandum esse Justinianus jussit. Ex Oriente vero in Occidentem deinde transiit. Unde in capitularibus Lodovici Pii anno 817. editis recensetur: *In Purificatione, & Assumptione Sanctæ Mariæ, plenarium officium agatur*, cujus etiam festi mentio apud Idelfonsum Toletanum Episcopum occurrit. Sanctus Eligius Novionensis Episcopus ejusdem seculi septimi scriptor hujus festi meminit. Nec spernenda est Baronii conjectura, dum scribit, hoc Purificationis Beatæ Mariæ Virginis festum Lupercalium loco successisse; de quibus plura apud Tomassinum de festis videri possunt.

Niceph. lib. 17. cap. 28.

Capitul. 46. pag. 585. apud Baluz.

Tertia Chosrois expeditio in Romanos.

Procop. de bello Persi lib. 2. c. 20. seq.

9. Eodem anno, quo lues Bizantii grassata est, Chosroes arma infesta Romanis intulit, ut narrat Procopius: *Vere postea ineunte, Chosroes tertiam in Romanorum regionem irruptionem maximo fecit exercitu Euphratem dextrorsus habens. Ubi Medorum copias adesse proxime audivit Candidus Sergiopolitanus Antistes, sibi civitatique metuens quod Chosroi promissa ad diem non præstitisset, hostium castra ingressus, eum obsecravit, ne sibi ob hanc causam iratus esset: nunquam se habuisse pecuniam; propterea recusasse ipso initio Surenos redimere: nec precibus, quamvis enixe repetitis, tantillum profecisse apud Justinianum Aug.. Nihilominus Chosroes ipsum habuit in custodia, & in ejus corpus cruciatu acerbissimo sæviens, majorem duplo, quam pacto convenerat, summam exigere voluit. At ille petiit supplex, ut Sergiopolim mitterentur, qui quidquid esset suppellectilis pretiosæ in Templo urbis acciperent. Id cum fieri jussisset Chosroes, una quosdam e suo comitatu Candidus misit. Acceptis in urbem, quos Rex destinaverat, multa e sacro thesauro Sergiopolitani dedere, aliud sibi nihil reliquum factum asseverantes. Verum Chosroes multo plura deberi sibi contendens negavit se illis contentum esse. Quare misit suorum manum, specie quidem ut civitatis opes perscrutarentur: re autem eo consilio, ut ipsam occuparent. Quoniam vero in potestatem Persarum ventura Sergiopolis minime erat,* Saracenus quidam *Christianus & Alamundari Imperio*

Jesu Chr. an. 542.

perio subditus, cui nomen Ambro, noctu ad urbis muros accessit, fraudeque indicata, hortatus est cives, ut Persas nequaquam reciperent, itaque inanes ad Chosroem redierunt illi, quos ipse miserat. Hac repulsa graviter offensus, expugnandæ Urbis consilium cepit; eo mox exercitum senis millibus constantem proficisci, obsidium facere, & in muros dare impressionem jussit. Quo illi cum pervenissent, manum operi admoverunt. Ac fortiter quidem initio resistebant Sergiopolitani; post tamen collapsi animis, & Martis aleam reformidantes; deditionem meditabantur: neque enim plus ducentos milites habebant. Sed Ambrus iterum de nocte progressus ad mœnia, compulsos aquæ penuria Persas obsidionem intra biduum soluturos significavit. Quapropter oppidani in colloquium cum hostibus non venerunt. Barbari autem castra moverunt, exusti siti, seque retulerunt ad Chosroem: qui Candidum deinceps nunquam dimisit. Hæc nempe, credo, pœna illum manebat, ut ob spretum jusjurandum Præsulatu excideret in perpetuum. Hæc ita se habuere. Hucusque Procopius. De rebus autem sacris ad ipsum Chosroem asportatis e templo, hæc addit Evagrius. *Quippe Chosroes ad hanc quoque urbem accessit, expugnare eam cupiens. Cum igitur incusso ariete muros quatere jam cœpisset, oppidani cum eo colloquium inierunt, servandæ urbis causa. Tandemque inter eos convenit, ut Sacra Ecclesiæ vasa pro redemptione urbis darentur: in quibus erat Crux, quam Justinianus ac Theodora eo miserant. His ad Chosroem perlatis, sciscitatur Chosroes ex Sacerdote, & ex Persis, qui una cum illo ad eam rem missi fuerant, nihilne amplius superesset. Tum quidam ex iis, qui mentiri consueverant, respondit, alios præterea thesauros esse, ab oppidanis, qui pauci admodum erant, occultatos. Porro ex sacris thesauris qui comportabantur, aureum quidem vel argenteum vas nullum relictum fuerat, sed alterius præstantioris materiæ, ac Deo prorsus dicatæ: sanctissimæ scilicet reliquiæ invicti Martyris Sergii, in oblonga quadam arca argento cooperta reconditæ. His inductus Chosroes, cum universum exercitum urbi admovisset, repente per omnem ambitum murorum innumerabilis visa est militum multitudo, cum clypeis urbem defendentium. Quo conspecto, hi qui a Chosroe missi fuerant, reversi sunt, & numerum & armaturæ genus non sine admiratione referentes. Chosroes vero, postquam iterum sciscitatus paucos*

Chosroes Sergiopolim frustra tentat.

Evagr. lib. 4. cap. 28.

S. Sergii opera Sergiop. liberantur.

JESU CHR. AN. 543. *admodum in urbe remansisse didicit, eosque aut senes, aut parvulos, robustis videlicet omnibus e medio sublatis: hujus miraculi auctorem esse Martyrem intellexit. Atque ob id metu perculsus, admiratusque Christianorum fidem, in Regnum suum reversus est. Ajunt etiam illum sub exitum vitæ sacro regenerationis lavacro initiatum fuisse*. Hæc Evagrius, sui temporis res gestas scribens, eaque addens, quæ a Procopio præterita fuerant; his vero subdit ipse Procopius: *In animo quoque Chosroes habuit, recte in Palæstinam tendere, ut tum alia, tum Hierosolymitani templi sacram & pretiosam suppellectilem prædaretur*, nisi eum Belisarii adventus deterruisset; unde re infecta in Persidem rediit, ut idem auctor narrat.

JESU CHRISTI AN. 543. VIGILII PAPÆ 6. JUSTINIANI IMP. 17. TOTILÆ REGIS 2.

Totilas Neapoli potitur, ejus clementia.

1. Quingentesimus quadragesimus tertius Christi annus post Coss. Basilii secundo inscribitur, idemque belli Gothici nonus, quo Totilas Neapoli diu obsessa, tandem potitus est; urgente etenim fame victori se sponte Neapolitani dederunt, cum frustra auxiliares copias, & annonam, ab Imperatore destinatam diu expectassent. Totilas vero tanta clementia cum iis egit, ut vix ab amicis majori benevolentia excipi potuissent. Inter cetera, cum dira fame hactenus vexati fuissent, veritus Totilas, ne ex nimio post inediam cibo ingurgitati perirent, dispositis ad portas custodiis, neminem abire permisit, cunctis interea cibum parcius distribuens, donec viribus confirmatis securi essent, quibus deinde abeundi facultatem fecit. Eadem usus est benignitate cum Conone Romanorum militum Duce, qui cum ob maris tempestatem excedere nequaquam potuissent, securos esse jussit, iisque equos, & annonam, ut terrestri itinere Romam pergerent, dedit. Neapolitanos vero ita excepit, ut Gothos ab inferenda cuiquam injuria, vel damno prohibuerit; ita ut Gothum capite multaverit, ob stuprum virgini illatum, ut pluribus narrat Procopius.

Vigilii epist. ad Auxanium

2. In Cæsarii demortui locum Auxanius anno proximo Arelatensis Episcopus ordinatus fuerat, qui legatos suos ad Vigilium misit hoc anno, ut de sua ordinatione certiorem facerent, & pallium, quo Cæsarius ornatus fuerat, pro se ipso pete-

peterent, cui XV. Kal. Novemb. Vigilius rescribens admonuit, ut Cæsarii virtutes emularetur; Pallium vero se missurum spondet, postquam Imperatoris consensum obtinuisset; unde post plurima: *De his vero, quæ caritas vestra tam de usu pallii, quam de aliis sibi a nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filii nostri Imperatoris, hoc sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitia, Deo auctore, ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse, cum competenti reverentia judicemur. Deus te incolumen custodiat, frater carissime: Data decimo quinto Kalendas Novembris*: Postcs Basilii V. C. iterum.

JESU CHR. AN. 545.

3. Cur autem Vigilius Imperatoris consensum exquisierit, ut pallii usum Auxanio concederet, eumque Apostolicæ Sedis Vicarium declararet, non una eruditorum opinio est; alii enim Imperatoris consensum necessarium fuisse dicunt, eo quod Romani Pontifices cæterique Patriarchæ, velut singulare Imperatorum ornamentum, ab ipsis Imperatoribus pallii usum acceperant, ideoque non nisi eorumdem consensu ad alios transferre poterant: alii contra hujus consensus necessitatem inde petunt, quod cum Imperatores ecclesiæ Patroni, ac canonum custodes ac vindices essent, eorum curæ erat, ne aliquid in ecclesiastica disciplina innovaretur, & ut cuique ecclesiæ suæ jura servarentur, cumque aliqua tenus ea concessione Gallicanæ ecclesiæ jura immutarentur, dum is Episcopus, ita super ceteros extollebatur, ut quamvis ordinatione postremus esset, privilegio fieret omnium primus, utpote vicarii Apostolici dignitate auctus, hinc Vigilius, aliique Pontifices in pallii usu concedendo Imperatoris consensum exquisierunt. Hæc quidem verosimilia magis sunt quam vera. Quid enim obscurius in ecclesiastica historia occurrit, quam Pallii origo, usus, prærogativa, ut Ruinartii dissertationem legenti patebit, nam etsi verum sit, Imperatoris consensum in pallii concessione petitum, eo quod Imperatores, Romanos Pontifices, ceterosque Patriarchas eo exornaverint, vel juxta Ruinartii opinionem, eo quod ipsi ecclesiasticæ disciplinæ vindices, & catholicæ ecclesiæ Patroni essent, cur inquam hujus consensus usque ad hæc tempora nulla memoria extat? Concesserant Pallii usum ante Vigi-

Cur in concessione pallii Imperatoris consensus exquiratur.

Ruinart. dissert. de Pallio inter opera posth. Mabill. tom. 2.

Jesu Chr. An. 543.

Vigilium quamplurimi Pontifices, Romanæ Sedis Vicarios destinaverant, Damasus, Siricius, Innocentius, Leo, Anastasius, nuspiam tamen Imperatorum consensum exquisierant; quæ ergo causa fuerit, cur Vigilius nonnisi ex Imperatoris consensu pallium Auxanio mittere voluerit, eumque Apostolicæ Sedis legatum dixerit, nos id ignorare penitus fatemur; si quis tamen conjecturis, in re obscura, locus sit, impotenti Justiniani libidini, in rebus ecclesiæ se immiscendi, adscribi hæc possunt, cum nihil, quod ad ecclesiæ disciplinam pertinet, intactum reliquerit, sed de his hactenus. De quibus plura apud Ruinartium in supracitata dissertatione de origine, usu, & auctoritate pallii videri possunt.

De itinere S. Mauri in Galliam.

4. Hoc anno S. Maurum a S. Benedicto in Gallias missum fuisse, annales Benedictiui tradunt, per quem Benedictina regula ibidem translata, brevi tempore, per omnes Galliæ provincias propagata fuit. Hunc S. Mauri in Gallias transitum nonnulli in dubium vocarunt; sed antiquissimam traditionem, ante nonum sæculum in Galliis vulgatam, invictis argumentis tuentur eruditissimi viri, Ruinartius, & Mabillonius. Verum quidem est in hujus Sancti vita, a Fausto S. Mauri socio primum scripta (quam anno 863. Odo Glannaforiensis Abbas, cum fortuito apud quemdam Clericum invenisset, pubblicavit, ut ipse testatur in epistola dedicatoria ad Adelmodum Cenomanicæ ecclesiæ Archidiaconum) quamplurima contineri, quæ fidem vix, ac ne vix quidem obtinent. Nihilominus cum aliis argumentis S. Mauri in Gallias iter Mabillonius, aliique & eruditi viri comprobent; cui etiam antiquissima totius Gallicanæ ecclesiæ traditio suffragetur, consensum nostrum negare vix possumus. Igitur Cassino egressus S. Maurus cum quatuor sociis in Galliam pertransiens, quamplurima ibidem monasteria ædificavit, ab eoque ut diximus Benedictinum institutum propagatum est, de quibus plura in Gallia Christiana per Maurinos Monachos edita, vel apud Mabillonium in actis, & in historia sui ordinis videri possunt.

Viaticum sub utraque specie S. Benedictus sumit moriens.

5. Interea cum Benedictus Monachorum parens ultimum sibi diem instare cognovisset, sexto ante obitum die, sepulchrum aperiri jussit, & ardentissima febre correptus, sexto die in Oratorium monasterii deferri voluit, ubi exitum suum *Dominici corporis, & sanguinis perceptione munivit*, ac

ac erectis in Cœlum manibus, orationibus intentus, spiritum reddidit, cujus gloriosum ad Cœlum transitum, voce etiam de Cœlo facta: *Hæc est via, qua dilectus Domino Cœlum Benedictus ascendit*, discipulis ejus, & Romano præcipue Deus notum fecit, ut narrat S. Gregorius. Sepultus autem est in oratorio Beati Joannis Baptistæ, quod ipse destructo Apollinis Fano construxerat, ac successorem in monasterii regimine sortitus est Constantinum, reverendissimum virum a S. Gregorio dictum. Quo anno Sanctus Benedictus obierit, variæ sunt eruditorum opiniones, ac deficientibus testibus, in obscuro est: unde cum Mabillonio hoc anno, aut sequenti cum Pagio eum obiisse adnotamus.

JESU CHR. AN. 543.

S. Greg. Dialog. l. 2. c. 37.

6. Sancto viro sororem ejus Scholasticam addimus, quæ eodem anno ante fratrem suum obiit, de cujus transitu agens S. Gregorius narrat, quod ex Asceterio ubi degebat, Fratrem semel quotannis, ad quamdam monasterii villam, a Cassinensi monasterio mille quingentis circiter passibus distantem, conveniebat, ibique de Deo, rebusque cœlestibus cum eo colloquebatur. Cumque Scholastica unius diei colloquio exsatiari non potuisset, in noctem etiam, immo in sequentem lucem protrahi colloquium hac ultima vice cupiebat. Sed cum Fratrem in suam flectere voluntatem non posset, quippe qui extra monasterii septa pernoctare recusabat, ipsa capite super mensam inclinato Deum ardentissima cum lacrymis prece sollicitavit, ut id fieret: prece vix expleta, Cœlum antea serenum continuo mutatum est, ac tanta vis aquæ cum tonitruibus, & fulguribus emisit, ut inde Benedictus egredi non posset, Benedictus: *parcat tibi*, inquit, *omnipotens Deus, o soror! quid istuc fecisti?* Illa vero: *rogatus preces meas rejecisti*, non ita vero Dominus meus. *Jam vero me dimissa, abi hinc si poteris.* Sic remansit in loco invitus, atque ambo in sacris colloquiis noctem duxerunt insomnes. Cumque die altera venerabilis fœmina ad propriam cellam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. *Cum ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem Sororis suæ animam de ejus corpore egressam, in columbæ specie Cœli secreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denunciavit. Eosque protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, utque in sepulchro, quod sibi*

S. Scholasticæ obitus.

S. Greg. Dialog. lib. 2. cap. 33.

JESU CHR. AN. 543. *sibi ipse paraverat, ponerent, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum corpora quoque nec sepultura separaret.* Hæc S. Gregorius, qui alibi etiam narrat S. Benedictum vidisse animam Germani Capuani Episcopi in sphera ignea ab Angelis in Cœlum ferri, cumque statim Theoprobo mandasset, ut ad Capuanam Urbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo esset indicaret, eum mortuum eadem nocte fuisse retulit.

S. Benedicti prædictio de ruina monasterii Cassini.

7. De Theoprobo S. Benedicti discipulo narrat idem Gregorius, quod cum eo familiariter uteretur, quadam die ejus cellam ingressus, Benedictum amarissime flentem invenit, ac quænam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei, respondit: *Omne hoc monasterium, quod construxi, & cuncta quæ fratribus præparavi, Omnipotentis Dei judicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, ut mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cujus vocem tunc Theoprobus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modo a Longobardorum gente ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore, & quiescentibus Fratribus, nuper illic Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt: sed implevit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res gentibus traderet, animas custodiret.* Hactenus de S. Benedicti prophetia S. Gregorius, qui libro secundo Dialogorum totus in eo est, ut S. Benedicti vitam, virtutes, miracula enarret, ad quem lectorem plura cupientem remittimus. Præter regulam a S. Benedicto scriptam, plura extant Benedicti nomine opera, ut epistola ad S. Remigium, Sermo in morte S. Placidi, epistola ad S. Maurum, aliaque hujusmodi, quæ tomo 9. bibliothecæ SS. Patrum legi possunt. Hæc tamen Benedicto falso inscripta sunt, ut apud Cellierium, & Dupinium seculi 6. pag. 158. videre est.

Romani a Mauris in Africa profligantur.

8. Hoc anno Romani cum Mauris in Africa pugnantes debellati sunt, quorum Dux Salomon in prælio occisus est. Procopius enim narratis Salomonis gestis, quibus Mauros compresserat, & Mauritaniam Sitiphensem vectigalem fecerat, anno 539. 13. Imperii Justiniani, sequenti capite subdit: *In contrarium hæc felicitas versa est quarto post anno, quo Imperii decimum septimum agens Justinianus, Cyrum ac Sergium filios Bacchi Fratris Salomonis præfuit urbibus Africæ.* Salo-

Salomone interim totam provinciam administrante, suscepta a barbaris in Romanos expeditione, Salomon in eos copias educit omnes, sed in prælio occisus est. Salomonis mortem anno 541. Basilio Coss. refert Marcellini continuator: *Salomon in Africa interficitur, Sergius loco ejus Dux successit belli, moderatorque provinciæ*. De Romanorum clade a Mauris accepta plura narrat Procopius; quo in prælio militem quemdam a Maurorum gladiis divinitus servatum fuisse narrat Sophronius. In extremo etenim constitutus periculo, tota mente ad Deum conversus dixit: *Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eamdem ab iniquorum manibus, libera me in hac necessitate, & salva ex hac acerba morte: mox ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conversus autem neminem ex barbaris vidit. Itaque continuo venit in hanc Lauram Cepatha; mansitque in spelunca, Dei protegente gratia, annis triginta quinque*.

Romanorum in Persas expeditio & clades. *Procop. de bello Persi cap. 23. 24.*

9. Bellum quoque Persicum Romanis infaustum hoc tempore fuit; cum etenim pestis, quæ Constantinopoli grassabatur, Persas quoque invasisset, Justinianus jussit Martino Magistro militum per Orientem, aliisque Ducibus, ut in Persarmeniam irruerent, quod cum factum fuisset, Romani hostili impetu aggressi omnes fugerunt, Persæque victores extiterunt. *Acceperunt Romani tunc cladem magnam, nec parem huic unquam antea*, inquit Procopius cap. 5., qui postea loquitur de iis, quæ anno sequenti gesta sunt. Hoc autem prælium hoc anno contigisse indicat Continuator Marcellini, qui ad Indict. VI. post Consulatum Basilii anno 2. ait: *In Oriente Persis adhuc tenentibus conflictum cum nostris, subauditus est*.

Paulus Alex. Episcop. in exilium ejicitur.

10. Paulus Alexandrinus Episcopus, quem anno 541. Alexandriæ ordinatum diximus, homicidii crimine accusatus, in exilium ejectus est, ut narrat Liberatus. *Cogitante Paulo Episcopo removere Eliam magistrum militum, Psojus quidam Diaconus & Oeconomus Ecclesiæ, amicus Eliæ, per portitores litterarum velocissimos pedestres (quos Ægyptii Simas vocant) omnia volumina Pauli scribebat. Contigit autem Paulum invenire litteras ejus Ægyptiace scriptas, & legere: & timens quod de Proterio contigerat sollicitus de eo factus est, & cœpit Psojum compellere facere rationes Ecclesiæ: quem tradidit Judici, & Imperatori de eo retulit. Eo tem-*

JESU CHR. AN. 543.

tempore apud Alexandriam Rhodo erat Augustalis, qui eum accipiens custodiendum usque ad Imperatoris praeceptum, consilio cujusdam prioris civitatis nomine Arsenii, acceptis muneribus, inscio (ut fertur) Episcopo, clam nocte totis viribus eum magno cruciatu occidit. Cujus filii & affines Imperatorem interpellantes, suggesserunt ei, quia vi eorum parens debitum mortis persolvisset. Quod audiens Imperator, vocavit Liberium, & fecit eum Augustalem, misitque eum Alexandriam inquirere causam. Ad quam urbem Liberius cum venisset, Rhodonem ad se venire jussit, & ab eo requirebat, quomodo occidisset Diaconum. Ille vero respondit, jussione Episcopi factum fuisse: habere se Imperatoris delegationem, ajebat; ut quidquid juberet Episcopus, modis omnibus impleret. Sed negante Paulo Episcopo, & se nescire clamante, prior ille civitatis Arsenius homicidii illius auctor inventus, morte mulctatus est. Porro Episcopo Paulo Gazam in exilium misso, Rhodo cum gestis de eo actis directus est Constantinopolim. Cujus gesta cum intra Palatium legerentur Principi, jussit eum duci, & foras regiam civitatem occidi. Pauli abdicationem confirmavit Gazense concilium, cui Pelagius Vigilii Diaconus praefuit. Audiatur iterum Liberatus: *Post haec misit Imperator Pelagium Diaconum, & apocrisarium primae Sedis Romanae Antiochiam cum Sacris suis, quibus praecepit, ut cum Euphemio ejusdem Urbis Episcopo, & Petrus Hierosolymita & Hippatius Ephesinus veniret Gazam, & Paulo Episcopo pallium auferrent, & deponerent. Pelagius vero profectus Antiochiam, & inde Hierosolymam, cum memoratis Patriarchis, & aliquantis Episcopis venit Gazam, & auferentes Paulo pallium, deposuerunt eum, & ordinaverunt pro eo Zoilum.* Depositionis Pauli aliam causam addit, eamque justissimam Tunonensis in chronico his verbis, *Paulus Dioscori Haeretici praedecessoris sui depositionem celebrans, Palaestino concilio deponitur*, idest Dioscori memoriam publice recolebat in dypticis ecclesiae. Procopius vero de Pauli abdicatione agens, adnotat, eum anno 547. CPolim transiisse, ibique ingenti oblata poecuniae summa ab Justiniano postulasse, ut in Sacerdotium restitueretur. Ne tamen id fieret Vigilius, qui per id tempus Bizantii versabatur restitit, cujus depositioni per Pelagium Diaconum suum subscripserat. Hanc Pauli depositionem, & Zoili in ejus loco ordinationem, etsi

In synodo Gazensi Paulus Episcop. Alexandr. condemnatur.

etsi multo ante, anno scilicet 537. aut 538. alligaverint Baronius, & Bollandus, ad hunc tamen annum retrahendam esse nos docent eruditissimi chronologi Norisius, & Paglus. Jesu Chr. an. 543.

11. Origenistarum factionem jamdiu in Palæstina, alibique pro viribus comprimere S. Sabas, dum viveret, conatus fuerat; at eodem mortuo majores in dies tumultus ab iis excitati sunt. De turbis hoc tempore in ecclesia ab Origenistis adversus monachos magnæ Lauræ Sancti Sabæ, aliosque excitatis testis est omni exceptione major Cyrillus in vita Sabæ. Turbarum Duces Domitianum, & Theodorum fuisse adnotat, qui cum Episcopatum adepti essent, primus Galatarum, Theodorus autem Cæsareæ Cappadociæ, magnam ostentarunt potestatem, ita ut cum Origenistarum turba in omnem partem proficiscentes, & in omnia orthodoxorum monasteria incursantes, ipsam quoque maximam Sabæ Lauram aggressi sunt cum securibus, & dolabris, & quibusdam aliis instrumentis aptis ad diruendum, & evertendum, ut vel eam funditus everterent, vel etiam suis erroribus inficerent, nisi miraculo eos Deus, Sabæ ut credibile est precibus exoratus, deterruisset. *Nam eos, sicut olim Ægyptum, densis tegit tenebris, & profunda caligine. Et cum esset hora diei secunda, illi cum perinde ac noctu per totam diem ambulassent, nec ubi quidem essent scirent. Cum sic ergo nihil scirent, sed in viam asperam, & acclivem & omnino minime tritam incidissent, vix tandem die sequenti inventi sunt circa monasterium beati Marciani; & sic cum lucem aspexissent communem, pudore repleti, re infecta redierunt.* At in malis operibus perseverantes, paulo post: *Dolis quibusdam compositis, & sceleratis instructis insidiis, mittunt quemdam paulo post nomine Theodorum, ad Petrum Episcopum Hierosolymitanum, & egregio illi viro (hei mihi!) persuadent iis, quæ improbe confixerunt, ut Petri Alexandrini, & Joannis, cui erat cognomen Stomgylus, idest Rotundus, susciperet communionem. Quod quidem Nonni asseclis majorem addidit, & plus dedit fiduciæ: & suam hæresim non latenter, sed aperte circumcirca abeuntes, tamquam legem ferentes, promulgabant. Quin etiam si aliquem ex orthodoxis monachis deprehendissent in sancta Civitate, impia manu ferientes, & Sabaitem vocantes, illinc eum turpiter expellebant. Multos quoque cum gravissimis tradidissent suppliciis: quoniam non potuerunt latere, aperte eis bellum indicunt.*

Origenistarum in catholicos vexatio.

Jesu Chr. An. 543.
FurorOrigenistarum.

Cum autem rem sensissent viri, qui circa Jordanem habitabant, Eliæ zelum (ut par erat) spirantes veniunt ad eis opem ferendam; & communiter cum eis, tamquam ad aliquod præsidium confugiunt ad Lauram divini Sabæ. Postquam vero hæc renunciata fuerunt Origenistis, in eos maximo impetu irruunt: & cum portarum confregissent cataractas, Lauram ingressi sunt, & vulnerantur multi ex orthodoxis, & ex sociis, Deo quoque hoc permittente arcanis rationibus, & minime probibente, ut fieret manifestior furor hæreticorum, & suis athletis splendidior contexeretur corona. Quamobcausam catholici monachi Gelasium quemdam ad Imperatorem Justinianum miserunt rogantes, ut auctoritate sua hæreticorum feritatem comprimeret Theodorus autem impositis custodibus & speculatoribus, ne per aliquem eorum, eis inscientibus, hactenus gesta ad Patriarcham vel ad Imperatorem nunciarentur, & ne Imperatorem Gelasius adiret prohibuit, unde ad propria, re infecta, reverti coactus, Amorii in itinere Gelasius defunctus est. Quod cum rescivissent Nonnus, Theodorus, & Domitianus, & quicumque erant Origenistæ, Georgium quemdam ejusdem sectæ ejus loco præfectum, & ducem in laura S. Sabæ elegerunt. Unde Cyrillus: *Rei acerbitate meus intumescit animus, iraque disrumpor & suffocor. Hinc enim miserabiliter accidit, ut Patres, qui erant in Laura, alius alio dispergerentur, non secus, atque agni quidam, lupo adventante.* Diu tamen catholicos ab Origenistis divexari non permisit Deus Nam Nonnus quidem malorum omnium auctor miserrime cito periit, Georgius quoque accusatus cujusdam libidinis, cujus vel meminisse solum linguam polluit, ab illa Laura turpiter expulsus est, cum septem solum menses illi præfuisset. Deinde autem Lauræ Præfecturam suscepit Cassianus, vir, qui ab infantia fuerat educatus apud divinum Sabam, & in sancta illius disciplina pulcherrime institutus, & factus sacerdos maximæ Lauræ, cum decimum mensem implesset in administratione, hac vita excessit: eique Canon in Lauræ præfectura successit, vir rectis dogmatibus, & omni virtute & recte factis illustris, qui etiam magna cura & diligentia eos, qui illinc recesserant ejecti ab Origenistis Patres, rursus collegit, & Lauram, quæ a frequentibus illis tumultibus, & bellis hæreticorum jam inclinata fuerat in genua, mox erexit, & veluti renovavit. His

snb-

subdit Cyrillus: *Post hæc cum sancta & Oecumenica Synodus Quinta congregata fuisset Byzantii, Theodorus Mopsuestiæ, & Origenes, & una cum his impia de præexistentia, & rectitudine dogmata, generali subjecta fuerunt anathemati, & sic hæreticis deinceps omni ablata libertate loquendi, divini Sabæ Lauræ, & universa fere cum eis Palæstina vigesimo tertio post illius mortem a gravioribus hæresibus, & temporum acerbitate & iniquitate respirarunt, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi &c.*

JESU CHR. AN. 543.

12. Interea cum Pelagius Vigilii Papæ Diaconus e Gazensi concilio, ubi Paulus Alexandrinus Episcopus depositus fuerat, Constantinopolim rediret, ubi Apocrisarium agebat, ab orthodoxis Palæstinæ monachis rogatus, ut sibi adversus Origenistarum factionem opem ferret, isque gratificari vellet, apud Justinianum egit, ut Origenis dogmata condemnarentur, ut narrat Liberatus his verbis. *Redeunte vero Pelagio Constantinopolim, monachi, qui ab Hierosolymis, per quos Pelagius in Gazam transitum habuit, venerunt cum eo ad Comitatum, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, ut Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus existens Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, volens ei nocere, eo quod esset Origenis defensor, una cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano, flagitabat a Principe, ut juberet fieri, quod illi monachi supplicabant, ut Origenes damnaretur, ipsaque capitula talia docentia. Annuit Imperator facillime, gaudens se de talibus causis judicium ferre: jubente eo, dictata est in Origenem, & illa capitula, anathematis damnatio, quam subscripserunt, una cum Menna Archiepiscopo, Episcopi apud Constantinopolim reperti. Deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano, quibus eam accipientibus, & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Hactenus Liberatus. Justinianus ergo, qui ecclesiasticis rebus tractandis libenter se immiscebat, quique nil magis cordi haberet, quam ut eliminatis hæresibus, pacem ac tranquillitatem ecclesiæ redderet, monachorum postulationibus, quibus Pelagius Diaconus adstipulabatur, faciles aures præbuit, ac epistolam ad quinque orbis Patriarchas dedit, qua primum se catholicæ fidei servandæ, & pacis in ecclesia custo-

Origenes Justiniani jussu damnatur.

Liberat. cap. 23.

JESU CHR. AN. 543.

custodiendæ sollicitum fuisse testatur. Unde subdit: *Ad nos allatum est nonnullos Dei metum in animo non habentes, nec rectæ doctrinæ discrimen tenentes, quo salvatur quicumque veritatem cognoscit, relictis divinis scripturis, sanctisque Patribus, quos catholica Dei Ecclesia Doctores habet, per quos omnis ubique hæresis expulsa est; fides vero orthodoxa declarata, Origenem ejusque dogmata Paganorum, & Arianorum, & Manichæorum erroribus affinia asserere, per quæ ille in foveam incidit.* Inde errores Origenis de Mysterio Trinitatis, de animarum præexistentia, de anima Christi, aliisque de rebus refert, ac Sanctorum Patrum testimoniis impugnat. Illorum vero summa novem canonibus, quos epistolæ subjicit continetur, atque ut epistolæ suæ auctoritatem adderet, Episcopos, qui in urbe regia erant, in synodum coactos, ut eidem subscriberent Justinianus jussit, hæc inter cetera ad Mennam Regiæ urbis Episcopum scribens. *Ad tuam Beatitudinem has litteras dedimus, Sanctissimorum Episcoporum conventum, ut omnium qui in hac urbe regia nunc degunt, habeat, ac Deo amatissimorum præfectorum sanctis, quæ hic sunt, monasteriis, faciatque, ut omnes in scriptis præfatum impium ac Deo repugnantem Origenem &c. omnimodis anathematizent.* Jubet insuper: ne inposterum Episcopi, aut Monasteriorum Præfecti ordinentur, *nisi prius cum aliis omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur* (*eos ibi recenset*) *prædictum etiam Origenem, qui Paganorum, Arianorumque insania laboravit, una cum execrabilibus impiisque ejus dogmatibus anathematizent*; tandem addit: *Hæc porro eadem scripsimus non solum ad Sanctitatem tuam, sed etiam ad Sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romæ, & Patriarcham Vigilium, & ad ceteros omnes sanctissimos Episcopos & Patriarchas idest Alexandriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum.* Hac epistola vulgata, novam infamiam subiit nomen Origenis, in quo purgando frustra est nuperus ejus Patronus Halloixius, ut pluribus ostendit Norisius. Hanc autem synodum a quinta distinguendam esse multa suadent, nam quinta synodo trium capitulorum præcipue causa agitata est, in hac Origenis tantum dogmata condemnata sunt. Dubitari tamen non potest, in synodo quoque quinta de Origenis erroribus, & condemnatione actum fuisse, ut ejusdem gesta testantur, de quibus infra suo loco acturi sumus,

Tom. 5. pag. 1374.

Noris. de Synod. 5. cap. 1. 2.
Garner. de synod. 5.
Valesius not. in cap. 38. lib. 4. Evagrii.

JE-

JESU CHRISTI AN. 544. VIGILII PAPÆ 7.
JUSTINIANI IMP. 18. TOTILÆ REGIS 4.

1. Insequens annus 544. post Coss. Basilii III. notatur, quo Totilas urbem datis primo epistolis, deinde aperta vi & armis invadere tentavit. At Totilæ litteræ ad Senatum scriptæ *Nocte intempesta in Celeberrimis urbis partibus affixæ, in publicam notitiam venerunt. Mox Romani Duces suspectos sibi Arianos Sacerdotes omnes urbe exterminarunt.* Ea spe potiundæ urbis exclusus Totilas, cum exercitu ad eam accessit. *Imperator vero*, ait Procopius, *etsi fortissime adhuc sibi insistentibus Persis, mittere rursus in Italiam Belisarium cogitur.* Gothicum exercitum Romam propius accessisse testatur Arator in præfatione præfixa ad acta Apostolorum, Vigilio Papæ inscripta, qua inter cetera:

Totilas urbem insidiis & armis occupare tentat.

Procop. de bello Goth. lib. 3. cap. 9.

Mœnibus undisonis bellorum incendia cernens.
Pars ego tunc populi tela paventis eram.
Publica libertas, Vigili sanctissime Papa,
Advenit incluso solvere vincla gregi.
De gladio rapiuntur oves, Pastore ministro,
Inque humeris ferimur, te revocante, piis.
Corporeum satis est sic evasisse periclum.
At mihi plus animæ nascitur inde salus.
Ecclesiam subeo, dimissa naufragus aula.
Perfida mundani desero vela freti &c.
Transferor ad niveas Petri sine turbine caulas
Et fruor optati jam statione soli &c.

Ad finem vero Vigilio alloquens addit.

Te duce, tyro lego, te dogmata disco magistro:
Si quid ab ore placet, laus monitoris erit,

Hæc ad Vigilium Papam Arator: qui hoc eodem anno jam ordinatus Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, elucubratum a se opus, quo luculenter Apostolorum Acta heroico carmine exposuit, Vigilio Papæ obtulit.

Arator Subdiaconus carmen in Act. Apost. Vigilio offert.

2. Quo die, mense, & anno id factum fuerit, Vaticanus

Jesu Chr. an. 544.

canus Codex his verbis indicat. *Beato Petro adjuvante oblatus est hujusmodi codex ab Aratore Subdiacono sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Sancto, & Apostolico Viro, Papæ Vigilio, & susceptus ab eo die VIII. Idus Aprilis, in Presbyterio ante Confessionem Beati Petri; cum ibidem plures Episcopi, Presbyteri, diaconi, & Cleri pars maxima interessent. Quem cum ibidem legi pro aliqua parte fecisset, Surgentius vir venerabilis Primicerius scholæ Notariorum in scrinio dedit Ecclesiæ collocandum. Cujus beatitudinem litterati omnes doctissimique continuo rogaverunt, ut eum juberet publice recitari. Quod cum fieri præcepisset, in Ecclesia beati Petri, quæ vocatur ad Vincula, religiosorum turba convenit; atque eodem Aratore recitante, distinctis diebus, ambo libri, septem vicibus, sunt auditi, cum unius medietas libri tantummodo legeretur propter repetitiones assiduas, quas cum favore multiplici postulabant. Eadem hæc repetitio facta est his diebus: Prima Idibus Aprilis, secunda decimoquinta Kalendas Maii, quarta vero tertio Kalendas Junii, tertio anno post Consulatum, Basilii V. C. Indictione VII.* Hæc ibi. Porro de eodem Aratore Poeta, qui Apostolorum acta metro cecinit, hos habet versus Venantius Fortunatus.

Sortis Apostolicæ quæ Gesta vocantur, & Actus,
Facundo eloquio vates sulcavit Arator.

In Liguria natus erat Arator Patre facundo, cujus eloquentiam Gothorum Rex laudibus celebravit. Arator autem forensibus curis vacavit, deinde ad militiam se convertit, dignus, cui Athalaricus Comitivam dignitatem concederet; at paulo post, militiæ, & Mundo valedicens, Romanæ ecclesiæ Subdiaconus est ordinatus, ut idem in suo ad Vigilium epigrammate cecinit.

Chosroes Edessam obsedit.

3. Interea Chosroes multis victoriis elatus, quartam in Romanos expeditionem hoc anno suscepit, qua Edessam, Romanorum adversus Persas munitissimam urbem obsedit, eodemque tempore adversus christianam religionem majori furore, quam contra Romanos bellum suscepit; unde Procopius: *Anno insequenti Chosroes in Romanorum agrum rursus incurrit, in Mesopotamiam exercitum ducens, quæ quidem irruptio non adversus Justinianum Imperatorem, aut alium quem-*

Procop. de bello Pers. lib. 2.

quempiam mortalium facta, sed in ipsum Deum, quem Christiani colunt. Hæc quidem de Chosroe Procopius, eo quod non exercitum Romanorum adversantem reperit, sed divinam virtutem in Christi imagine ejus profligantem exercitum. Quomodo autem id acciderit, apud Procopium non legitur, Evagrius tamen se hæc a Procopio accepisse testatur: unde mutilum hoc loco Procopii textum esse dicendum est. At vero quæ ex Procopio Evagrius narrat, audiamus: *Idem porro Procopius litteris mandavit ea, quæ sunt de Edessa, & Abagaro a veteribus commemorata, & quemadmodum Christus ad Abagarum scripserit epistolam: deinde quo pacto Chosroes, altera facta incursione, Edessam obsidere constituerit; ratus ea se falsa esse convicturum, quæ de ea civitate omnium Fidelium ore ac sermone celebrantur; nempe Edessam numquam ab hostibus subjugatam fore. Quæ res in epistola a Christo Deo nostro ad Abagarum scripta non ponitur, illa quidem (ut studiosi ex historia Eusebii cognomento Pamphilii, apud quem hæc epistola ad verbum recitata est, intelligere possunt.) Sed tamen eum exitum consecuta esse, a Fidelibus non decantatur solum, sed etiam creditur, ratusque ejus eventus prædictionem illam veram esse confirmat*. His subdit varios Chosrois adversus Edessam conatus, inter cetera cum agerem adeo excelsam extrui jussisset, ut urbis muros non solum æquaret, sed altitudine sua vinceret, ac inde tela in eos, qui in muro ad urbis defensionem erant, jacere commode possent, cum jam jam longa obsidione fatigati Edesseni pene desperarent. *Sanctissimam imaginem divinitus fabricatam, quam non hominum manus effinxerant, sed Christus Deus Abagaro (quandoquidem eum videre cupiebat) miserat, proferunt: eamque in fossam, quam construxerant, importatam, aqua conspergunt, ex qua non parum in rogum ac struem lignorum immittunt, ac divina potentia fidei illorum, qui ista moliebantur, subsidio veniente, quod ab illis ante fieri nequaquam poterat, jam facile confectum fuit*. Nam ingenti repente exorto igne totam machinam temporis momento consumpsit, ut narrat Evagrius. *Quare Chosroes de spe penitus deturbatus, cum re vera intelligeret, se turpem admodum dedecoris notam propterea subiisse, quod in animum induxerat, se Deum quem colimus omnino superaturum, domum cum ignominia revertit*. Procopius vero subdit, soluta Edessæ obsidione: *Romanos inter*

Evag. lib. 4. cap. 26.

Divina virtute Edessa defenditur.

JESU CHR. AN. 544.

inter ac Persas pacta sunt quinquennales induciæ, Justiniano Aug. Imperii annum agente XIX., hoc scilicet anno.

Origenistæ condemnationem trium capitulorum extorquent.

4. Etsi graves hactenus in Orientali ecclesia turbas excitassent Origenistæ, quos epistola sua anno proximo ad Patriarchas data, ab iisque subscripta, comprimere conatus esset Justinianus, ut suo loco diximus, iis tamen graviores subsecutæ sunt, itaut commemoratæ hactenus, velut prologus totius tragœdiæ fuerint; cum etenim se Imperiali auctoritati resistere posse desperarent, in alteram quæstionem eamque periculi & aleæ plenam trahere conati sunt, ac sub prætextu procurandæ pacis, & Acephalos ad unitatem revocandi, Justiniano persuaserunt; ut tria capitula condemnanda curaret, Theodoreti scilicet adversus Cyrillum anathematismos, Theodori Mopsuesteni, Nestorii præceptoris scripta, ac Jbæ epistolam ad Marim Persam, qua Theodoro laudes tribuerat: hæc si perfecisset, Acephalos Eutychianos, & Chalcedonensis synodi osores, nullo negotio ad ecclesiæ unitatem redituros esse spondebant. Totius tragœdiæ Architectus Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Metropolita fuit, qui cum Origenianæ doctrinæ defensor acerrimus esset, plurimam tamen apud Justinianum Imp. gratiam meruerat; sed Liberatum hæc narrantem audiamus *Reserato aditu adversariis ecclesiæ ut mortuus damnaretur*, (idest Origenes) *Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus dilectus, & familiaris principum, secta Acephalus, Originis autem defensor acerrimus, & Pelagio æmulus, cognoscens Origenem fuisse damnatum, dolore damnationis ejus, ad Ecclesiæ conturbationem, damnationem molitus est in Theodorum Mopsuestenum; eo quod Theodorus multa opuscula edidisset contra Origenem, exosusque, & accusabilis haberetur ab Origenistis; & maxime quod Synodus Chalcedonensis, sicut probatur, laudes ejus susceperit in tribus Epistolis: hujus damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit. Scribente Principe contra Acephalos, in defensionem Synodi Chalcedonensis, accedens idem Theodorus Cappadox cum suis satellitibus, qui sub nomine catholico Acephalis studebant, cum Theodoræ Augustæ favore, Imperatori suggessit, scribendi laborem non eum debere pati, quando compendio posset Acephalos omnes ad suam communionem adducere: siquidem illi, inquit, quod laudes susceperit Theodori Mopsuesteni Episcopi, epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoria-*

storiana esse cognoscitur, synodus ipsa judicio suo pronunciaverit orthodoxam. Quod si Theodorus cum dictis suis, & hac epistola anathematizatur, Synodus, tamquam retractata atque purgata, suscipietur ab eis per omnia, & in omnibus: eis sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ catholicæ sociatis, gaudente universali Ecclesia, clementiæ vestræ laus erit sempiterna. Iisdem insidiis, & artibus Theodoro manum dedit Domitianus Ancyranus Præsul, Justiniano etiam gratissimus, monente Facundo: *Domitianus Ancyrensis quidem civitatis Episcopus, Provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum, quem ad Beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quod ejus complices Origeniani cum viderent non posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta sunt, hæc ecclesiæ scandala commoverunt.*

Facund. Herm. lib. 1. cap. 2.

5. Hac itaque spe excitatus Justinianus, Acephalos scilicet ad ecclesiæ unitatem revocandi, Theodori & Domitiani consilia facile admisit, eorumque votis annuens in condemnationem trium capitulorum librum edidit *pro delictis nostris, nobis omnibus notissimum*, ait Liberatus. Librum vero a se scriptum non solum vulgari, sed etiam a Patriarchis subscribi jussit; ii vero Principi assentari assueti, vel timore perterriti, ne detrectantes suis sedibus ejicerentur, Justiniani libello subscripserunt. Adhibita tamen nonnulla conditione Mennam CP. Episcopum subscripsisse, narrat Facundus; ea etenim subscriptione injuriam Chalcedonensi synodo fieri prævidens, subscribere primo recusavit, paulo post tamen mutata sententia subscripsit. Ab Stephano autem Ecclesiæ Romanæ Diacono, & apocrisario conventus, ea se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit. *Quod Chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.* Ceteri tamen Orientis Patriarchæ Zoilus Alexandrinus, Euphremius Antiochenus, & Petrus Hierosolymitanus, veluti oves Arietem sequentes, & tamquam canes muti, præ timore non valentes latrare, Justiniani edicto subscripserunt. Hæc Zoilo Alexandrino Episcopo in faciem exprobravit Vigilius: *Zoilus Alexandrinus Episcopus, cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens, necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum,* quod

Justinianus librum contra tria capitula vulgat, eique Orientis Patriarchæ subscribunt.

Facund ibid. lib. 4. cap. 4.

JESU CHR. AN. 544. *quod ei, hic postquam venit, idem Romanus Episcopus in facie, palam nobis quoque inter alios præsentibus exprobravit.* Zoili ignaviam immitati sunt alii duo Patriarchæ, ceterique

Facund. ibid.

Episcopi, teste eodem Facundo. Stephanus tamen Romanæ ecclesiæ Diaconus, qui Pelagio in apocrisarii munere successerat, Mennæ, quod Justiniani edicto subscripsisset, exprobravit; Episcoporum vero plures eidem Stephano libellos dederunt, quibus se a Menna ad subscribendum Justiniani edicto coactos fuisse testabantur. Unde Facundus: *Venerabilem memoriæ Stephanum Diaconum, quem Romanæ ecclesiæ Vigilius hic habuit responsalem, & per multos ecclesiæ filios approbavit, quod se pro hac causa a venerabili Menna hujus Regiæ civitatis Episcopi communione suspenderit, & eos, qui ei communicaverant, sub debita satisfactione susceperit.* Hoc autem adversus tria capitula Justiniani edictum ob orientalibus Patriarchis, CPolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano subscriptum anno 546. ab Imperatore vulgatum fuisse scribit Baronius: ad annum proximum 545. illud pertinere Garnerius censuit; at Norisius, & Pagius labenti anno 544. illud vulgatum fuisse probant. Eodemque loco adnotant, in eo quoque errasse Baronium, dum duo Justiniani in eamdem de tribus capitulis causam edicta in unum confundit, atque secundum quod post annum 550. vulgavit pro primo hujus anni edito, ad annum 546. recitavit, cum certo constet hoc primum deperditum fuisse, ut pluribus idem Norisius in historia synodi quintæ persequitur.

Noris. de Synod. 5. cap. 2. & 3. Pag. not. ult. anni 544. 546.

Occidentis Episcopi pro tribus capitulis decertant.

6. Cum in Occidente auditum est Orientales Episcopos subscriptione edicti Justiniani in trium capitulorum condemnatione consensisse, non solnm id ægre tulere, sed pro viribus etiam in eorum defensione perseverarunt, injuriam merito ab Orientalibus Chalcedonensi synodo factam lamentantes, quæ Theodori laudes pacato animo exceperat, Ibæque epistolam citra reprehensionem legerat, immo quidam etiam eam orthodoxam fuisse definierant, ac Theodoretum cum catholicis Episcopis exceperant. Divisa igitur in partes Ecclesia fuit, nam Oriens quidem edictum Justiniani receperat, Illyrici autem, Itali, Galli, Hispani, Africani pro tribus capitulis stabant. Præ ceteris vero Africani Episcopi Justiniani edicto adversati sunt. Erant in his, teste Tunonensi, Reparatus Carthaginensis, Firmus Numidiæ, Boe-

Boethius, Byzacii Primates Africani cum suis suffraganeis, & hos inter eminebant Facundus Hermaniensis, ac Victor proxime laudatus, quorum ea de re libri adhuc extant, sicuti & Pontiani Africani Episcopi Epistola ad Justinianum, edicto ejusdem supposita, in qua hæc leguntur: *In extremo itaque Epistolæ vestræ cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodoreti, & Epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos usque nunc minime pervenerunt*. Edictum Justiniani Epistolam vocat, uti etiam edictum contra Origenem Epistola ibidem a Principe nominatur. Postea libertate magna usus, Epistolam concludens; *supplicamus, clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne dum quæris damnare jam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, & exinde compellaris reddere rationem ei, qui venturus est judicare vivos & mortuos*. Quod vero ait Theodori, Theodoreti, atque Ibæ epistolam ad ipsos nondum pervenisse, palam facit, se respondere primo edicto Justiniani contra tria capitula emisso; nam cum alterum edictum anno 551. publicatum fuit, jam omnibus Afris tria capitula satis superque erant manifesta, ut ex libris duodecim Episcopi Hermianensis ad Justinianum intelligitur, atque ita ex quæstione de tribus capitulis, quæ etiam de tribus capellis dici poterat, magnum in ecclesia incendium excitatum est, quod diu eam vexavit, ut ex dicendis infra patebit.

Jesu Chr. an. 544.

Petri Hierosolym. Episcopi obitus.

7. Interea non diu post subscriptionem suam ad Justiniani edictum superstes fuit Petrus Hierosolymorum Episcopus, cujus obitum Victor Tunonensis ad annum quartum post consulatum Basilii, qui cum labenti concurrit, alligavit. In Petri locum ordinatus est Macarius, qui secundus ejus nominis dici debet; nam temporibus Constantini alter Macarius Hierosolimitanam rexerat ecclesiam. Petri Hierosolimorum Episcopi funeri proximum fuit Euphremii Antiocheni, qui hoc anno obiit, cujus memoria ob vitæ sanctitatem librosque editos celebris perseverat, quem etiam signis claruisse refert Sopronius, seu auctor prati spiritualis. De ejusdem gestis, & scriptis, sat erit Photii elogium referre his verbis contextum: *Lectæ sunt S. Ephremii Theopolitani orationes variæ. Syrus quidem fuit genere ac sermone, Græcam vero linguam non mediocriter calluit. Sed & civiles gessit*

Euphremii Antiocheni Episcopi obitus & elogium.

Jesu Chr. an. 545. *magistratus, e quibus Comes tandem Orientis renuntiatus, inde ad summam Ecclesiæ Cathedram evectus est. Ferunt autem eum alia laude digna gessisse, tum vero eleemosynis elargiendis enituisse. Libros vero varios composuit, quorum in manus meas tres inciderunt. Omnia pene opera ejus, quæ vidimus, pro Ecclesiasticis dogmatibus pugnant, defenduntque Chalcedonense Concilium extra omnem esse Hæreticorum reprehentionem*. Euphremi animam in Cœlum multa luce circumdatam ascendere, Simeon junior Stilita vidit, si vera vitæ ejus auctor narrat apud Bollandum die 24. Maii. Euphremio successit Domninus, qui synodo quintæ interfuit, de cujus gestis infra.

JESU CHRISTI AN. 545. VIGILII PAPÆ 8.
JUSTINIANI IMP. 19. TOTILÆ REGIS 5.

In Tiburtinos Totilas sævit.

1. Hoc Christi anno 545. postCss. Basilii IV. inscripto, Belisarius a bello Persico revocatus, in Italiam missus est, ut labenti Romanorum fortunæ quoquo modo succurreret; sed cum neque exercitum duxisset, aut pecuniam ut milites colligeret, iisque stipendium daret; quin Totilas loca plurima occuparet, prohibere non potuit. Ex his, cum Tiburtinum prope urbem oppidum occupasset, incolas una cum eorum Episcopo ad internecionem pene delevit, ut narrat Procopius. Hoc unum Belisarius obtinuit, quod cum Totilam Romæ instare cerneret, nec tantum virium haberet, ut cum eo collatis signis decertaret, ex suis Romam misit, qui urbem pro viribus tutarentur. Quo tempore plurima Beato Petro per Vigilium Papam obtulit: *Obtulit Beato Petro Apostolo per manus Vigilii Papæ Crucem auream cum gemmis pensantem libras centum in qua scripsit victorias suas; cerostrata argentea deaurata maxima duo, quæ sunt usque hodie ante corpus B. Petri Apostoli; sed & multa alia dona, & eleemosinas pauperum largitus est: fecit etiam Belisarius Patricius Xenodochia in via lata, & in Flaminia, juxta civitatem Ortas, monasterium sancti Juvenalis, ubi & possessiones & dona multa largitus est*. Ex his nonnulla obtulit cum primum Romæ Belisarius adfuit, quo tempore ad expiandum scelus, quod in Silverium Papam commiserat, ecclesiam ædificavit, cui præ foribus hanc apponi inscriptionem jusserat.

Dona oblata a Belisario S. Petro. *Anast. in Vigilio.*

Hanc

Hanc vir Patricius Belisarius urbis amicus
Ob culpæ veniam condidit ecclesiam.
Hanc idcirco pedem sacram qui ponis in ædem,
Ut miseretur eum, sæpe precare Deum

Dum autem Anastasius, & Miscellæ auctor scribunt Crucem auream Belisarium obtulisse B. Petro, id per suos factum intellige, nam ex Procopio, qui res singulas ab eo gestas describit, constat Belisarium in hac secunda expeditione numquam in urbem ingressum fuisse.

2. Hoc autem tempore Vigilius Papa XI. Kal. Junias, IV. Postcons. Basilii V.C., petente Childeberto Francorum Rege, pallium Auxanio Arelatensi Episcopo misit, eique cum suas vices delegasset, commonitorium cum his litteris dedit. *Dilectissimo Fratri Auxanio Vigilius. Sicut nos pro tuæ charitatis affectu, & pro gloriosissimi filii nostri Regis Childeberti christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conversatione uti atque disponere, ut bonis actibus innotescens, rectum circa caritatem tuam judicium nostræ dilectionis ostendas &c.* Quare cum hortatur verbis Apostoli ad Thimotheum, ut in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, omnibus exemplo esset; eumque admonet, ut exurgentes iis in provinciis quæstiones inter Episcopos, auctoritate sibi delegata, vocatis etiam ad synodum Episcopis, componeret, graviores vero, sive de fide, vel de quolibet alio negotio, diligenti habito examine, ut ad Apostolicam Sedem remitteret, jubet, cui etiam in signum collatæ potestatis pallium misit. *Data XI. Kalendas Junias*, quarto post consulatum Basilii viri clarissimi. Quo etiam die idem Vigilius ad eumdem Auxanium, de cognoscenda causa Prætextati Episcopi, has litteras dedit.

Vigilii Papæ epist. ad Auxanium Arelat. Episcop.

Concil. Labb. tom. 5. pag. 321.

Dilectissimo fratri Auxanio Vigilius.

3. *Licet fraternitati vestræ apostolicæ sedis vicibus attributis, quas directa auctoritate commisimus, generaliter emergentium causarum sit discutiendarum licentia; tamen quia filii*

Altera Vigilii epist. ad Auxanium in causa Prætextati.

Jesu Chr. an. 545. *filii nostri Joannis presbyteri, sed & Teredii diaconi, qui ad nos a tua caritate directi sunt, de Prætextati excessu est porrecta petitio, necessarium valde credimus, specialiter memorati negotii examinationem præsenti vobis auctoritate mandare. Quapropter caritati, qua in Christo jungimur, reddentes fraternæ alloquia visitationis, hortamur, ut adhibitis vobiscum fratribus & coepiscopis nostris numero competente, discussa ratione canonica veritate, ea sapienti ordinatione disponat, quæ decessorum nostrorum conveniant statutis, caritas vestra; ratione prospiciens, ne aliquem facile ex laicis ad sacratos ordines saltu præcipiti cuiqnam sacerdotum liceat aggregare. Deus te incolumem custodiat, frater Carissime. Data XI. Kalendas Junias, quarto post Consulatum Basilii V. C.* Prætextatus, de quo mentio in Vigilii epistola occurrit, Episcopus erat Cabellicus in Viennensi provincia secunda, cujus nomine Optatus Abbas concilio Aurelianensi quinto, post quadriennium habito subscripsit. Alias quoque eadem die ad Episcopos Auxanio subditos Vigilius dedit epistolas, quibus Galliarum Episcopos admonet, se Auxanio Arelatensi Episcopo vices suas commisisse, & ut ei debitum honorem, debitamque obedientiam prestarent, jubet.

Vigilius Papa CPolim proficiscitur.

4. Orientales Episcopos Justiniani edicto adversus tria capitula edito subscripsisse anno proximo diximus; ut autem Occidentales quoque in eamdem sententiam traheret Justinianus, Vigilium Papam, ex cujus ore Occidentales pendebant, ut Constantinopolim pergeret, effecit. Quare hoc anno urbe egressus Vigilius in Siciliam transiit, ibique aliquandiu substitit, donec initio anni 547. CPolim appulit. Hoc autem anno eum urbe excessisse ex epistola Vigilii ad Justinianum anno 552. nonis Febr. data scimus, qua se jam septem annos a sua sede exulasse conqueritur his verbis. *Nos ad pietatem tuam festinantes, ante septem annos de civitate nostra sic egressi sumus, ut nulla haberemus privata negotia.* Quare cum septem annos numeret ex quo Roma discesserat, patet eumdem anno 545., idest hoc anno Roma exiisse. Clerus etiam Italiæ in libello supplici exeunte anno 551., legatis Francorum Regis dato, testatur ante sex annos Vigilium Roma discessisse. Anastasius quidem ipsum die 22. Novembris ab urbe abstractum fuisse scribit. At hæc fidem non habent, cum certum sit sponte CPolim eum perrexisse, ibi-

ibique summo cum honore a Justiniano Imp. exceptum fuisse.

JESU CHR. AN. 545.

5. Egredientem Pontificem *Romana universitas publica cum contestatione pulsavit*; sicuti per legatos, Africa, & Sardinia dum in Sicilia moraretur, ne Justiniani edictum adversus tria capitula vulgatum subscriberet; in quam sententiam tota conspirabat Occidentalis ecclesia, ubique etenim Justiniani edictum rejiciebant Occidentalis ecclesiæ Episcopi. Pelagius vero Romanæ ecclesiæ Diaconus contra Imperatoris edictum Romæ primus classicum cecinit; & cum eo Anatolius, postquam in facie eidem Imperatori restiterat, (ut diximus anno superiori) & Africanos Episcopos ad defensionem trium capitulorum excitarunt, teste eodem Facundo, dum ait: *Non ergo civilis hæc causa credenda est &c. pro qua pars maxima orbis christiani, quæ potuit, primum inter primos Christianos Sacerdotem*, (nempe Vigilium) *publica contestatione pulsavit: & Romana quidem universitas, atque Africa, priusquam ipsius Romani Antistitis acceperimus epistolam, non parvo jam agnoveramus indicio, quid de hujus facti novitate sentirent. Nam venerabilis Pelagius, & Anatolius Romani Diaconi, debitam officio suo, & loco sollicitudinem pro Ecclesia Dei gerentes, laudabilis in Christo memoriæ Ferrando diacono Carthaginensi scripserunt, ut habito de hac causa diligenti tractatu cum reverendissimo ejusdem Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, vel aliis, quos & zelum fidei, & divinæ scripturæ scirent habere notitiam, consulentibus responderent, quid observandum in commune omnibus videretur*. His ab Ecclesiæ Romanæ diaconis acceptis litteris, Ferrandus diaconus Carthaginensis injunctum sibi officium apprime implevit, quamobrem omnes ejus esse sententiæ invenit Africanos Episcopos, ne Imperatoris decreto subscriberent, nec quidquam de Chalcedonensi concilio retractandum permitterent.

Pelagii & Anatolii sollicitudo in defensione trium capitulorum.

6. Ferrandi quidem epistola ad Pelagium, & Anatolium Diaconos tunc scripta periit; at gravior extat Pontiani Africani Episcopi ad ipsum Justinianum Imperatorem data epistola, qua Africanos Episcopos in condemnatione trium capitulorum nequaquam consentire testatur. Unde post aliqua in Justiniani laudem dicta, subdit: *Talem enim decet esse Imperatorem pium, justum, fidelem, qualem te nos esse agnovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodore-*

Pontiani Episcop. epist. ad Justin.

Jesu Chr. an. 545. *doreti, & epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos usque nunc minime pervenerunt. Quod si & pervenerint, & aliqua ibi apocrypha, quæ contra fidei regulam dicta sint, legerimus, dicta possumus respicere, non auctores dictorum jam mortuos præcipiti condemnatione damnare. Quod si adhuc viverent, & correpti errorem suum non condemnarent, justissime damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostræ? Quod in eis recorrigatur non est. Sed timeo, piissime Imperator, ne sub obtenta damnationis istorum, Eutychiana hæresis erigatur: & dum minima indicia non spernimus, ad majorem hæresim collisionemque veniamus. Est quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione victoria? Apud Judicem verum jam tenentur, a quo nullus appellat? Per ipsum, in quo nos honoratis, & diligitis, supplicamus clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne dum quæris damnare jam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, & exinde compellaris reddere rationem ei, qui venturus est judicare vivos, & mortuos.* Hucusque ad Imperatorem Pontianus ex Africa, cum illuc fidei decretum a Justiniano missum innotuit; cujus autem sedis fuerit hic Episcopus ignoratur. At omnes Africanos Episcopos in eadem sententia fuisse, exploratum est, unde omnium nomine eadem epistola scripta fuit. Quid hæc sequuta sint, quidve in Sicilia Vigilius egerit, vel Constantinopoli in hac causa, annis sequentibus dicemus.

Mortuos non esse damnandos censet.

Guntharis in Africa Tyrannus.

7. Hoc etiam anno Justiniani Imp. 19., Areobindus maritus filiæ sororis Justiniani, (Vigilantiæ scilicet) qui Præfecturam Africæ gerebat, a Guntharide Duce, sub quo Vandali militabant, necatus est, sub fide præstita Reparato Episcopo Carthaginensi. Rem gestam Procopius his verbis narrat. *Deinde per urbis Antistitem denuntiat Areobindo, ut in palatium veniat, accepta fide,* (continebat enim se Areobindus una cum Conjuge in Monasterio intra Carthaginem posito a Salomone duce ædificato, quod cinctum muro arcem reddiderat munitissimam): *renuenti obsidionem minatur, nec ne fide publica cauturum ipsius saluti, sed machinis omnibus expugnato mortem illaturum. Reparatus (id Antistiti nomen erat) asseveranter dixit Areobindo, jurare se Gontharidis nomine, ipsum ab eo nulla molestia affectum iri, rursus quid ille non obsequenti minatus esset exposuit. Territus Areobindus ille*

Procop. de bello Vandal. lib. 2. c. 26.

spopondit Præsuli, se continuo venturum, si ipse divino ritu operatus lavacro, per id juraret, ac fidem faceret promissæ incolumitatis. Hoc a Præsule consecutus, omni abjecta cunctatione, se illi comitem dedit, non Prætoria, nec militari veste indutus, sed famulo vel privato homini plane propria, quam Romani casulam latine vocant. Prope Palatium sacro e manu Antistitis accepto codice, Gontharido sese obtulit, & provolutus diu jacuit; supplicibus protendens manibus sacrum codicem, & lustratum Baptismo puerum, per quem Præsul, ut dixi, fidem ipsi dederat. Vix tandem erectus, Gontharin per sacra omnia obtestans rogat, num salus in tuto sit? Ille bono animo esse jubet, postridie cum uxore, & pecunia Carthagine discessurum incolumen. Tum dimisso Reparato Antistite, Areobindum, & Athanasium in Palatio cœna adhibuit. Ac cœnanti quidem Areobindo honorem deferens, ei primum concessit in accubitu locum: cœnatum autem detinuit, coegitque solum quiescere in cubiculo: quo postea Ulitheum immisit cum nonnullis aliis, qui illum plorantem ejulantemque, & miserabiliter deprecantem obtruncarunt. Abstinuere manus ab Athanasio, senectuti hominis, ut equidem interpretor, per contemptum parcentes. Hæc de tyranno Gontharide & nece Areobindi Procopius, qui paulo post addit, post dies triginta sex eumdem Gontharidem dolo necatum ab Artabane Duce, quem convivio exceperat: hisque diffuse narratis, idem Procopius finem imponit historiæ de bello Vandalico in hunc usque annum conscriptæ, quod feliciſsime inchoatum, ac pene absolutum, denuo restauratum difficillimumque in dies redditum est, crebris defectionibus populorum, emergentibus novis tyrannis, postquam Imperator, sive ejus ministri sacrilege agentes, in insula Romanum Pontificem, Silverium scilicet, mori coegerunt. JESU CHR. AN. 545.

JESU CHRISTI AN. 546. VIGILII PAPÆ 9.
JUSTINIANI IMP. 20. TOTILÆ REGIS 6.

1. Insequenti anno Domini 546. post Coff. Basilii quinto, Totilas Spoletum, Perusiumque post diutinam septem mensium obsidionem occupavit. Perusii oppidum vir fortis Cyprianus, quem nec minis, nec precibus Gothi flectere potuerunt, fortiter defendit. Hunc Totilas per Ularium Cypriani armigerum, dolo interemit, ut narrat Procopius, eo- S. Herculan. Perusiæ Episcop. a Totila Rege necatur.

Jesu Chr. An. 546.

Procop. de bello Goth. lib.3. cap.3.

S.Greg. Dialog. lib. 3. cap. 13.

que sublato, oppido potitus est. Eoque tempore S. Herculanus ejusdem civitatis Episcopus martyrium subiit, teste S. Gregorio: *Nuper quoque floridus venerabilis vir vitæ Episcopus narravit quoddam memorabile valde miraculum.* (Fuit hic Floridus Tifernas Episcopus sanctitate clarus, de quo inferius idem Sanctus Gregorius meminit.) *Sanctissimus Herculanus nutritor meus, Perusiæ civitatis Episcopus fuit, ex conversatione monasterii ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi Regis temporibus eamdem urbem annis septem continuis Gothorum exercitus obsedit; ex qua multi civium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero septimo nondum finito, obsessam urbem Gothorum exercitus intravit*; hic adnotandum loco anno septimo legendum esse *mense septimo*; ut ex Procopio constat, qui Totilæ gesta minutissime refert. Sed Pergit S. Gregorius: *Tunc Comes, qui eidem exercitui præerat, ad Regem Totilum nuncios misit, exquirens quid de Episcopo, vel populo fieri juberet. Cui ille præcepit, dicens: Episcopo prius a vertice capitis usque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput ejus amputa: omnem vero populum, qui illic inventus est, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum super urbis murum deductum capite truncavit, ejusque cutem jam mortui a vertice usque ad calcaneum incidit, ut ex ejus corpore corrigia sublata videretur: moxque corpus illius extra murum projecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput cervici apponentes, cum uno parvulo infante, qui illic extinctus inventus est, juxta murum corpus Episcopi sepulturæ tradiderunt. Cumque post eamdem cædem die quadragesimo Rex Totila jussisset, ut cives urbis illius, qui quolibet dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione remearent: hi qui prius fame fugerant, vivendi licentia accepta, reversi sunt: sed cujus vitæ eorum Episcopus fuerat memores, ubi sepultum esset corpus illius quæsierunt, ut hoc juxta honorem debitum in Ecclesia B. Petri Apostoli humarent. Cumque itum esset ad sepulchrum, effossa terra invenerunt corpus pueri pariter humati, utpote jam die quadragesimo tabe corruptum, & vermibus plenum: corpus vero Episcopi, ac si die eodem esset sepultum: & quod est adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput ejus unitum fuerat corpori, ac si nequaquam fuisset abscissum, sic videlicet, ut nulla*

S. Herculanus martyrio coronatur.

nulla vestigia sectionis apparerent. Cumque hoc & in terga verterent, exquirentes si quod signum, vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inventum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset. Hactenus de Sancto Herculano Gregorius.

De Cernobio Populonii Episcopo.

2. Occupata Perusio, Populonium Totilas aggreditur, a qua cum octo tantum milliaribus abesset, de sancto Cernobio Episcopo spectaculum truculentum populo exhibuit, quod sanctus Gregorius refert. Accidit enim, ut in dies magis magisque sæviret Rex barbarus; qui etsi de ferocia sua monitis sancti Benedicti aliquid ad tempus remisisse visus esset, idem nihilominus paulo post ad eamdem rediit, ut tum ex iis quæ dicta sunt, tum etiam ex iis quæ mox dicemus, manifesto constat. De crudelitate, quam exercuit in S. Cernobium Populonii Episcopum, dum idem barbarus Rex hoc anno in Tuscia (ut tradit Procopius) versaretur, idem S. Gregorius his verbis narrat: *Vir quoque vitæ venerabilis Cernobius Populonii Episcopus magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam cum hospitalitatis studio valde esset intentus, die quadam transeuntes milites hospitio suscepit, quos Gothis supervenientibus abscondit, eorumque vitam ab illorum nequitia abscondendo servavit. Quod dum Gothorum Regi perfido Totilæ nunciatum fuisset, crudelitatis immanissimæ vesania succensus, hunc ad locum qui octavo hujus urbis milliario Merculis dicitur, ubi tunc ipse cum exercitu sedebat, jussit deduci, eumque in spectaculo populi ursis ad devorandum projici: cumque idem Rex perfidus in ipso quoque spectaculo consedisset ad inspiciendam mortem Episcopi, magna populi turba confluxit. Tunc Episcopus deductus in medium est, atque ad ejus mortem immanissimus ursus exquisitus, qui dum humana membra crudeliter carperet, sævi Regis animum satiaret. Dimissus itaque ursus ex cavea est, qui accensus & concitus Episcopum petiit: sed subito suæ ferocitatis oblitus, deflexa cervice, submissoque humiliter capite, lambere Episcopi pedes cœpit: ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei, & ferina corda essent hominum, & quasi humana bestiarum. Tunc populus, qui ad spectaculum venerat mortis, magno clamore versus est in admirationem venerationis. Tunc ad ejus reverentiam colendam Rex ipse permotus est; quippe cum quo superno* judi-

Greg. Dial. lib. 3. c. 11.

S. Cernobius Episcopus obiicitur Urso.

Jesu Chr. An. 546. *judicio actum erat, ut qui Deum sequi prius in custodienda vita Episcopi noluit, saltem ad mansuetudinem bestiam sequeretur. Cui rei hi, qui tunc præsentes fuerunt, adhuc nonnulli supersunt, eamque cum omni illic populo se vidisse testantur*. Hæc de S. Cernobio Gregorius, qui de eodem alia, quæ contigerunt tempore Longobardorum, mox subjicit; sed de his suo loco.

Totilas urbem obsidet.

Procop. de bello Goth. lib. 3.

3. Didicit igitur ferus homo ab urso humanitatem, quam tamen cito exuit, ut dicemus. Interea ad Urbis obsidionem Totilas accessit; unde, idem Procopius: *His Totilas rebus peractis, Romam contendit, quam statim ubi proxime ventum, obsedit, agrorum vero cultoribus per omnem Italiam mali nihil quidpiam intulit; sed terram ut intrepide colerent, nil secus ac antea imperavit, sibique ac Reipublicæ tributa dependerent, & fructus dominis reportarent.* Obsessis tamen commiserationem omnino negavit. Etenim cum sciret, qui Romæ essent, fame laborare, omnem mox interclusit viam terra marique per quam victualia inferri possent in Urbem, cumque gravi præmeretur fame; ad sublevandam Urbem Pelagii Diaconi cura adfuit, inita etiam ad Totilam legatione, sed frustra. *Erat*, inquit Procopius, *tunc forte inter Romanos, & sacros viros Pelagius quidam Diaconus, Romam haud ita pridem cum magnis opibus reversus Byzantio: ubi diu moratus, in Justiniani Aug. amicitiam se se penitus insinuaverat. Obsessa urbe, maximam pecuniæ partem largitus inopibus, sua illa benignitate, ad pristinum nominis splendorem, quem apud Italos omnes obtinuerat, meritum adjecit cumulum. Romani, in summas angustias adducti fame, huic Pelagio persuadent, ut Totilam adeat, & paucorum dierum inducias ea conditione paciscatur, ut, si intra id tempus Byzantio subsidii nihil acceperint, secum urbem Gothis permittant.* Advenientem quidem benigne excepit Totilas, & eleganti oratione hinc inde habita, quam Procopius recitat, re infecta Pelagius in urbem rediit, quæ ubi a Romanis excepta sunt, ne urgente fame omnes perirent, Bessam & Cononem Justiniani Duces rogarunt Romani, ut aut alimenta præberent, aut urbe ejicerent, vel saltem interficerent. *At Bessas his auditis, respondit, cibaria se præbere non posse; occidere esse impium; dimittere periculosum. Belisarium e Byzantio missum exer-*

Pelagii legatio ad Totilam.

exercitum propediem affore asseveravit, itaque eos consolatus, remisit, ait Procopius. Urgente interea dirissima fame, Bessas & Conon, qui præsidio Romano præerant, frumentum, quod intra muros Romæ recondiderant; milites etiam quod detrahebant de suo victu, Romanis divitibus multa pecunia vendebant: deficiente paulo post pecunia, pretiosam suppellectilem pro frumento dabant, si cui mortuus equus, aliudve quodpiam simile erat, is inter felicissimos numerabatur, quod carnibus extinctæ pecudis famem satiare posset. Vulgus vero nihil edebat aliud, nisi urticas, quæ passim circa urbis mœnia, atque in ruderibus copiosissime nascuntur. Ac ne labra faucesque laceraret herbæ asperitas, coctas mandebant. Cumque hæc ipsa esca cunctis non sufficeret, plerique exhaustis adductisque macie corporibus, & colore in luridum paulatim verso, spectris persimiles fiebant. Multi inter ambulandum, dum dentibus urticas comederent, repente exanimes cadebant; nec pauci violentas sibi manus inferebant, urgente fame, cum nec canes amplius reperirent, nec mures, neque aliud quodpiam animal, quo cibarentur. Inter eos Romanus quidam, liberorum quinque pater, cum panem non haberet, ut petentibus filiis daret, filios secum ad Tiberis pontem duxit, iisque præsentibus sese præcipitem dedit. Ad postremum vero cum copiæ missæ Constantinopoli ab Imperatore, variis in via belli detentæ, & a Gothis interea profligatæ essent; milites Romæ degentes obsessi, clam prodendi Urbem consilium iniere, cum nulla adhuc evadendi spes superesset. Nam Valentinus, & Phocas, cum aliquot militum turbis ad urbis subsidinm a Belisario missi, Gothorum insidiis agressi pugnando interempti sunt, ut narrat Procopius.

JESU CHR. AN. 546.

Quam dira Romani in ea obsidione sint passi.

Vulgus urticas comedit.

Patris miseri desperatio.

4. Urbi afflictæ, diraque fame laboranti opem ferre conatus est Vigilius Papa in Sicilia adhuc subsistens. Nam *eodem tempore*, ait Procopius, *Vigilius Romanus Pontifex e Sicilia ubi morabatur onustas frumento naves quamplurimas misit, persuasum habens eos, qui imposita ratibus onera agerent, Romam quomodocumque ingredi posse. Cum eæ naves in portum Romanum tenderent, re hostes cognita, momento antegressi, portum subeunt, & intra septum parietum delitescunt, ut simul ac navigia illuc appulsa fuerint, ea nullo negotio capiant. Id conspicati, qui in oppido Portu præsidium agi-*

Vigilii Papæ sollicitudo in urbe sublevanda.

Procop. de bello Goth. lib. 3. c. 15.

Jesu Chr. An. 546.

agitabant, murorum pinnas certatim omnes ascendere, & vestium jactatione signum dare nautis, ne porro pergant sed alio, quocumque sors tulerit, cursum detorqueant. Illi rem conjectura non assequentes, & Romanos, qui erant in oppido, exultare, seque ab illis in portum invitari existimantes, secundo vento festinationem juvante, portum intrarunt. Vehebantur una Romani multi, inter quos erat Episcopus, nomine Valentinus (Silvæ candidæ) *Consurgunt ex insidiis Barbari, navesque omnes, repugnante nemine, capiunt. Vita capto Episcopo servata, duxerunt illum ad Totilam: cæteris ad internecionem cæsis, trahentes navigia cum oneribus abierunt. Ex Episcopo quæ scire avebat percuntatus Totilas, ipsum mendacii insimulatum, manibus truncavit.* Hæc Procopius de Vigilii erga Romanos, qui diutissima fame angebantur, pastorali sollicitudine, etsi ea frui non fuerit concessum.

Quæ Vigilius CP scripserit circa tria capitula.

5. Cum autem longiores in Sicilia moras traheret Vigilius Papa, diversas ibidem ex Oriente, & Occidente legationes suscepit. Inter alios Dacius Mediolanensis Episcopus Constantinopoli rediens in Italiam, Zoili Alex. Episcopi legatione fungens, una cum Episcopis Africæ, & Sardiniæ, ne Justiniani edicto adversus tria capitula vulgato subscriberet, hortati sunt; quorum precibus favisse narrat Facundus, ac comminatorias etiam ob eam causam ad Justinianum litteras scripsisse addit.

Facund. l. 4.

Sed ecce jam veniens, (Vigilius) *ex itinere quod ei videbatur edixit & facti hujus auctori correctionem tumultuariæ suæ transgressionis indixit; & nisi citius, quod male factum est, auferretur, etiam vindicaturum se esse prædixit, protestans & dicens cum Apostolo & Timotheo: Ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar a vobis qualem non vultis.*

2. Cor. 12.

Erant hæc in epistola, quam Constantinopolim Vigilius misit, quam etiam iisdem præcurrentibus Legatis dedit ad Imperatorem, ne quid innovari pateretur: & ut profanas vocum novitates vitaret, admonebat. Unde iterum Facundus: *Quid ergo adhuc quæritur, utrum contra fidem, & Synodum Chalcedonensem factum fuerit (quod dolemus) quando ille, cujus dicebatur expectari sententia, profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, in ipsius facti auctorem sibi vendicaverat arguendas? Denique etiam beatum Dacium Mediolanensem Episcopum, quem hinc reversum in Sicilia se vidisse perhi-*

perhibuit, & alios consacerdotes suos, sed venerabilis memoriæ Stephanum solum, quem Romanæ Ecclesiæ suos approbavit, quod & pro hac causa a venerabilis Mennæ hujus regiæ urbis Episcopi communione suspenderit, & eos qui ei communicaverant, sub debita satisfactione susceperit.

JESU CHR. AN. 546.

6. A multis etiam ecclesiarum legatis interpellatum fuisse Vigilium, ne trium capitulorum condemnationi juxta Justiniani Imp. votum subscriberet, his verbis refert Facundus. *Non autem solos quos commemoravimus sanctos & venerabiles viros, hoc suum judicasse monstravit, quando non tacuit, quod venientem Africa, atque etiam Sardinia, quamquam non per eas transierit, per ipsius tamen consiliarium publica eum contestatione pulsaverint, sicut Hellas, & Illyricus Provinciæ, per quas venit; ut nullatenus novitati, quæ facta est, conquiescat. Non ergo civilis hæc causa credenda est, nec talis, quæ pro ecclesiarum pace ferenda sit; sed quæ merito judicaretur contra ipsius Catholicæ fidei statum, hæreticorum subreptione commota; pro qua pars maxima orbis Christiani, quæ potuit, primum inter primos Christianos sacerdotem publica contestatione pulsavit: & Romana quidem universitas, atque Africa, priusquam Romani Antistitis acceperimus epistolam, non parvo jam agnoveramus indicio, quid de hujus facti novitate sentirent.* Hactenus Facundus de Vigilii Papæ rebus gestis hoc anno, antequam Constantinopolim perveniret.

Multæ Provinciæ contestatæ sunt Vigilium Pap.

7. In Sicilia CPolim transiturus commorans Vigilius ad Aurelianum, qui Auxanio in Arelatensi sede successerat, litteras hoc anno dedit, quibus ei vicariam Sedis Apostolicæ potestatem dedit, & de munere obeundo edocuit his verbis:

Vigilii epist. ad Aurelianum Arelati Episcop.

Dilectissimo Fratri Aureliano Vigilius

Administrationem vicum nostrarum fraternitati vestræ animo libenti committimus, & credimus caritatis vestræ officio actibus Deo placitis diligenter universa compleri; quando & summi sacerdotii consortio vos dignos divina esse gratia judicavit, & gloriosissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonio voluntas accessit. Quapropter vices nostras vestræ caritati hac auctoritate committimus, ut universaque decessorum nostrorum, vel canonum statuta sanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque servando, & nostrum, & præ-

Labb.concil. to.5.pa.326. to. 5.p.326.

Jesu Chr. an. 546.

& prædicti gloriosi Regis judicium circa caritatem tuam rectum fuisse possis ostendere &c. . Ac quæ essent Vicariorum Sedis Apostolicæ officia commemorat; & qua sedulitate ea agenda essent, hortatur; eademque Lece anno proximo Auxanio ejus Decessori scripserat, quæ idem in memoriam revocat; unde eadem hoc loco ea repetere superfluum judicamus. Alteram ad Episcopos Galliarum epistolam dedit, qua Aureliano suas vices mandasse, edocet: ac jubet, ut vocati ab ipso ad synodum omnimodo pareant, neque ad longinquiora loca proficisci audeant, nisi petitis ab ipso formatis epistolis.

Ob diem Paschatis CP contentio exoritur.

Theoph. in chron.

8. Ob diem Paschatis, & quadragesimæ initium CPoli magna animi contentione hoc anno pugnatum est, ut Theophanes ad annum juxta Alex. 538. Kal. Septemb. superiori anno inchoatum, refert. *Terra Bizantii tremuit, Paschalis quoque termini perversus est ordo. Habuitque populus carnis privium Februarii die 4. Imperator autem carnem alia sequenti hebdomada palam divendi sanxit. Lanienam itaque cuncti exercuere Macellarii, tractavere, & venalem exposuere, nullus tamen pretio comparavit, aut comedit carnem. Paschalis igitur solemnitas, prout decreverat Imperator, celebrata est, ac simul deprehensum una amplius, quam debuerat hebdomada populum jejunasse.* Eademque narrant Nicephorus, auctor Miscellæ, & Anastasius; at depravata Theophanis versio, quam auctor Miscellæ, & Anastasius secuti sunt, doctissimos viros in errorem traxit, ut vel anno superiori hæc dissidia collocent, vel errorem Justiniano adscribant. Aliter enim rem contigisse Norisius adnotat. Græci quippe quadragesimam incipiunt feria secunda post Dominicam sexagesimæ, unde hæc Dominica ab eisdem *Apocreos* dicitur, quod ultima dies est carnis privii. Sequenti hebdomada, lacticiniis & caseo vescuntur, usque ad Dominicam quinquagesimæ inclusive, quæ tyroghagos dicta est ab esu casei. Feria vero secunda post Dominicam quinquagesimæ jejunium inchoant, non modo a carnibus, sed etiam a lacticiniis, immo & a piscibus abstinentes: hinc quando Miscellæ auctor, vel Anastasius scribunt populum CP. die 4. Februarii habuisse apocryoseon, legendnm est, habuisse plebem carnis privium, ut in editione regia legitur. Ea enim erat dies Dominica Apocrei, qua carnes comedebantur, & quidem copiosius ob vicinum initium quadragesimæ, sequenti die inchoandum, & hoc

Bar. an. 545. Leo Alatius de Domin. & hebdom. Græcorum. Aleman. in notis ad historiam arcanam Procopii. *Noris. de syn. 5. c. 3. Pag. not. 6. an. 545. Basnag. an. 546.* De his pluribus agit Leo Allatius dissert. de Græcorum hebdomadis post tractatum de consensu ecclesiæ latinæ & Græcæ.

& hoc anno die 4. Febr., ea Dominica fuit. Ex quibus etiam certo patet labenti anno hæc contigisse, non superiori, quo Dominica Apocrei 19. Febr. fuit. Cum itaque populus putaret Pascha celebrandum esse die prima Aprilis, habuit carnis privium die 4. Febr., quam plebs existimabat esse Dominicam Apocrei, cœpitque jejunare die quinta sequenti. At Justinianus cum diem Paschatis celebrandum esse judicaret VI. idus Aprilis, Dominicam Apocrei haberi jussit tertio idus Feb.. Erraſſe autem populum non Justinianum certum est, nam terminus Lunæ 14. Martii incidebat eo anno 546. in diem primam Aprilis Cyclo Solis 23. Lunæ 15. lit. G. Quare Imperator juxta approbatum Ecclesiæ ritum, de quo scribit D. Ambrosius in epistola ad Episcopos Æmiliæ, non permisit Kalendis Aprilis, quæ dies erat terminus Lunæ decimæ quartæ, Pascha celebrari, uti Populus perperam contendebat, sed Dominica prima post diem termini, nempe octava die Aprilis, qua die ab omnibus etiam in Occidente Paschale festum eodem anno peractum fuit. Porro Græci quadraginta dies a feria secunda post Domicicam Sexagesimæ, usque ad Pascha jejunabant, nam neque Sabbatis, nec Dominicis jejunium peragebant, excepto tamen Sabbato Sancto, ut patet ex Canone 55. Trullano. Hinc Dorotheus Abbas ser. 15. de sanctis jejuniis ait: *Octo enim Hebdomades subtractis Sabbatis, & Dominicis quadragesimæ dies perficiunt præhonorato quoque in se ipso jejunio Sabbati Sancti.*

JESU CHR. AN. 546.

Clothildis Reginæ obitus.

10. Ad hæc tempora Clothildis, Clodovei Magni uxoris, mortem historici collocant, cujus annum in obscuro remansit. Vivo adhuc Injurioso Episcopo Clothildem obiisse scimus ex S. Gregorio Turonensi. Cum itaque Injuriosum, qui concilio Aurelianensi II. anni 532. interfuit, hoc anno historici Gallii obiisse asserant; hinc nec Clothildem ultra hunc annum vixisse constat. Post civile bellum a Childeberto, & Theodeberto Francorum Regibus contra Clotharium Francorum Regem excitatum, quod Clothildis Beati Martini intercessione sedavit, ut refert idem Turonensis, de quo anno 537. egimus, nulla amplius de Clothilde mentio occurrit, præter ejus mortem, de cujus beato transitu hæc Gregorius habet: *Clothildis Regina plena dierum, bonisque operibus prædita, apud urbem Turonicam obiit tempore Injuriosi Episcopi. Quæ Parisios magno cum psallentium præconio*

 de-

Jesu Chr. An. 546.

deportata, in sacrario basilicæ S. Petri ad latus Clodovei Regis sepulta est a filiis suis Childeberto, atque Clothario Regibus: nam basilicam ipsa construxerat, in qua & Genovefa beatissima est sepulta. Hæc Gregorius. Unde ea ecclesia S. Genovefæ nomen accepit. Clothildis nomen tabulis ecclesiasticis inscribitur ad diem III. mensis Junii. Ejus reliquiæ in eadem ecclesia etiamnum asservantur, cujus vitam exhibet Mabillonius.

De Ilerdensi & Valentina synodis earumque anno, & gestis.

11. De Ilerdensis, & Valentinæ in Hispania synodorum epocha, quarum nulla apud Baronium mentio occurrit, dissident scriptores. Plerique etenim cum Labbeo, & Binnio ad annum 524. eas pertinere tradunt anno decimoquinto Theodorici Regis; at Pagius, cui eruditorum plurimi subscribunt, ac inter eos conciliorum Hispaniæ eruditus editor De Aguirre, ad labentem annum eas transferendas esse synodos censet, ac ex melioris notæ Codicibus, loco anno 15. Theuderici sive Theodorici, legendum esse anno 15. Theudæ Regis probant. Ilerdensi autem synodo Episcopi novem subscripsere, quorum primus erat Sergius Terraconensis Metropolita, & synodi Præses, Canones sexdecim ad disciplinam ecclesiæ reformandam hæc synodus vulgavit. Valentina vero synodo sex tantum adfuere Episcopi, totidemque canones editi sunt. Ilerdensis synodi canon primus, eos qui in obsidione sanguinem fuderant duobus annis a communione excludit. 2. Utriusque sexus Adulterii reos post pœnitentiam annorum septem recipi posse ad communionem permittit, Clericos adulterii reos in perpetuum a ministrando excludit. Qui vero male conceptos fœtus enecare potionibus, alioque modo studuerint, ut usque ad vitæ exitum in pœnitentia perseverent, jubet. Incestus reos, quamdiu in illicita conjunctione perseveraverint, inter catechumenos stare jubet canon quartus. Quintus & sextus Ministrorum ecclesiæ cujuslibet ordinis incontinentiam frenat, itaut si quis in crimen relapsus fuerit, usque ad vitæ exitum pœnitentiam agere jubetur. Ad Judiciorum ordinem, ecclesiæ dignitatem aut immunitatem, vel bonorum administrationem ceteri canones, sicuti & alteri sex Valentinæ synodi, spectant, unde ab iis exscribendis abstinemus.

Pag. ad an. Bar. 546. not. 10. & 11.

JE-

JESU CHRISTI AN. 547. VIGILII PAPÆ 10.
JUSTINIANI IMP. 21. TOTILÆ REG. 7.

1. Insequens annus 547. postCss. Basilii sextus inscribitur, idemque belli Gothici decimus tertius numeratur, quo Totilas post diutinam urbis obsidionem, ea tandem militum proditione potitus est. Luctuosam tragædiam longa oratione prosequitur Procopius, cujus hæc summa est: quod dum Bessas militum & urbis Præfectus in eo totus esset, ut Romanorum ditissimos, quos parcissime collata alimonia sustentabat, auro, argento, & pretiosa suppellectile expoliaret, Murorum urbis custodiam adeo negligebat, ut vix pauci ad murorum custodiam milites noctu vigilarent. Quamobrem Isauri quatuor, qui custodiam ad Portam Asinariam agebant, funibus extra murum dilapsi Totilæ promiserunt, se in urbem ipsum, Gothorumque exercitum accepturos; quibus cum magnam pecuniæ summam promisisset, si promissa implevissent, illi noctis tempore per Asinariam portam Totilam cum exercitu admiserunt. Totilas itaque Urbem ingressus, insidias hostiles timens, exercitum continuit; at facto mane, & tumultu exorto, Romani milites fere omnes alia porta, prout cuique licuit, evasere cum Ducibus: pauci cum Romanis residuis in sacras Ædes se receperunt. Ex Patriciis, Decius, Basilius, aliique nonnulli, quibus equi suppetebant, fugientem Bessam secuti sunt: *Maximus, Olybrius, Orestes, & quidam alii in templum Petri Apostoli perfugerunt. Ex plebe quingenti in urbe tota restabant, qui vix templis se committere potuere: cæteri jam ante partim alio concesserant, partim fame, ut supra dixi, perierant*, ait Procopius. Interea dum Gothi obvios quosque obtruncarent, ac urbem diriperent, Totilas in Petri Basilicam se contulit, cui Pelagius, *Christi oracula manibus prætendens, se obtulit, atque impense obsecrans, Tuis, ait, parce Domine. Deridens ille ac delicias faciens, ita subjicit: Jam supplex, Pelagi, venis. Cui Pelagius: quoniam, inquit, tuum me servum effecit Deus. At tu, Domine, servis in posterum tuis parce. Huic Totilas petitioni concedens, edixit Gothis, Romanorum neminem omnium posthac cæderent; ac reservatis, quæ ipse habere vellet, pretiosissimis quibusque, cætera pro arbitratu auferrent. Multa in Patricio-*

Totilas proditione Isaurorum militum Romam invadit.

Murat. annal an. 546. Pag. an. 547. not. 1.

Jesu Chr. an. 543.

ciorum domibus reperit, maximeque ubi Bessas diversabatur: cum ille scelestus Dæmon inique confectam, ut dictum est, ex vendito frumento pecuniam Totilæ congessisset &c. Gothos deinde in unum coactos, ut justitiam, æquitatem sectarentur longa oratione Totilas hortatus est. Quare post multa subdit: *Neque enim Deus certo cuidam hominum generi, nec naturæ gentium auxiliari in bello solet; sed iis, qui jus fasque impensius colunt. Neque ipsi difficile est ad alios bona transferre, cum arbitrii quidem humani sit solum abstinere injuria: at Deus omnia in sua ditione habeat, ac potestate. Quare dandam esse operam dico, ut inter vos, atque erga subditos æquitatis officia servetis, hoc est, ut certam felicitatem retineatis.* Ita quidem Totilas apud suos egregie philosophatus, & justitiæ cultu a Deo rependi victoriam docuit.

Totilæ querelæ adversus Senatores Urbis.

2. Deinde prosequitur Procopius: *Coacto etiam Senatu Romano multa exprobravit, & cavillando objecit, quod pluribus a Theoderico, & Athalarico affecti beneficiis, omnibus semper ornati magistratibus, ad Reip. administrationem adhibiti, opibusque aucti ingentibus; animo in Gothos tam beneficos ingratissimo, summaque injuria cum exitio suo conjuncta defecissent, & Græcos induxissent in patriam, sui proditores repente facti &c.*, ac cum multa in eam rem addidisset, pro sontibus intercessor adfuit Pelagius Diaconus, de quo supra mentio facta est, iramque Regis fregit: *Pelagius lapsos infelices a Totila deprecari non abstitit, donec ille eos remisit, promissa clementia erectos. Deinde ad Justinianum Augustum Legatos misit, Pelagium, ac Romanum Causidicum Theodorum, gravissimo devinctos jurejurando, fore ut sibi præstarent benevolentiam, & in Italiam quam primum redire satagerent. Porro mandavit, vires omnes intendere ad impetrandam sibi pacem ab Imperatore; ne Romam funditus exscindere, & sublato internecione Senatu, bellum portare in Illyricum cogeretur: litteras etiam dedit ad Imperatorem, jam de rebus Italiæ certiorem factum. Legati cum ad ipsum venissent, quæ habebant a Totila mandata exposuerunt, & litteras reddiderunt, in hanc sententiam scriptas. Quoniam quæ Romæ contigerint, tibi plane esse comperta arbitror, ea silentio præterire constitui. Jam vero intelliges hujus causam legationis. Petimus ut pacis commoda, & amplectaris ipse, & nobis concedas: quorum monumenta, atque exempla præclarissima*

Pelagius rogat pro captivis.

Totilæ epistola ad Justinianum.

ſima nobis ſuppeditant Anaſtaſius, ac Theodoricus, qui nuper ita regnarunt, ut pace, & felicitate ætatem ſuam impleverint. Hoc tibi ſi collibitum erit, merito pater meus vocaberis, ac nos deinceps in quemcumque voles, habebis armorum ſocios. Hæc Totilas ad Juſtinianum Auguſtum; ſubdit vero Procopius: *His lectis, & quæcumque Oratores aſſerebant, auditis, confeſtim illos Juſtinianus Aug. remiſit, neque aliud tunc reſpondit ipſis, Totilæque reſcripſit, niſi Beliſarium belli Imperatorem eſſe, & propterea componere poſſe cum Totila arbitratu ſuo.*

JESU CHR. AN. 547.

3. His exacerbatus Totilas, ut ab Juſtiniano Imperatore pacem ſibi negari cognovit, urbem funditus delere meditabatur, & revera *muros diverſis in locis diruit; ita ut ruinæ tertiam fere totius ambitus partem efficerent: Ædificia quoque pulcherrima, ac magnificentiſſima delere flammis parabat, & mutare Romam in gregum paſcua. At Beliſarius ad ipſum Oratores, & litteras miſit.* Quibus eum ab hujuſmodi propoſito deterruit, demonſtrans nil emolumenti eum inde accepturum, maximam vero nomini ſuo labem apud cunctas gentes illaturum. *Totilas vero perlecta ſæpe epiſtola, & accurate perpenſa admonitione, dedit manus, nec Romam multare inſtitit; ſua voluntate Beliſario ſignificata, illico Oratores remiſit.*

Totilas muris aliqua ex parte ſpoliat Urbem.

4. Romanæ cladis acerbitatem & diem, qua Totilas Romam ingreſſus, & inde digreſſus eſt; his verbis narrat Marcellinus in chronico: *Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam die XVI. Kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit: hos ipſos Romanos in Campaniam captivos adduxit, poſt quam devaſtationem, quadraginta aut amplius dies Roma fuit ita deſolata, ut nemo ibi hominum, niſi beſtiæ morarentur. Hinc veniens Beliſarius murorum partem reſtaurat, venienteque Totila ad pugnam reſiſtit.* Cum itaque murorum partem eo conſilio diruiſſet Totilas, ne cogeretur exercitum in ea ad præſidium relinquere; Beliſarius tamen in eam cito rediens, dirutos reſtauravit muros foſſiſque munivit, ita ut Totilam e Lucania, ad hunc nuncium reverſum, repellere potuerit, qui ab ea ſpe rejectus, Tiburim ſe contulit, unde bellum adverſus Romanos inſtauravit; Romamque iterum occupavit, ut ſequentibus annis videbimus.

Roma in ſolitudinem redacta.

5. In-

JESU CHR. AN. 547. Vigilius Papa CPoli cum honore exceptus.

5. Interea cum ultra annum variis distentus curis in Sicilia Vigilius Papa substitisset, CPolim hoc anno belli Gothici duodecimo ingreditur, ut narrat Procopius. *Vigilius Romanus Pontifex Bizantium Imperatoris accitu venit ex Sicilia, ubi jam diu degerat*. Et quidem die VIII. Kal. Febr., idest, 25. Januarii, ut prodit Marcellini continuator ad annum 6. postcoss. Basilii, his verbis. *Papa Vigilius ingressus est Constantinopolim VIII. Kal. Febr.*. Splendide magnificeque eum excepit Justinianus, si vera prædicat Anastasius. *Tunc*, inquit, *obvius est ei Imperator, exosculantes se ceperunt, & plebs illa psallebat ante eum, usque ad ecclesiam Sanctæ Sophiæ dicens: ecce advenit Dominator Dominus*. Romano quoque Pontifici occurrerunt, quotquot in regia urbe aderant ecclesiastica, vel seculari dignitate præstantes, teste Facundo. *Et quia Episcopi maxime occurrerunt in ejus adventum, quorum nulla in hac causa subscriptio tenebatur, & de sua integritate securi*. Marcellini vero continuator: *Hoc anno Roma a Gothis capta est. Papa vero Vigilius CP. profectus, & ab Imperatore summis honoribus exceptus, catholicæ ecclesiæ unitatem, & concordiam se præstiturum, & tria capitula anathemate proscripturam pollicitus est*. Interea post tot honoris, ac venerationis signa ab Imperatore, & Episcopis Vigilio exhibita, contumeliæ ac opprobria subsecuta sunt. Cum etenim Vigilius in ea adhuc sententia esset, ut nefas duceret in trium capitulorum condemnationem subscribere, Imperatoris, ac Theodoræ Augustæ, & Episcoporum, qui Justiniani edicto pro eorum condemnatione subscripserant (Mennæ præcipue CP Episcopi) indignationem in se concitavit. Sed Vigilius horum favorem, ac minas spernens, nec animam suam pretiosiorem se faciens; insigni facto Apostolicæ sedis auctoritatem, ac animi magnanimitatem ostendit, ac contra Acephalos decretum promulgavit, quo eos cum Theodora Augusta, quæ iis impense, aperteque patrocinabatur, anathemate percussit.

Quæ Vigilius CPoli sustinuerit.

6. Quæ Vigilius Papa Constantinopoli egerit, quæve ibidem Pontifex sustinere coactus fuerit, ex Mennæ insidiis, & Justiniani Imperatoris indignatione, his verbis narrat Marcellini chronicon. *Tantis honorum, & cultus indiciis ab Imperatore decoratus* (Vigilius scilicet) *adeo animatus, ut a communione exclusionem menses quatuor susti-* nen-

nendam Mennæ CP. Episcopo in pœnam imponeret : & ex adverso Mennas parem animadversionem in eum constitueret. Ob irrogatam itaque pœnam hujusmodi, tum quod ea, quæ de Ecclesiarum concordia & unione consulta decretaque fuerant, a Vigilio non adimplerentur, Imperator indignatus, misit qui eum detinerent. Ille Imperatoris iram veritus, ad Sergii Martyris altare, quod in Hormisdarum monasterio erectum, confugit, a quo vi revulsus, apprehensus Altaris suffulcientes columnas, ceu gravi proceroque corpore validus, secum traxit, & omnino evertit. Demum Imperator facti pœnitens Papam Vigilium in gratiam recepit. Vigilius pariter a Theodora Augusta rogatus, Junii die vigesimo nono, qui Sanctis Apostolis Sacer, Patriarchæ Constantinop. Mennæ pacem restituit. Idemque confirmat epistola Petri Antiocheni ad Michelem: *Contigit autem ut ad breve tempus Vigilius a Relatione resecaretur, propter contentionem, quam habuit cum sanctissimo Menna, quod hunc deposuisset, donec iterum pace inter ipsos constituta, reconciliati sunt Pontifices. Nicephorus vero: Vigilius eo progressus est, ut & Mennam a communione quatuor mensibus excluserit: idem sane & Mennas adversus illum fecit. Deinde: Vigilius autem sibi metuens, ad Sergii Martyris aram confugit, & sacris ibi fistulis implicitus, non prius inde extractus cessit, quam illas everterit.* Ac paulo post cum Justiniano Imp., & Menna Episcopo reconciliatum fuisset addit. At hæc de vi illata Romano Pontifici dum ad Sergii martyris aram, quod in Hormisdarum monasterio extructum erat, eruditissimi viri rejiciunt, eo quod certum sit anno 552. erat. Vigilium ad Petri templum eadem passum. Verum quid prohibet Vigilium anno 552. ad Basilicam Petri perfugisse, & hoc anno 547. ad Sergii templum bis eamdem injuriam sustinuisse, ut ad rem quoque Norisius adnotat. Quousque hæc diffidia processerint, quemve tandem exitum habuerint, subsequentium annorum historia docebit.

JESU CHR. AN. 547.

Cotel. tom. 2. monum. eccles. Græcæ pag. 148.

Bar. 552. Pag. not. 6. ann. 547.

JESU CHRISTI AN. 548. VIGILII PAPÆ 11. JUSTINIANI IMP. 22. TOTILÆ REGIS 8.

1. Quadragesimum octavum supra quingentesimum annum ingredimur, postcoss. Basilii septimum, eumdemque belli Gothici decimumquartum, quo Totilas Gothorum Rex Ro-

Theodoræ Aug. obitus.

Jesu Chr. an. 548. Romanum exercitum in Campania, & Lucania variis affecit cladibus, ut narrat Procopius. Eodemque anno belli Gothici 14. Justiniani autem Imp. 22., Belisarius Antoninam uxorem suam ex Italia CP. ad Augustam Theodoram misit. *Subinde Antonina Belisarii conjux Bizantium proficiscitur, majorem ad hoc bellum apparatum rogatura Augustam. Verum Theodora Augusta jam morbo objerat, exactis in Principatu annis 21. ac mensibus tribus*. Idem confirmant Theophanes, & Cedrenus, qui ex consueta in Principum reverentia sive adulatione, eam pie obiisse narrant. At Chalcedonensis concilii inimicam, canceris plaga miserrime periisse adnotat victor Tunonensis, ut sic intelligant Reges, & erudiantur Principes servire Domino in timore, qui eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringit. Et sane eam improbis moribus majestatem regiam fœdasse scriptores Græci passim testantur; præceteris vero Procopius in historia arcana, tam nefaria de ejusdem ingenio, vitæque ratione narrat, quæ vix fidem haberent, nisi ex historia hujus temporis, & ab aliis auctoribus, Evagrio scilicet, Victore, Liberato testata fuissent; & ut ea, quæ in Reipublicæ perniciem molita est perditissima femina, prætereamus, ut catholicam fidem, & Chalcedonensem synodum omnino everteret, eousque insaniæ progressa est, ut Silverium Romanum Pontificem in exilio mori perfecerit, Agapetum minis exagitaverit, Vigilium vero CPolim ire coegerit. Unde non immerito, hoc de ea elogium texuit Baronius: *Tanta hæc mala ordita est pessima femina Theodora, quæ altera Eva serpenti obaudiens facta est viro malorum omnium causa, novaque Dalila Sampsoni ejus vires dolosa arte enervare laborans. Herodias altera Sanctissimorum virorum sitiens sanguinem, petulansque Summi Sacerdotis ancilla Petri negationem sollicitans; sed parum sit ipsam hujusceemodi sugilasse nominibus, qua reliquas impietate fœminas antecelluit: accipiat potius nomen ab inferis, quod furiis fabulæ indiderunt, fœmina furens altera potius, vel Megæra, aut Tisiphone noncupanda, civis inferni, amica Demonum, Satanico agitata spiritu, æstro percita diabolico, initæque summo labore inimica concordiæ, pacisque redemptæ sanguine martyrum, & sudoribus confessorum partæ fugatrix*. Hæc Baronius, quæ Epitaphii loco ejusdem sint, de qua etiam plura apud Ale-

Theodoræ ingenium & mores.

Alemannum in notis ad historiam arcanam Procopii videri possunt.

Alemann. Præfat. in hist. arcan. Procopii p 5. De gestis a Vigilio CP.

2. Ad graviora, ac digniora transimus. Cum Vigilius Pontifex Constantinopolim anno superiori (ut diximus) pervenisset, trium capitulorum oppugnatoribus adversarium se præbuit; mox tamen mutata sententia, se ea quoque damnaturum spopondit. Tales quippe ærumnas tunc passus est, ut in publico conventu non semel exclamasse feratur: *Contestor, quia & si me captivum tenetis, Beatum Petrum Apostolum captivum facere non potestis*, ut in libello legatis Childeberti Francorum Regis a Clericis Italiæ dato anno 552. Interea petebat Vigilius, ut in Sicilia, vel alio loco Occidenti proximo, Œcumenica synodus haberetur, ad quam Occidentalis ecclesiæ Episcopi convenire commode possent; at surdis hæc canebat, cum id tantum exigeret Justinianus, ut tria capitula condemnarentur. Mennas interea CP. Episcopus, ut Vigilii Papæ benevolentiam captaret, in suamque sententiam traheret, ejus nomen, quod anno proximo ob dissidia inter utrumque exorta, e dypticis deleverat, ut primo loco recitaretur, jussit, ut narrat Theophanes: *Mense Januario Patriarchæ CP. nomen primo gradu motum est, Vigilio ei præposito, nomen enim ejus in ecclesiasticis tabulis apud primum gradum promotum fuit.*

Sirmond. to. 1. concil. Galliæ pag. 291.

3. Tandem Vigilius tria capitula damnavit, primo secreto, deinde palam & publico in synodo, quæ CP. hoc anno celebrata est; unde Facundus: *Occulta ejus ante judicium pollicitatio tenebatur, in qua se spopondit eadem capitula damnaturum*. Judicii nomine Facundus intelligit synodum 70. Episcoporum, cui Vigilius præfuit, ac datis ad Justinianum, & Theodoram, (dum adhuc viveret) litteris, se condemnationi trium capitulorum consensum præbere testatus est, de quibus in septima sessione synodi quintæ hæc leguntur: *Constantinus gloriosissimus quæstor Sacri Palatii*, missus ab Imperatore hæc synodo loquitur: *Imperator necessarium esse putavit, priusquam finis perfectus a vobis tribus Capitulis imponeretur, chartas quasdam vestro sancto manifestare Concilio, quas & ab initio scribens ad vos destinare promisit, & eas præ manibus habemus, quarum una quidem ad piissimum Imperatorem manu Vigilii religiosissimi scripta est, alia vero ad piæ recordationis Theodoram, Dominam*

Vigilius damnat tria capitula. Facund. contra Mucianum.

JESU CHR. AN. 548. *minam nostram facta, alterius quidem scripta manu, subscripta autem ab eodem religiosissimo viro, in quibus utrisque manifeste est, invenire impiorum istorum Capitulorum condemnationem*. Satis erit ex duabus unam referre, quia altera paucis verbis a priore discrepat.

Vigilii Epistola.

4. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Vigilius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ scribens manu mea, totam hanc chartam dico. Nos semper, per virtutem sanctæ Trinitatis Hæretici numquam fuimus, neque sumus. Jura vero, quæ a Deo donata sunt, sedi meæ exigo. Hoc ergo ne faciat existimare vestram pietatem, quia Hæreticos defendo. Ecce enim satisfaciens vestro invicto Imperio, anathematizans Epistolam Ibæ, quæ dicitur ad Marim Persam missa, anathematizans & dogmata Theodoriti, anathematizans Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ, sicut alienum semper illum fuisse ab Ecclesiis, & sanctorum Patrum adversarium, qui non confitetur, incarnatum Deum Verbum, idest, Christum esse unam subsistentiam, & unam Personam, & unam operationem, anathematizamus. Et si quis dicit alium passum, & alium miracula facientem, & non confitetur unius ejusdemque miracula atque passiones, quas voluntarie perpessus est, carni, quæ est nobis Consubstantialis, quod Græce dicitur homousion, animata anima rationabili, & intelligibili, hunc anathematizat, & sancta nostra Ecclesia, & nos ipsi*. His adde Theophanis testimonium supra laudatum, & Justiniani epistolam Eutychio, aliisque Patriarchis datam pridie idus Julii Chalcedone anno 27., scilicet anno Christi 553. qua testatur vivente adhuc uxore sua Theodora, Vigilium tria repudiasse capitula. Qua de causa eidem exprobrans, quod sententiam mutasset, ac synodo adesse recusaret, ajebat: *Quando Religiosissimus Papa antiquioris Romæ, ad istam magnam civitatem pervenit, omnia ista manifestata sunt (nempe tria capitula a recta fide esse aliena) & cum hæc examinasset, & condemnavit, & satisfactionem in scriptis exposuit tam nobis, quam piæ recordationis tunc conjugi nostræ. Nec enim patiebamur, nec ab eo, nec ab alio quocumque inviolatam communionem suscipere, qui non istam impietatem condemnat. Sed & sacramenta terribilia in scriptis juravit, ut in eadem permaneret voluntate in condemnatione, & anathemate prædictorum Trium Capitulorum, & nullo*

& nullo modo, vel tempore conaretur aliquid ad refutationem condemnationis prædictorum impiorum Trium Capitulorum. Quod autem sine scriptis sæpius condemnavit impia Tria Capitula coram gloriosissimis Judicibus, & religiosissimis Episcopis, & plures ex vobis, qui convenistis, cognoscunt; & hæc agens permansit septem annos. Postea vero & scripta inter vos & illum processerunt, in quibus invicem confessi estis convenire, & synodice prædictorum Capitulorum facere condemnationem. Et postea invitatus tam a nobis, quam a vestra Religiosa Synodo communiter quidem convenire recusavit. Contrariæ autem factus est suæ voluntatis, ea defendens, quæ Nestorii, & Theodori sequaces sapiunt &c.

5. Cum itaque fidem suam Vigilius in trium capitulorum condemnatione obligasset, in synodo septuaginta Episcoporum CPoli congregata, eadem confirmavit, ut auctor est Facundus his verbis. *Quomodo enim non præjudicet, si demonstrentur septuaginta circiter Episcopi cum Romano Antistite CP. congregati, ut illos omittam, qui ante subscripserant condemnasse, cum approbatoribus suis epistolam a Chalcedonensi concilio approbatam.* Synodi hujus fragmenta supersunt apud Facundum, qui unus ex Episcopis fuit, quique præ ceteris ea capitula tuebatur; tuncque pro eorum defensione opus suum conscribebat: *Hoc opus suadentibus fratribus ad Imperatorem C.P. scripsi, quo nondum finito ac pertractato adductus est Romanus Episcopus: in cujus certamine, cum gestis super hac causa disceptaremus, mediante conflictu, interrumpi Acta præcepit, & ab universis Episcopis qui aderamus expetiit, ut scripto quisque ostenderet, quid eis de his capitulis videretur. Cum ergo per Magistrum Officiorum sub gravi necessitate respondere contingeret, vix mihi septem dierum induciæ datæ sunt, in quibus erant etiam duo festi. Unde ut omnia dicerem, quæ magis necessaria judicabam, ex his libris aliqua decerpsi, quia non occurrebat omnia nova dicere: siquidem tria millia versuum excedit illa responsio. Sane quoniam (sicut dixi) nec dum a me pertractati fuerant iidem libri, quædam testimonia pro mendositate codicum, ex quibus ea posueramus, vel pro incuria translatorum aliter continebant; quæ sic etiam in illa responsione transposita sunt. Idcirco præloqui hæc ac præmonere curavi, ut neminem, qui memorata responsione perlecta, hos contigerit*

Vigilius in synodo CP. tria capitula damnat. *Facund. contra Mocia-num.*

Facund. l. 1. pro defensio trium capitul.

 gerit libros, offendat ista diversitas, sed illic ignoscat festinanti, & huic potius credat. Eorum deinde excusationem exsuflat, qui dicebant, se rogata prius Rom. Pontificis sententia in eorum comdemnationem subscripsisse. *Adhuc dicunt, quod de tanta sua præsumptione Ecclesiam quoque Romanam consuluerint, & sententiam beati Vigilii Præsulis expectent*. Et post plura: *Quomodo ab his creditur quartus decimus successor ejus, nempe Leonis, Sanctus Vigilius novum posse aliquid judicare, præsertim illo dicente: Nam secundum Apostolum, si quæ destruxi hæc ædifico, prævaricatorem me constituo,* eo quod antea capitulorum condemnationi subscribere recusaverit. Ad finem operis idem Facundus ad ipsum Imperatorem, cui scribit, admonitionem addit Orthodoxo antistite dignam, hic merito inserendam, dum Theodosii Imp. exemplo eum, quid agere debebat, ita docet: *Major Theodosius Imperator, cujus semper memorabilis erit in Ecclesia Christi memoria, quamquam sæpe de magnorum barbarorum præliis, & de maximorum tyrannorum triumphaverit, non tamen in ejusmodi victoriarum frequentia, in quibus Trajano filio gehennæ comparari non potest, veram meruit gloriam, sed de supplici, & publica peccati sui pænitentia, quam expugnato regali fastigio, placide ac humiliter, Ambrosio Episcopo castigante, suscepit, & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus ab Ecclesiæ communione remotus implevit, pie admodum credens, & sapienter intelligens, quod non ex temporali potestate, qua fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo pervenire posset ad vitam, quod illis erat ipse subjectus. Unde credendum est, quod si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset: sed cum minor est exigendi fiducia, minor est reddendi devotio, non est autem magnus amator veritatis, cui etiam personæ commendet auctoritas*. Et post pauca: *Non tale aliquid petimus corrigi, quale fuit quod excommunicatione ulciscebatur Ambrosius. Illud enim non, quamvis male fuerit gestum, creditum tantum erat Theodosii potestati: quod autem nunc factum est, recte non fieret; quia nulli Regum hinc aliquid agere, sed solis est Sacerdotibus datum, sancire videlicet de fide decretum, cum Imperatorum sit fidem Catholicam coram sacerdotibus profiteri, non eamdem præscribere Sacerdotibus, atque omnibus Christi Fidelibus*. Hæc ad calcem ferme

Gal. 2.

Ex Theodosii exemplo sumpta admonitio.

ferme librorum locutus est Facundus: quos absolutos, paucos post dies, ipsi obtulit Justiniano Imperatori.

6. Sed ad synodum redimus, qua Facundus ad Vigilium, hæc habuit: *Accipite quæ in judicio ipsius Vigilii inter alia fuerim prosecutus, sicut nobis ab officio tertiæ actionis gesta declarant. Peto de justitia vestra, utrum suscepta sit a Synodo Chalcedonensi Epistola Ibæ, quæ velut Nestoriana, damnata est iniquitatis. Et dum constiterit non obesse Synodo, quod pars adversa de Theodori persona proponit, sic ea, quæ proferre volunt, relegi permittatis, ne forte quæ aguntur, ad retractationem videantur memoratæ Synodi pertinere. Ego enim fateor simpliciter beatitudini vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione me a contradicentium communione subtraxisse. Hoc enim, vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tantam esse causam judico, pro qua deberemus a communione multitudinis segregari. Sed quia ex persona Theodori Epistolam Ibæ Nestorianam probare conati sunt, & ex Epistola Ibæ Synodum, a qua suscepta est, improbare &c.* Hæc autem Vigilius, qui jam spoponderat se Capitula damnaturum, a Facundo vulgari non permisit: atque a confidentibus Episcopis flagitavit, ut quid eis de causa videretur, prolata quisque in scriptis responsione signaret. His addit Episcoporum plurimos, ad subscribendum contra tria capitula, vi & minis compulsos fuisse; ac contra Vigilium Papam hæc subdit: *Oculis nostris hæc vidimus nos: Acephalos coram ipso judice alacres & exultantes aspeximus, cum Episcopos ad eum* (Vigilium scilicet) *adducerent, eadem responsa portantes.* Deinde: *Suscipiens vero ille* (nempe Vigilius) *memoratas responsiones, post aliquot dies ad Palatium attulit, atque alteri detulit parti in præjudicium Synodi Chalcedonensis cum aliorum Chirographis, qui antea subscripserant, reservandas. Verum ne suis traditor videretur, talis verbis eos fefellit, ut diceret. Quid apud nos reservamus ista contraria Synodo Chalcedonensi responsa, ut inventa quandoque in Ecclesiæ Romanæ scrinio, a nobis approbata credantur? Sed afferamus illa in Palatium, & de illis agant ipsi qui jam noverint. Quasi ea scindere vel urere ipse non posset, aut per suam evacuare sententiam, aut ipsis a quibus fuerant data refundere, quæ nec suscipere ab eis, nec extorquere debuerat. Si vero decretum gene-*

Facundi petitio in synodo facta.

JESU CHR. AN. 548.

generalis Synodi præcavebat, atque ista solita fictione fingens ejus præjudicium se cavere hoc pro voluntate contrariorum fecit, quod ei, si dissimulemus præjudicet: quomodo enim non præjudicet, si demonstrentur triginta circiter Episcopi cum Romano Antistite Constantinopoli congregati (ut illos omittam, qui ante subscripserant) condemnasse cum approbatoribus suis epistolam a Chalcedonensi Concilio approbatam, & illum Episcopum, cujus doctrinæ laudes in memorato Chalcedonensi Concilio citatæ sunt, nemine resistente, cum suis dogmatibus anathematizasse post mortem, scientibus ceteris, & in eorum communione manentibus? Hæc Facundus in Vigilium sub in senso quidem animo, dum pro defensione trium capitulorum totis viribus decertaret.

Vigilii epist. ad Valent. de tribus capit. tom. 5. pag. 551.

7. Cum itaque in tanta animorum contentione, & sententiarum varietate, jurgia excitari Vigilius animadverteret, synodi acta suspendens totam causam suo judicio reservavit, & absque mora ad Mennam CP. Episcopum scribens sententiam protulit, qua tria capitula damnabat. *Salva tamen in omnibus reverentia synodi Chalcedonensis, unde in litteris contra Theodorum Vigilius pro scandalo refrænando condescendens quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stymulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, tali scilicet conditione, ut omni inposterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo, nec litteris quisquam facere ex eadem causa præsumeret.* Sua sententia Vigilius Theodori Mopsuesteni scripta, & personam anathemate feriebat. Ibæ vero, & Theodoriti personis parcens, illius ad Marim epistolam, hujus autem adversus Sanctum Cyrillum scripta damnavit; ut in sua ad Valentinianum Tomitanum episcopum epistola testatur. *Et quoniam Basignianus, illustris & magnificus vir filius noster cum illis, qui pro actibus tuæ fraternitatis, Ecclesiæ in Constantinopoli observant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quod Personæ Episcoporum Ibæ, atque Theodoriti in nostro, quod absit, fuissent judicato damnatæ.* Ibam igitur, & Theodoritum fulminibus suis non jaculatus est, sed in sola ipsorum scripta fulmen vibravit suum: *Credimus Catholicis Ecclesiæ Filiis ea, quæ tunc ad Fratrem, & Coepiscopum nostrum Mennam scripsimus, idest, de blasphemiis*

miis Theodori Mopsuesteni, ejusque Persona, vel de Epistola, quæ ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, & scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem, & duodecim capitula Sancti Cyrilli facta sunt, posse sufficere. Extat in Balusiana Conciliorum collectione fragmentum judicati, quod suæ ad synodum Epistolæ Justinianus inseruit. In qua post alia nonnulla, hæc recitantur: *Anathematizamus Theodorum, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus, cum omnibus suis impiis scriptis, & qui vindicant eum. Anathematizamus & impiam Epistolam, quæ ad Marim Persam scriptam esse ab Iba dicitur, tanquam contrariam rectæ Christianorum fidei, & omnes qui eam vindicant, vel rectam esse dicunt. Anathematizamus, & scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem, & duodecim Capitula S. Cyrilli scripta sunt*. Judicatum Mennæ offertur Aprilis die undecimo, uti ex Vigilii ad Rusticum, & Sebastianum epistola scimus. *Nam & sabbato sancto, quo ipsum te, sicut præfati sumus, imminente, protulimus judicatum in Ecclesiam sessum processisse, & communicasse, & officium tuum implevisse nosceris*. Quin etiam suffragio illud suo Rusticus valde commendavit, uti sequentibus monemur: *Nam & eodem die revertens ab Ecclesia, Coepiscopo nostro quantum perhibet, Juliano hoc dicens, quia melius fieri non potuit, quam quod factum est judicatum, & hortareris, ut Deus oraretur, neque quod factum est tolleretur. Quod etiam succedente Dominico die Paschæ similiter effecisti*. Mittitur subinde judicatum auctore Rustico in Orientem, & Occidentem. Ipse quoque Rusticus *in brevitate quadruplicatum, litteris scriptum minutissimis*, Pelagio Diacono in Urbem direxit.

8. Justinianus quoque Vigilii sententiam datis litteris ubique promulgandam jussit, ait Victor Tunonensis ad hunc annum Postcoss. Basilii octavum; at unde sopiendis difficdiis remedium sperabatur, majus inde incendium excitatum est, cum præsertim a Vigilii, & Orientalium sententia Occidentalis ecclesia dissideret, quodque magis dolendum est, inter ipsos catholicos infaustum schisma exortum est. Catholicorum etenim plurimi ab ecclesiæ catholicæ communione se abdicarunt, eo prætextu, quod trium capitulorum condemnatione Chalcedonensis concilii integritas violaretur. Sed cum de personis tantum, eorumque scriptis ageretur, nullum

Justinianus condemnationem trium capitulorum confirmat, & vulgari jubet.

Jesu Chr. an. 548. nullum catholicæ fidei præjudicium fieri inde poterat; cum ea non ex personis, aut eruditorum ſcriptis pendeat, ſed ex eccleſiæ conſenſu, & auctoritate, unde fiebat, ut ſalva Romano Pontifici reverentia, ac in catholicæ eccleſiæ communione perſeverantes, catholici æque ii erant, qui cum Vigilio Papa in condemnatione trium capitulorum ſubſcripſerant; ac ii, qui eorum condemnationi ſubſcribere recuſabant, ut in cauſa Epiſcoporum Iſtriæ diſerte teſtatus eſt S. Gregorius Papa, & ex dicendis patebit.

Qua ratione VigiliusPapa poſſit excuſari.

9. De ratione, qua in hac re uſus eſt Vigilius, non una omnium ſententia eſt: ſunt qui eum vehementer reprehendunt, alii contra laude digniſſimum fuiſſe contendunt. Nos mediam ineuntes viam, cum Noriſio dicimus Vigilium hominem fuiſſe, infirmitatibus circumdatum, ac proinde humani aliquod in hoc negotio paſſum fuiſſe. In re tamen dubia, cum non omnes hujus negotii circumſtantiæ nobis pateant, malumus ſi non factum, ſaltem intentionem excuſare. Equidem in horum capitum proſcriptione, *utrique parti ſatiſfeciſſe Vigilius arbitrabatur*, ait Noriſius: Græcis quod tria capitula condemnaſſet: Latinis quod ſalva ſynodo Chalcedonenſi, id ſe feciſſe conteſtaretur; at præter expectationem ſtatim ac Vigilii ſententia adverſus tria capitula, ac nova Juſtiniani edicta vulgata ſunt, ubique fere conclamatum eſt in Occidente, ſynodum Chalcedonenſem Vigilii ſententia deprimi, fidem prodi. Hinc Africani Epiſcopi, non modo judicatum non adprobarunt, ſed eidem conſentientes Eccleſiaſtica communione privarunt: idem ab Illyricis Epiſcopis factum eſt. Facundus vero in libro contra Mocianum acerrime in Vigilium invectus, ait: *Judex aſſerit, quod invitus protulerit iſtud Judicatum: Nos contra reſpondemus, quod ultro per ambitionem pollicitatione facta peccaverit, nec ulla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur. Rurſus: Ob hoc etiam de Romani Epiſcopi chirographis, vel prius ambitionis impulſu, cum fieri arderet Epiſcopus, vel poſtea venalitate partis alteri factis, neceſſarium duximus non facere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium vera fides ſufferret*. Legantur ibi plurima, nam conviciorum plauſtris, totus in rabiem actus, impudenter Vigilium opprimere conatur. Fremebat univerſus Occidens, palamque Juſtiniani juſſis non modo Epiſcopi, ſed integre plebes refragabantur; unde Imperator ex Vigilii Judi-

Judicato lites in immensum auctas intelligebat, quas tamen eo scripto componendas speraverat. Rerum igitur perturbatione commotus, utilioribus remediis animum applicuit. Sed de his sequentibus annis:

Theodebertus Italiæ partem occupat.

10. De gestis in Gallia nonnulla addimus, ubi Theudebertus Francorum Rex excelsi animi vir, augendæque gloriæ cupidus, Italiæ provinciis Regnum suum amplificavit, occupatis non tantum Gothiis alpibus, sed maxima etiam parte agri Veneti. *Cum nec Romani illos arcere, nec Gothi utrisque arma inferre possent*, ait Procopius. Justinianus vero Imperator, ut Francos ab ineunda cum Gothis societate prohiberet, quæ retinere non poterat, ultro eis concessit, ut narrat Procopius, gesta anni 14. belli Gothici, idest hujus anni prosequens. At dum amplificando Regno totus incumberet Theodebertus, Justiniano gravius parabat bellum, dum sollicitatis adversus eum Gepidis, Longobardis, aliisque barbaris nationibus, CPolim ipsam infestis armis aggredi meditaretur, a Silvestri tauro percussus interiit, ut ait Agathias, seu potius, ut narrat Gregorius Turonensis, aliique historici morbo correptus, vivere desiit, quem hisce versibus Fortunatus celebravit.

Procop. de bello Goth. lib. 3. c. 30.

Theodebertus Franc. Rex moritur

Ecclesiæ fultor, laus Regni, pastor egentum,
Cura Sacerdotum, promptus ad omne bonum,
Cujus dulce jugum nullus genuisse fatetur,
Vivis adhuc meritis Rex in amore tuo.

Dolendum quod tantarum virtutum Rex, ambitioni non imperaverit, cui morem gerens sæpius Italiæ bellum intulit. Liberos tres superstites reliquit, Theodevaldum, qui paterno Regno successit: *Qui quidem*, ait Agathias, *tametsi juvenis admodum, atque adhuc sub magistri cura, institutioneque esset, patria tamen lex eum ad Regnum vocabat*, insuper & filias duas Ragintrudem, & Berthoaram, quæ a Fortunato in eodem carmine celebrantur.

Agath. l. 1.

Theodis Rex moritur, eique Theudiscus succedit

11. Hoc eodem anno Theudis Gothorum Rex in Hispania occisus est, cum regnasset annos decem & septem, ut narrat Isidorus in chronico Gothorum, eoque interempto Theudiscus Gothis præficitur, cujus annuum fuit Regnum, ut anno sequenti videbimus.

JESU CHRISTI an. 549. Vigilii Papæ 12. Justiniani Imp. 23. Totilæ Regis 9.

Belisarii reditus CPolim.

1. Insequens annus Domini 549. postcoss. Basilii VIII. inscribitur, idemque Gothici belli 15. numeratur, quo Romanorum rebus in deterius prolabentibus, iisque a Totila ubique fugatis, Italia pene tota exturbati sunt, ac vix munitissima oppida in eorumdem potestate remanserunt. Interea sub hujus anni initio, dum adhuc belli Gothici annus 14. in cursu esset, Belisarius relicta Italia, Constantinopolim rediit, non tamen eo apparatu, quo alias, devictis duobus Regibus Gelimere, ac Vitige eam urbem ovans, ac triumphans ingressus fuerat. *Belisarius*, ait Procopius, *Byzantium indecore profectus est; cum Italia quinquennio sic fuisset exclusus, ut nequivisset certis itineribus progredi; sed toto hoc tempore fugitans clanculum, & ab uno maritimo præsidio ad aliud navigans, oram continenter legisset, unde factum ut liberius hostes Romam ipsam, cæteraque omnia subegerint. Tunc & Perusiam, urbem Tusciæ principem, dira obsidione cinctam reliquit: quæ, dum ille esset in via, vi capta est.* Hæc Procopius, qui sequentibus capitibus subdit, Totilam copias omnes Romam duxisse, captoque portu Romano, (unde vectigalia Romam inferebantur) post longam obsidionem iterata Isaurorum proditione occupasse, ac Romanorum plurimos occidisse, iis exceptis, qui ad aras confugerant. Mutato tamen paulo post consilio ad urbem revocavit, quotquot alio migraverant, ac novis ædificiis muniri urbem jussit; causam vero, cur ita Totilas egerit, Procopius aperit: *Nam ita pridem Totilas missa ad Francorum Regem legatione, ejus filiam sibi petiverat in matrimonium. Is vero abnuerat, negans illum Italiæ Regem esse, vel futurum umquam, qui Romam captam retinere nescivisset, ac parte ejus diruta, illam iterum permisisset hostium potestati. Quamobrem jam in urbem Annonam invehere sategit Totilas (cum ea iterum hoc anno potitur) & propere instaurari jussit.*

Procop. de bello Goth. lib. 3. c. 35.

Totilas urbem iterum occupat, eamque munit.

In Justinianum conjuratio detegitur.

2. Hoc etiam anno Arthabanes, qui Guntharidem in Africa occiderat, ob negatas sibi cum Projecta Imperatoris sorore nuptias, adversus Justinianum exacerbatus, una cum Arsace, aliisque adversus Imperatorem rebellavit. At detecta

con-

Jesu Chr. an. 549. *Procop. de bello Goth. l. 3. c. 31. 32.* Studia Justiniani circa dogmata.

conſpiratione, imminens ſibi periculum Juſtinianus declinavit, ut pluribus narrat Procopius. Id potius admiratione dignum, quod licet tot tantiſque malis undique Romanum premeretur Imperium, Juſtinianus tamen totus erat in dogmatibus Eccleſiaſticis perſcrutandis. Nam cum de conjuratione Arthabanis in Imperatorem Procopius agit, hæc ab Arſace, de eo inter alia dicta refert: *Ad multam noctem hic ſedet, circumſtantibus ſacratis quibuſdam & effœtæ ætatis viris, Chriſtianorum ſcriptis miro ſtudio revolvendis intentus*: Et poſt multa ſubdit Procopius: *Vigilius autem Urbis Romanæ Præſul cum Italicenſibus aliis, & primoribus viris, qui ſecum Byzantii erant, ab Imperatore ſuppliciter, & enixius poſtulabant, Italiam omnibus in ſuam ut viribus redigeret poteſtatem, ſed Gothicus præ cæteris maxime vir ſane Patricius ad ipſum id hunc crebro impellere, hortarique; ut qui ea de cauſa Byzantium ſe contuliſſet. Imperator vero Italiam ſibi curæ fore, reſpondit. Sed circa Chriſtianorum dogmata componenda nimis intentus, eorum altercationes ut recte diſponeret nitebatur.* Hæc is auctor de Imperatoris ſtudiis, quibus dum plus quam decet Imperatorem, curioſe vacaret, univerſum conturbavit Imperium.

De ſchiſmate ob tria capitula exorto.

3. Judicato Vigilii adverſus tria capitula commotum orbem anno ſuperiori diximus, jactaque fundamenta diri ſchiſmatis in eccleſiá. Hujus tragædiæ Princeps fuit Felix Africanus, Gillitani monaſterii Abbas; qui non modo palam judicatum impugnabat, ſed ceteros in ſuam quoque ſententiam trahere conabatur, inter quos Ruſticum, & Sebaſtianum Romanæ eccleſiæ Diaconos, qui cum hactenus Vigilii ſententiam adverſus tria capitula laudaſſent, mutato repente conſilio, Vigilii judicatum impugnantes, ab ejus ſe communione ſegregarunt, litteras ubique vulgantes, quibus ſignificabant Vigilium aliquid *ſcripſiſſe, quod reperiatur adverſum definitioni Sanctæ Chalcedonenſis ſynodi*, ut Vigilius in libello anathematis contra eoſdem in ſchiſmate obſtinatos edito anno ſequenti narrat. Ruſticum affinitate ſibi conjunctum in Levitarum ordine adſcripſerat Vigilius, unde quo magis beneficiis eum obſtrinxerat, eo magis hanc ſibi vicem rependi doluit, cujus ingrati animi vitium ſic eidem exprobat: *Te præſente ſicut oportuit, & pro affinitate, qua nobis a germano, quem dileximus, jungebaris, & pro eo, quod nos*

 nos te ad Levitarum provexeramus officium, frequenter, & secreti paterna monuimus charitate, ut si ea, quæ de te dicebantur, ex aliqua parte cognosceres, a talibus temperares. Tanto in tria capitula odio Rusticus primo conflagraverat, ut de Theodoro Mopsuesteno hæc anno superiore protulerit: *Si ossa ejus evulsa quisquam de sepultura ejiceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter* prorsus se acceptururm. Verum mutata sententia, *judicatum* Vigilii aculeatis scriptis confixerat. Conjurationis autem socium Sebastianum Rusticus habuit. Is etiam Romanæ Ecclesiæ Diaconum, *de cœlo judicatum ordinatum, atque prolatum,* Theodorique Mopsuesteni Codices a se in urbe inventos, plenos esse blasphemiarum testatus fuerat; at opinione sua decedens in *judicatum* asperrime invehitur. Ac quo magis illud diffamarent Diaconi, ubique locorum sparserunt, Chalcedonensis Concilii auctoritatem Vigiliano eo judicato violatam fuisse. Querentis Pontificis verba sunt: *Per omnes Provincias fallaciter scribentes nos aliquid commisisse, quod reperiatur adversum definitioni Sanctæ Chalcedonensis Synodi. Ita ergo cunctorum animos, qui vestram malitiam nesciverant, sed tamquam a Romanis Diaconis suscipientes scripta simpliciter crediderunt, ad tantum scelus operatio fallaciæ vestræ pervenit, ut humanus sanguis in aliquibus locis intra Ecclesiam, quod dici nefas est, funderetur.* De Romano Clero complures etiam ad Rustici, Sebastianique partes accessere. Audiantur adhuc verba Vigilii: *Nullus in Ecclesiastico gradu audeat revocare Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem, atque Deusdedit, quos constat vestræ conjurationis, & conspirationis esse participes, quos nos putantes bonos, militare Ecclesiæ, cui Deo præsidemus auctore, nostro tempore feceramus.* Ad Subdiaconi, vel Notarii munus ii evecti fuerant. Eorum omnium animis in judicatum odia instillaverat *Felix*, qui in Africa Abbatis officio fungebatur. Id quoque Vigilius testatur: *Felicem etiam Monachum Afrum, qui Gillitano Monasterio dicitur præfuisse, & levitate sua atque inconstantia congregationem ejusdem Monasterii per diversa loca certum est dispersisse, & vestræ pravitatis incentor est &c..* Felici quidem Justinianum graviter infensum fuisse scimus, qui ipsum anno 553. in exilium ejecit, ubi extinctus est, ut ex Victore constat: *Post Consulatum Basilii XVII., eo tem-*

tempore Felix Hegumenus Monasterii Gillitani in exilio apud Sinopem, de hac migravit ad Dominum.

Rusticus Diac.aliique pro defensione trium capitulorum scribunt.

4. Commentarium quoque ad suam confirmandam sententiam pro trium capitulorum defensione vulgavit Rusticus Diaconus, contra Acephalos inscriptum, quo de tribus capitulis disputationem instituit, cujus hic est titulus. *Dialogus adversus Acephalos, in quo fidei definitio in concilio Chalcedonensi facta defenditur, & haeretici ab ea deficientes refutantur.* Hunc librum Sebastiano inscriptum fuisse tradit Baronius, ad quem inter alia haec praefatur: *Memento Christianum te esse, atque Diaconum, & hoc summae totius universitatis ecclesiae (Romanae scilicet) si importabile onus est ordinis, quare ullo modo aggressus es dignitatem semel Diaconus factus, tuis votis obligatus es Deo: alioqui debuisti reputare prius, & citra hujusmodi gradum cum adversario tenere pacem perquirens, si tu cum decem millibus viginti adversarii millia evincere potuisses.* Haec, & alia Rusticus ad Sebastianum, vel ut Balusio placet, ad se ipsum, ut in Dialogis saepe factum vidimus, fingit enim se decrevisse manere in silentio, at ne talenta accepta absconditа retineret, ad pugnam his verbis se se excitat: *memento te esse Christianum atque Diaconum.* In eo libro demptis spinis, quibus ager fertilis abundabat, multa notatu digna occurrunt. Illud obiter adnotandum, de reliquiarum usu ac cultu haec legi: *Clavos*, inquit, *quibus crucifixus est Christus, & lignum venerabilis Crucis, omnis per totum Mundum ecclesia absque ulla contradictione adorat &c.* Nec Rusticus tantum contra Vigilium Pontificem stylum pro defensione trium Capitulorum acuit, sed alii plures. In Africa id praestitit Liberatus Ecclesiae Carthaginensis diaconus, Facundus Episcopus Hermianensis in libello praesertim contra Mocianum edito, nec non Victor Episcopus Tumitanus. Horum meminit Isidorus, licet corrupte, pro Facundo, Secundus legatur. De illis vero, qui postea Vigilii patrocinium susceperunt, & pro Trium Capitulorum damnatione pugnarunt suo dicemus loco, ubi de quinta synodo sermo fiet. Sic igitur maximo Ecclesiae Catholicae detrimento ubique rixae, ubique dissidia, contentiones, & dissensiones exortae sunt, pugnantibus adversus se invicem Orthodoxis, seque mutuo collidentibus.

Biblioth.vet. PP.tom. 10. 11.

Illyriciani schismatis origo.

5. Prae ceteris Illyriciani Episcopi, qui transeunte Vigilio

Jesu Chr. an. 549.

gilio occurrerant, eumque rogaverant, ut nullatenus *novitati, quæ facta est, acquiesceret*, ubi auditu Vigilium tria capitula condemnasse intellexerunt, indicta synodo, eorum defensionem susceperunt. Post Consulatum *Basilii anno* IX., ait *Tunonensis*, *Illyriciana synodus in defensione trium capitulorum Justiniano Augusto scribit, & Benenatum primæ Justinianæ civitatis Episcopum obtrectatorem eorumdem trium capitulorum condemnat*. Unus hic Benenatus ex Illyricianis Episcopis contra tria capitula sentiebat. Nec mirum, Justiniano siquidem gratificari studuit. Cum etenim Justinianus Tauresium oppidum, in quo natus erat, multis auctum ædibus exornasset, ab Agapeto Papa petierat, ut ejusdem loci Episcopum Metropolitanum faceret, quod cum a Vigilio Papa tandem obtinuisset, Benenatus secundus Metropolita primæ Justinianeæ fuit, cui vicinarum provinciarum Episcopos Vigilius subjecerat: Benenatus itaque tanto honore auctus, Justiniani sententiam amplexus, tria capitula damnaverat, quam ob causam a ceteris Illyricianis Episcopis sacris est interdictus; hinc funesti schismatis origo, quod ad seculum fere octavum perseveravit.

Procop. l. 4. de ædificiis Justin.

Aurelianus ad Vigilium de tribus capitulis scribit.

6. In Galliis vero de tribus capitulis quæstio eousque incaluerat, ut Aurelianus Arelatensis ecclesiæ Metropolita, qui Romanæ sedis vices in Galliis agebat, Anastasium cum suis litteris Constantinopolim miserit, referens, se fama accepisse, Chalcedonensis concilii auctoritatem ob Vigilii Papæ adversus tria capitula judicium periclitari. Anastasii litteræ idibus Julii Vigilio CPoli redditæ sunt; iisque Vigilius anno proximo responsione sua satisfecit.

Aurelianensis synodus quinta celebratur.

7. Aurelianense concilium hoc anno celebratum fuisse ex subscriptione Sacerdotis Lugdunensis Episcopi scimus, cujus hæc sunt verba. *Notavi sub die V. Kal. Novembris anno XXXVIII. Regni Domini nostri Childeberti Regis indict. XIII.* quæ incepit Kal. Septembris. Ex omnibus Galliarum provinciis ad hanc synodum Episcopos convenisse, earum subscriptiones docent, etsi Childeberti tantum in præfatione mentio fiat, quia civitas Aurelianensis in ejus ditione erat. Synodo quinquaginta Episcopi, Præsbyteri decem, Archidiaconi sex, Diaconi tres, Abbates duo, qui Episcoporum suorum vices implebant, adfuerunt, eique Aurelianus Arelatensis Episcopus præfuit. Canones 24. eo concilio conditi

sunt,

Jesu Chr. an. 549.

sunt, quibus ut plurimum præcedendium conciliorum canones confirmati sunt. Quorum primo Nestorii, & Eutychetis secta cum earum auctoribus, & sectatoribus anathematizatur, secundum sedis Apostolicæ judicium. Secundus autem Canon statuit, ut nullus Episcopus quemquam Fidelium pro parvis & levibus causis a Communione suspendat; sed solum propter crimina, quorum reos ab Ecclesia arceri Patres jusserunt. Tertius, non solum extranearum mulierum familiaritatem vitandam sancit Clericis, sed & consanguinearum. Canon septimus vetat, ne sede vacante ullus Episcopus in Ecclesia pastore viduata Clericos ordinet; altaria consecret, aliasve obeat Episcopalis muneris partes, sub pæna suspensionis a celebratione Missarum per annum. Canones nonus & decimus de electione, & ordinatione Episcoporum decernunt, ut cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri, ac plebis, sicut in antiquis Canonibus statutum fuerat, a Metropolitano, cum Comprovincialibus, Pontifex consecretur. Et ut nullus invitis detur Episcopus.

Mulierum familiaritas interdicta Clericis.

Episcoporum electio, & consecratio.

8. Canon decimus quintus Xenodochium Lugdunense a Childeberto Rege, & ejus uxore fundatum, ejusque institutionis ordinem, & expensæ rationem confirmat. Canon decimus septimus, statuit, quomodo finienda sint negotia, quæ adversus Episcopum, vel Actores, vel officiarios Ecclesiæ, quævis aliæ Personæ habuerint: prius scilicet Episcopum ipsum conveniendum esse charitatis studio, ut familiari aditione commonitus sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Tantam scilicet Episcopi integritatem esse debere censebant Patres, ut Judex in propria causa posset appellari. Si autem partibus non faceret satis, negotii cognitionem ad Metropolitanum deferendam decreverunt. Si autem a Metropolitano monitus per litteras Episcopus, causam quacumque transactione, amicis mediis non finivisset, & secundo admonitus litem terminare & componere, vel mittere, aut venire ad Metropolitanum distulisset, ab ipsius communione suspendebatur. Si vero pateret Episcopum contra justitiam fatigatum, is, qui eum injusta interpellatione pulsaverat, per annum a communione erat alienus. Denique si Metropolitanus a Comprovinciali Episcopo in causa propria appellatus bis fuisset, ac distulisset audientiam, causæ cognitio devolvebatur ad proximam synodum. Canon deci-

Causæ quarumlibet Personarum adversus Episcopum vel Actores Ecclesiæ, qua ratione finiendæ.

Jesu Chr. an. 549.

decimus nonus, puellæ, quæ sive propria voluntate Monasterium ingressæ sunt, sive a parentibus offeruntur, anno integro in veste sæculari manere decernit in Monasteriis, antequam vestimenta Religionis accipiant; vel triennio, si clausura perpetua in iis non sit constituta. Sancti propositi prævaricatrices, cum his quibus conjugio copulautur, communione privat. Quod Decretum extenditur ad puellas, & viduas, quæ in domibus propriis, commutatis vestibus, conversæ fuerint. Nec ad communionem admittuntur, nisi culpam sequestratione sanaverint. Canone vigesimo, & vigesimo primo cautum est, ut ii, qui in carceribus detenti sunt, aut lepra infecti, ab Archidiacono, vel alio ecclesiæ ministro subleventur. Canon vigesimus tertius Synodum Provincialem singulis annis celebrandam esse statuit, quod in omnibus fere hujus ætatis conciliis sancitum est.

Synodus Provincialis quotannis celebranda.

Episcopi sanctitate celebres.

9. Ex Episcopis, qui huic synodo subscripserunt, decem in sanctorum albo adscripti leguntur, Albinus scilicet Andegavensis, Agricola Cabillonensis, Aurelianus Arelatensis, Gallus Arvernensis, Eleutherus Anissiodorensis, Sacerdos Lugdunensis, Leobinus Carnotensis, Lauto Constantinus, Firminus Ucetiensis, Nicetius Trevirensis, præter Domitianum, quem colunt Trajectenses, Bituricenses Desideratum, Burdigalenses Leontium, Nectarium Æduenses, Viennenses Eusichium, Nivernenses Aregium, & Ebredunenses Gallicanum, qui omnes huic concilio subscripti leguntur. Paulo post celebrata est alia in Galliis synodus in urbe Arverna, regnante Theobaldo, cui decem interfuere Episcopi, & in qua decreta quintæ Aurelianensis synodi iisdem fere verbis confirmata sunt sexdecim canonibus, quam synodum Sirmondus vulgavit.

Agila fit Rex Visigothorum in Hispania.

10. Hoc etiam anno Theodiselo, qui Theudi Visigothorum Regi successerat anno superiori, post annuale Regnum, inter epulas jugulato, Agila Regnum occupavit, qui catholicam religionem ludibrio habuit, ut refert Isidorus in chronico Gothorum.

JE-

JESU CHRISTI AN. 550. VIGILII PAPÆ 13.
JUSTINIANI IMP. 24. TOTILÆ REGIS 10.

Justinianus ad Italiam Germanum mittit.

1. Hoc Christi anno quingentesimo quinquagesimo post-Coss. Basilii IX., ac belli Gothici XVI., cum Justinianus Italiam pene totam, ac Romam ipsam Gothorum armis occupatam audisset, Germanum nepotem suum (quem patruum perperam dixit Pagius) ad recuperandam Italiam cum exercitu misit, Virum non solum sanguine clarum, qui nuper Mathassuntam Theodorici neptem, Amalasunthæque filiam, ac Vitigis relictam uxorem duxerat, sed etiam fortitudine & prudentia in rebus gerendis, armisque tractandis præclarissimum. At Sclavinorum irruptio in Illyricum ejusdem Germani in Italiam progressus non solum retardavit, sed etiam irritos fecit; nam paulo post repentina vi morbi correptus vivere desiit. Quare Justinianus Imperator Germani filium, Justinianum dictum, ad bellum Gothicum in Italia gerendum misit. Ante eum vero ad Siciliæ defensionem Liberium, & Arthabanem cum ingenti classe, & exercitu miserat, cujus exercitus pars maxima in Ostiis Adriatici maris prope Calabriam naufragium fecit. Nec feliciori exitu in Oriente res cesserunt, nam Sclavini, Adrianopolim usque progressi, Romanum exercitum profligarunt, audentioresque facti, usque ad murum longum, qui diei itinere Constantinopoli distat, pervenere, ibique victi, magna tamen cum præda ad propria redierunt, ut pluribus narrat Procopius.

Procop. de bello Goth. lib. 3. cap. 3.

Vigilii sententia in Rusticum & Sebastianum Diaconos.

2. Cum Rusticus, & Sebastianus Rom. ecclesiæ Diaconi, suscepta trium capitulorum defensione, Vigilium Papam, qui ea damnaverat, tamquam Chalcedonensis synodi prævaricatorem insimulare non desinerent, unde majora in dies dissidia excitabantur; horum temeritatem non amplius ferendam ratus Vigilius, & ecclesiastica censura in rebelles clericos agendum, synodo CPoli Episcoporum coacta, eosdem ab Diaconatus munere, donec corrigerentur, suspendit, cujus sententiæ meminit Justinianus in epistola ad quintam synodum; extatque integra tum apud Baronium, cum in collectione Conciliorum, cujus hæc summa est. Primo eisdem exprobrat, quod sua longanimitate abusi fuerint; inconstantiæ etiam & levitatis arguit, dum antea judicatum Vigilii immensis ex-cepe-

Bar. an. 550. num. 16. to. 5. concil. pag. 550.

JESU CHR. AN. 550. ceperant laudibus, ac ut ubique promulgaretur curaverant, deinde mutato consilio uterque in apertum schisma irruerunt, narratis ideo quamplurimis eorum culpis, hanc in eos sententiam tulit: *Hæc ergo sustinentes per multa temporis spatia patientia sacerdotali, resecare distulimus, credentes vos forsitan resipiscere, & ab illicitis temperare. Sed quia semel & secundo adhortatione nostra per fratres nostros Episcopos, idest Joannem Marsicanum, Julianum Cingulanum, vel Sapatum filium nostrum atque Diaconum, nec non & per gloriosum virum Patricium Cethegum, & religiosum virum item filium nostrum Senatorem, aliosque filios nostros commoniti, noluistis audire, & neque ad ecclesiam, neque ad nos reverti voluistis detestanda superbia, & ideo necesse nobis est in vobis canonice vindicare*; deinde: *Oportet ergo nos jam post tantas admonitiones in vobis Rustice, & Sebastiane per auctoritatem B. Petri, cujus nos Dominus sibi voluit vice servire, regulariter vindicare, ideoque (quod a nobis cum gemitu, sed cum B. Petri auctoritate dicendum est) pro suprascriptis excessibus alienos vos a Diaconi esse honore decernimus, & omni ministerio officii Levitici, prædictum vobis honorem auferentes penitus submovemus, nullam ulterius licentiam habentes, ut ex levitico nomine aut gradu aliquid facere præsumatis, vel sub nomine Diaconorum scribendo iterum Dei conturbetis Ecclesiam*. Pœnitentiæ tamen spatium dedit: *ita ut si nobis viventibus (sicut optamus) sub humilitate, & mansuetudine canonice pœnitentes matrem recognoveritis ecclesiam, competenter a nobis venia concedatur*. Eadem severitate egit in Joannem, Gerontium, Severinum, Importunum, Joannem, atque Deusdedit, qui ejusdem conjurationis participes erant: qua pœna plectebatur quoque Felix Cillitani monasterii in Africa præses, & cum eo communicantes sive clerici, sive monachi. Hanc sententiam per Joannem Marsicanum, Zaccheum Scyllacenum, Julianum Cingulanum Episcopos, una cum Zapato, ac Petro Diaconibus, Surgentio primicerio notariorum, ac Servo Dei, & Vincentio subdiaconis, Rustico & Sebastiano transmisit. Ejusdem sententiæ Vigilius meminit in epistola hoc anno data Valentiniano Tomis in Schythia Episcopo, qui de his quæstionibus a Vigilio edoceri petierat, ad quem his verbis rescripsit.

Dile-

Dilectissimo fratri Valentiniano Episcopo De Tomis Provinciæ Schytiæ Vigilius.

3. *Fraternitatis tuæ relegentes scripta, Pontificalem in vobis sollicitudinem inesse gratanter accepimus, quia prophetica sibi possunt verba competenter aptari, quibus ait: Salvabo gregem meum, & suscitabo super eum pastorem, qui pascat eum, servum meum. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quæ dixit: Speculatorem te posui domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me; & convocatos eos, quos scandalizari diversis rumoribus retulisti, incessanter hortari: ne per hos forsitan seducantur, qui sub prætextu Catholico, nequissimo spiritu simplicium Christianorum corda fallacia sua decipere moliuntur; & patris sui Diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu, Ecclesiam tibi commissam diversis mendacibus scriptis conturbare desiderant.* Deinde post plurima: *Quoniam Basinianus illustris, & magnificus vir filius noster cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Ecclesiæ in Constantinopoli observant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quod personæ Episcoporum Ibæ, atque Theodoreti in nostro (quod absit) fuissent Judicato damnatæ; legant ergo, quæ de causa, quæ hic mota est, ad fratrem nostrum Mennam Constantinopolitanæ urbis Episcopum scribentes, legimus definisse, & tunc cognoscent, nihil a nobis, Deo nos custodiente, commissum, vel certe dispositum, quod contra fidem, prædicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quæ pro una eademque fide definita sunt, idest, Nicenæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, & Chalcedonensis reperiatur adversum; aut unius ex his, qui definitionis suprascriptæ Chalcedonensis fidei subscripserunt, tangat injuriam, vel quod decessorum Prædecessorumque nostrorum inveniatur (quod absit) constitutis forte contrarium; sed in omnibus Apostolicæ Sedis Præsulum, & beatæ recordationis Leonis Papæ, ac prædictarum synodorum adversariis restitisse. Fraternitatem autem vestram credimus non latere, inimicos fidei Christianæ hoc semper sæculari & reprobanda molitos astutia, ut Evangelistas quatuor contraria sibi (quod absit) dixisse monstrarent: quibus a sanctis Patribus per Evangeliorum con-*

Vigilii epist. ad Valentinianum Episcop. Tom. 5. concil. p. 557. Ezech. 34. Ezech. 3.

concordiæ libros est cælesti sapientia contradictum. Quod nunc quoque sancti Chalcedonensis Concilii adversarii (inter quos etiam Rusticum & Sebastianum comperimus istius auctores scandali, quos olim pro meritis suis a sacra communione suspendimus; in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua noscat canonicam sententiam prolaturos) qui sub prætextu falsæ defensionis student, ut eamdem synodum contra prædictas tres synodos dixisse (quod absit) obtendant. Qua autem ratione motus, Theodorum Mopsuestenum, ejusque scripta, una cum Ibæ epistola ad Marim Persam, & Thæodoreti scripta adversus Cyrillum condemnaverit, ex ejusdem epistola ad Mennam CP. data se satis explicasse narrat. *Quare eum admonet, ne prædictorum Rustici & Sebastiani, aut illorum, qui pravæ eorum præsumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat, sed & universos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi a prædictis relegant aliquid destinatum, vel falsitati eorum ulterius animum suæ credulitati accomodent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data XV. Kal. Aprilis, Imperii Domini Justiniani perpetui Augusti anno XXIII., Post C. Basilii Viri Clarissimi anno IX.*. Per Joannem Presbyterum, & Apocrisarium, & ipse direxit eam per Maxentium hominem suum. Hactenus Vigilii Epistola ad Valentinianum, cujus mentio fit in literis Justiniani Imp. recitatis in Quinta synodo.

Aureliani Episcopi Arelat. ad Vigilium legatio.

4. At non Orientalis tantum, sed Occidentalis quoque ecclesia eadem ex causa turbata est, cujus rei fidem faciunt legatio missa ab Aureliano Episcopo Arelatensi, & litteræ datæ Anastasio Constantinopolim ad eumdem Vigilium Romanum Pontificem; de hoc enim ipso quærenti, num videlicet verum esset, adversum Chalcedonense Concilium aliqua ab ipso esse tentata, quidnam rescripserit Vigilius Papa, ipsius quæ extant tunc datæ litteræ docent, quæ sic se habent.

Dilectissimo fratri Aureliano Episcopo Arelatensi Vigilius.

Vigilii Papæ ad Aurel. Arelat. Episc. epistola.

Fraternitatis vestræ litteras pridie Idus Julias, Anastasio deferente, suscepimus; & gratias referimus divinæ Clementiæ: Soli-

Solicitudinem vestram in fidei causa, vel in nostræ opinione personæ sacris relegimus convenire mandatis, ut digne caritati tuæ verba Dei, & convenienter aptentur, quibus ait: Elegi te Sacerdotem ex omnibus, ut ascendens ad altare meum, portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Necesse ergo nobis est, caritatis vestræ solicitudinem brevi interim (quantum pro temporis qualitate potuimus) relevare colloquio: quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ, quæ una eademque est, fidei quatuor synodorum, idest, Nicenæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis, inveniatur (quod absit) esse contrarium; aut quod ad personarum injuriam pertineat, quæ definitioni ejusdem sanctæ fidei subscripserunt, vel sanctorum prædecessorum nostrorum Cælestini, Xysti, Leonis, aliorumque præcedentium atque sequentium definitis reperiatur adversum: sed a nobis, omnibus prædictis synodis unam venerationem, unamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi; & eos qui omnes suprascriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequuntur, vel unam ex ipsis, vel omnes in fide repravant, aut repravare, aut injuriare, vel repudiare nituntur, abjicimus. Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ Sedis per nos constat esse Vicarium, universis Episcopis innotescat, ut nullis, aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nunciis qualibet ratione turbentur &c. Tandem quanta possumus per filium nostrum Anastasium de his, quæ gesta sunt, breviter nos indicare necesse est: & cum nos dominus filius noster clementissimus Imperator, sicut promisit, Deo, qui cor ipsius tenet, juvante, reverti præceperit, hominem, qui vobis ad singula subtiliter innotescat, Deo propitio destinamus. Quod ideo adhuc non fecimus, quia & hyemis asperitas, & Italiæ, quæ vos non latet, necessitas præpedivit: donec serenissimus Princeps, sicut desiderat, Domino adjuvante ipsi subveniat. Illud quoque credimus sperandum, ut quia scriptum est: Frater fratrem adjuvans exaltabitur; & sicut de credentibus in Domino actuum Apostolicorum scriptura testatur: Quia erat credentibus in Domino cor unum & anima una: ut sit fraternitas vestra in hac quoque parte solicita, & glorioso filio nostro Childeberto Regi, quem Christianitatis studio venerationem integram Sedi Apostolicæ, cui nos Deus preæsse voluit, cognovimus exhibere, suppli-

JESU CHR. AN. 550.

Prov. 18.

Act. 4.

Vocatur Rex Francorum in auxilium.

supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei sollicitudinem (sicut & confidimus) Christiana devotione persolvat: ut quia Gothi cum Rege suo in Civitatem Romanam perhibentur ingressi, hoc eis dignetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præjudicio (quippe velut alienæ legis) immisceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, unde catholica possit Ecclesia perturbari &c. Data III. Kal. Majas Imperii Domini Nostri Justiniani perpetui Augusti anno XXIV. Post Cons. Basilii V. C. anno IX. cujus epistolæ mentio fit a Justiniano Imperatore in litteris ad Quintam Synodum datis, & ibidem recitatis.

Africani Episcopi in Vigilium anathema dicunt.

5. Hoc eodem anno Africani Episcopi in schismate pertinaces, eo usque temeritatis progressi sunt, ut non solum Vigilii de tribus capitulis judicium respuerint, sed ipsum etiam Vigilium anathemate percusserint: *Post Cons. Basilii anno X. Africani Antistites*, ait *Victor Tunonensis*, *Vigilium Romanum Episcopum damnatorem Trium capitulorum, synodaliter a catholica communione, reservato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defensione memoratorum Trium capitulorum litteras satis idoneas Justiniano Principi per Olympium Magistrianum mittunt*. Verum Justinianus acceptis actis Synodalibus Episcoporum Illyrici, quibus anno superiori Tria capitula defenderant, actisque Concilii in Africa eamdem in rem hoc anno coacti, contra Illyricos, & Africanos rescripsit, ut docet Isidorus in lib. de Vir. Illustr. cap. 12., *Justinianus Imperator condidit quoque rescriptum contra Illyricianam synodum, & adversus Africanos Episcopos, in quo Tria Capitula damnare contendit*. Vigilius vero Africanos pari pœna mulctaverat; nam Judicati detractores ipso facto anathemati subjiciebantur, quod ex his, quæ in sententia ejus contra Rusticum, & Sebastianum leguntur, intelligitur: *Quos pro hoc*, ait Vigilius, *quod contra Judicatum nostrum scripserant, per ejusdem Judicati seriem constabat jam a nobis communione suspensos*. Nec scriptis tantum pro tribus capitulis hinc inde certatum est, sed etiam armis, itaut nonnulli, ne sacrosancta quidem loca reveriti, eadem cædibus polluerent; ut in sententia adversus Rusticum & Sebastianum rebelles Diaconos conqueritur Vigilius.

Vigilii constitutum ad Justin. Imp.

6. Cum itaque tam fœda ecclesiæ facies esset, ac schismata, ac dissidia in dies augerentur, nonnisi Oecumenica

nica synodo ea sopiri posse Vigilius, & Justinianus Imp. intellexerunt. Hanc ut in Italia, aut in urbe Italiæ contermina fieri juberet, Justinianum sæpe Vigilius rogaverat, unde: *Optavimus*, ait *venerabilis Imperator*, *sicut frequentissime supplici prece proposuimus, eumdem ad quemlibet Italiæ locum, aut certe ad Siciliam, & convocatis ad nos Africanæ, & aliarum Provinciarum latinæ linguæ Sacerdotibus, vel Ecclesiæ nostræ sacratis ordinibus secundum consuetudinem tractaremus, & de quæstionibus trium Capitulorum pietati vestræ redderemus plena deliberatione responsum. Quod quia fieri serenitas vestra non annuit, hoc iterum noscitur constitutum; ut oblatis a nobis mansuetudini vestræ nominibus de suprascriptis provinciis, qui nobiscum ad tractandum adhiberentur, Antistites Clementia vestra faceret advenire, cui dispositioni item præbuimus Ecclesiasticæ pacis amore consensum.*

Jesu Chr. an. 550. Tom. 5. pag. 340.

7. Verum Justiniano Constantinopoli synodum celebrari placuit, ad quam nobiliores singularum Provinciarum Episcopi convenire jussi sunt. Qui autem adfuerint, quive adesse recusaverint, suo loco dicemus. Interea cum ob judicatum, commotum orbem animadverteret, & ab Episcopis Occidentalibus ignaviæ ac proditionis insimularetur Vigilius Papa, prudenti sane consilio Justiniano, ac Mennæ persuasit, ut sibi judicatum suum redderetur, ut ita integra causa synodo retractanda servaretur, prout Italiæ Clerus in libello supplici his verbis narrat. *Præstitit igitur Deus, ut hac ratione Sanctus Papa Vigilius judicatum, quod in ipsa causa fecerat, publice in conventu reciperet, denuncians quia si quis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, a communione Sedis Apostolicæ alienus existeret*; idemque confirmat Vigilius in suo contra Theodorum Ascidam decreto, quod anno 551. vulgavit: *Ad hoc est causa perducta, quatenus servatis omnibus, quæ de trium Capitulorum a quibuslibet dicto scriptore fuerant ordinata, quod de ipsa re facto opus esset, cum Africanarum, Illyricianarum, seu aliarum partium congregata synodo tractaremus, eorum maxime præsentiam requirentes, quorum fuerat scandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clementissimo Principe, præsentibus etiam Menna Constantinopolitanæ Civitatis, & Dacio Mediolanensis Urbis*

Synodus quinta CP. indicitur.

JESU CHR. AN. 550.

Urbis Antistite, aliisque tam Græcis, quam latinis Episcopis; cum quibus omnibus etiam tu, Theodore, pariter adfuisti, nec non præsentibus Judicibus atque Proceribus, universoque senatu convenit, ne usque ad memoratam Concilii definitionem quidquam de præfatis tribus Capitulis ab aliquo fieri intentaretur. Ut vero facilius suum judicatum e Græcorum manibus eriperet, promisit se quoad condemnationem trium capitulorum, in prima sententia perseveraturum. Rem sic narrat Constantinus in VII. collatione synodi V. *Vigilius paratum se esse dicebat terribilia sacramenta subire, quod recipiens prædictum judicatum, puram Trium Capitulorum faciet condemnationem. Quod ut piissimus Imperator, licet difficulter tulit, & alienum, & non conveniens esse putabat, Sacerdotes talia sacramenta subire, tamen ex ejus instantia victus, juramenta scriptis suscepere*. In septima quoque Collatione legitur apud Baluzium, coram Theodoro Ascida, & Patritio Cethego Vigilium Imperatori jurasse: *Per virtutem sanctorum Clavorum, ex quibus crucifixus est Dominus Deus noster Jesus Christus, & per sancta IV. Evangelia, ita per istam virtutem sancti freni, & ista sancta IV. Evangelia*, se omnibus modis effecturum, ut Tria Capitula damnarentur. Voluit tamen hæc silentio premi: *Sed & chartulæ istæ nulli ostendantur, nihilominus promisistis. Datum est hoc juramentum XV. die mensis Augusti, Indictione XIII. Imperii Dom. Justiniani anno XXIV. novies P. C. Basilii*.

Vigilius judicatum suum recipit.

8. Interea Justinianus susceptum adversus tria capitula bellum acerrime urgebat. Cumque accepisset Theodori nomen e Mopsuestenæ ecclesiæ dypticis erasum fuisse (cujus olim Episcopus fuerat) ad Joannem Metropolitam Justinopolitanum (est autem hæc Urbs primaria Ciliciæ minoris Anazarbus antea dicta, quæ teste Evagrio lib. 4. cap. 7. terræmotu dejecta, & a Justino Imperatore restituta, ejusdem nomen acceperat) litteras misit, quibus jubebat, ut collecta Provinciæ Synodo investigaret, quandonam Theodorus e sacris Diptycis expunctus fuisset. Ejusdem fere exempli Epistolam dedit ad Cosmum Episcopum Mopsuestiæ, qui ante paucos menses in demortui Simeonis locum hac ipsa Indictione XIII. subrogatus fuerat. Scriptæ sunt litteræ Justiniani die 13. Maii, anno Imperii ejusdem XXIV. P. C. Basilii IX. Coacta est autem Synodus Mopsuestiæ die 17. Junii, cujus acta

acta recitantur in Synodo V. quorum initium collatione 5. hocce refertur: *Imperii divini, & piissimi nostri Domini Flavii Justiniani perpetuo Augusti Imperatoris anno XXIII. legendum XXIV. P. C. Basilii V. C. anno IX. mensis Iunii XVI. instantis Indictionis XIII. in Mopsuestia colonia christianissima &c.* Adfuere cum Joanne Metropolita octo alii Episcopi, & cum iis seniores clerici, & nobiles civitatis, comitesque clarissimi, inter quos eminebat Marthanus domesticorum comes, a quibus jussus est Joannes Cymeliarcha proferre dyptica ecclesiæ, in quibus nomina Sacerdotum ejusdem ecclesiæ continebantur: *ex quo immaculata & orthodoxa fides prædicatur usque ad hunc, qui in præsenti indictione XIII. defunctus est.* Episcoporum itaque XIII. nomina ex dypticis sunt recitata. *Pro requiescentibus Episcopis, Protogene, Zozimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Basiano, Joanne, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zozimo, Theodoro, Simeone.* In eo Catalogo desiderabatur Theodorus, qui sub annum 381. Olympio successerat. Hic est ille ipse Theodorus, cujus causa tot quæstiones agitabantur, qui anno circiter 427. Thomæ decesserat; cujus nomen cum e dypticis erasum fuisset, ejus loco Cyrillum Alex. Episcopum honoris loco inscripserunt. Quærit doctissimus Norisius, cur in eo Catalogo Macedonius Episcopus desideretur, cum in subscriptionibus Patrum Nicænorum anno 325. inter Ciciliæ Antistites, *Macedonius Mopsuestiensis* reperiatur. Respondet Macedonium ideo Mopsuestenis tabulis expunctum esse, quod Arianorum ad partes defecisse putabatur. Qua de re observanda sunt verba Socratis: *Orientales aliam fidei formulam conscripserunt, eamque per Eudoxium Germaniciæ, Macedonium Mopsuestiæ in Cilicia Episcopum, & Martyrium ad Episcopos Italiæ miserunt.* Sed de Macedonio plura alibi. Dypticis olim suis Acacius Melitinensis, & Rabulas Edessenus Theodorum expunxerant, post quam ipsius Theodori, & Diodori Tarsensis scripta Nestorii fautores in Syriacam, Armeniacam, & Persicam linguam transfuderant, ut nos Liberatus monet, capite decimo. *Ubi hæc cognoverunt, Acacius Melitinensis, & Rabula Edessæ civitatis Episcopus, scripserunt Armeniæ Episcopis, ne Theodori Mopsuesteni libros susciperent tamquam hæretici*, palamque Rabula eum in sua Ecclesia anathematizaverat. Verum apud Ciliciæ, cæterasque orbis Ecclesias integra adhuc fama

Jesu Chr. an. 550.

Synodus Mopsuestena.

Jesu Chr. an. 550.

Theodorus fruebatur, ac Mapsuestenis adhuc tabulis inhærebat.

De gestis synodi Mopsuestenæ.

9. Cum porro nusquam locorum in sacris tabulis Theodorus reperiretur, quæsitum est a Senioribus, ut tactis Evangeliis jurarent, quandonam Theodorus e Dypticis ejectus esset, ut alius illius locum occuparet? Martyrius vero respondit: *Sum annorum octoginta plus minus, habeo autem in Clero ordinatus sexaginta plus, & neque scio, neque audivi quod recitatus sit Theodorus, olim factus istius Civitatis Episcopus, in sacris Dypticis. Sed audivi, quod sanctus Cyrillus Alexandriæ magnæ Civitatis Episcopus factus, pro Theodoro positus est in Dypticis, quibus inscripti sunt defuncti sanctissimi Episcopi, & usque adhuc inscriptus est, & prædicatur cum aliis Episcopis. Episcopum enim in nostra Civitate, nomine Cyrillum, neque scio, neque audivi factum. Qui autem nunc insertus est Theodorus, ante tres annos obiit, & de Galatia erat.* Eadem quoque Senes Clerici interrogati dixerunt. Auditis testibus, suam Synodus sententiam promulgavit: *Nunc veritatis revelata est ratio, & valde evidenter declarata est, Theodorum veterem, qui per istam civitatem fuit Episcopus, in antiquis temporibus extra prædicationem divini ministerii fuisse, & sacris Dypticis: ejectum esse pro illo vero alterum constitutum esse, & in illius vocabulum inscriptum esse Cyrillum sanctæ memoriæ.*

Synodalis epist. ad Vigilium.

10. His gestis synodicam Vigilio Pontifici epistolam Mopsuestena synodus scripsit, ut eum certiorem faceret Theodorum dypticis dudum ejectum, & Cyrillum Alexandrinum ejus loco substitutum fuisse: *Decebat vere cum primam Sacerdotis dignitatem sortiti estis, sanctissime, ea, quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ divinitus honoratæ beatitudini fieri. Hoc bene & Christianissimus noster Imperator considerans, & ad vestram scientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopsuestenæ Ecclesiæ Episcopo mota sunt, jussit inferri. Piissimis enim ad nos litteris usus, hortatus est, ad Mopsuestenam civitatem convenire, quæ una Secundæ Ciliciæ est; & cum subtilitate perscrutari, quomodo Theodorus, qui olim prædictæ Civitatis fuit Episcopus, sacris Dypticis ejectus est, & manifesta ea tam ejus tranquillitati, quam vestræ divinitus honoratæ facere Beatitudini &c.*, atque ex antiquo tempore Theodori nomen ex ejusdem ecclesiæ dypticis abrasum fuisse, testantur.

11. La-

11. Labentem annum Victor Capuanus cyclo suo nobilitavit, quo Victorii Aquitani cyclum emendavit in die festo Paschatis labentis anni, quod Aquitanus Victor ad diem 17. Aprilis alligaverat, cum illud die XXIV. Aprilis conjungendum esset, ut adnotavit Beda, his verbis: *Cum Paschalis veneranda solemnitas quanam die potissimum proveniret, per anni præsentis indict. XIII. a nobis solliciti quæreretur, & juxta Patrum venerabilia constituta, VIII. Kal. Majarum, diceremus resurrectionem Domini proculdubio celebrandam, aliquibus minime rationabilis visa est nostra responsio, eo quod Victor quidam in circulo Paschali, quem edidit, aliter diem Dominicæ resurrectionis affixerit, licet & hunc designaverit, quem nos celebrandum pariter profitemur.* Qui de ea quæstione plura cupit, adeat Pagium, & Bucherium, ubi de Victorii Capuani cyclo plura adnotant.

Jesu Chr. an. 551. Victor Capuanus Episcop. cyclum suum condit. *Beda de ratione temp. cap. 49.*

12. Hoc eodem anno CP. Basilica Sanctorum Apostotorum dedicata est, ut narrat Theophanes ad annum secundum Alexandrinos 542., qui Kal. Septemb. hujus anni definit: *Julii mensis die vigesimo octavo, tertia feria, Sanctorum Apostolorum ædis facta est consecratio, & Sanctarum Reliquiarum Andreæ, Lucæ, & Timothei, qui Sancti Apostoli depositio. Episcopus vero Mennas una cum Sanctis Reliquiis progressus est vehiculo aureo Imperatorio gemmis exornato vectus. Tres autem Sanctorum Apostolorum gestabat loculos super genua, atque ita dedicationem celebravit.* Sed loco, *Julii mensis die XXVIII.* legendum, ut Cedrenus habet, *XXVIII. die Junii*, quem mensem etiam exhibent Anastasius, Nicephorus lib. 17. cap. 26., & auctor Miscellæ.

Basilica Apostolorum CP. dedicatur.

JESU CHRISTI an. 551. Vigilii Papæ 15.
Justiniani Imp. 25. Totilæ Reg. 11.

1. Insequens annus 551. Ecclesiæ, & Imperio turbulentissimus fuit, ut a gravioribus exordiamur. Cum indicta fuisset Œcumenica synodus CPoli celebranda, quæstiones ob tria capitula exortas silentio premi usque ad synodi definitionem, jusserat Vigilius Papa; at Theodorus Cæsareæ impatiens induciarum, contra tria capitula librum publice coram plerisque Episcopis in palatio legendum obtulerat. Quod ubi Vigilius accepit, hominis petulantiam execratus,

Theodorus Cæsareæ Episcopus contra tria capitula scribit.

JESU CHR. AN. 551.

graviori quidem pœna eundem afficere decreverat; ſed cum ille Juſtiniano cariſſimus eſſet, mitius conſilium injens, eumdem accerſitum datæ fidei admonuit, ac inobedientiæ arguit. Ille, ut erat prono ad fingendum animo, facti veniam ſupplex petiit, impetravitque, ut idem Vigilius hoc ipſum poſtea eidem Theodoro exprobravit: *Deinde tuis*, inquit, *ex conſuetudine incitamentis, liber condemnationem capitulorum ipſorum continens in palatio te aſſiſtente, & inſtruente coram quibuſdam Græcis Epiſcopis eſt relectus, a quibus aſſentationum favorem tuis vocibus exigebas. Ex quo facto tam tu, quam tibi conſentientes Epiſcopi, mitius licet a nobis, quam oportuit, increpati, ad promerendam ficta ſatisfactione veniam convolaſtis. Quis autem commemorare ſufficiat, quæ te incitante, atque exequente mala commiſſa ſunt?* & iterum: *Ea, quæ jurata te voce non eſſe facturum uſque ad conſtitutum tempus frequentius firmaveras, conſcripſiſti, & ſub prætextu religionis ea, quæ Dei Eccleſiam dividerent, ſicut etiam rebus ipſis agnoſcitur, perpetraſti.* Hæc quidem Vigilius in ſententia lata contra eumdem Cæſareæ Antiſtitem. At Pontificis indulgentia, non modo Theodorum in officio non continuit, ſed ad graviora contra Vigilium facinora tentanda longe promptiorem reddidit.

Juſtinianus edictum contra capit. edit invito Vigilio.

2. Juſtinianus etiam moræ impatiens, cum nullos pene ad ſynodum ex Occidente Epiſcopos adventare cerneret, adverſus tria capitula edictum palam publiceque propoſuit, ac ut ab omnibus ſubſcriberetur juſſit: eccleſiaſtica diſſidia non aliter, ac civilia ſe componere poſſe ratus. Ita rem narrat Clerus Italiæ in libello ad Juſtinianum dato: *Conſtantinopoli vero cœperunt iterum Beatiſſimum Papam Vigilium compellere, ut ſi Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Epiſcopi nollent, ipſe cum Græcis Epiſcopis eadem capitula condemnaret. Sed Beatiſſimo Papa Vigilio nullatenus aquieſcente, edicta ex nomine Imperiali, tam in eccleſia Conſtantinopolitana, quam in diverſis locis ſuſpendi fecerunt, per quæ eadem capitula damnarentur.* In eo edicto Juſtinianus multa contra Arium, Neſtorium, atque Eutychetem diſputat, ac quatuor Synodos Oecumenicas ſe recipere teſtatur, ac canones novem contra Neſtorianos, atque Eutychianos ſtatuit, qui ad verbum fere omnes adprobati ſunt a Synodo V. Deinde tranſit ad tria Capitula, quibus ſub pœna anathematis damnatis, diffuſam

ſatis

ſatis diſputationem init contra eorumdem Capitulorum defenſores, quo loco ex Sancto Auguſtino, hæreticos, vel Schiſmaticos, licet defunctos poſſe damnari teſtimonio comprobans ait: *Neceſſarium putavimus memorare etiam illa, quæ ab Auguſtino ſanctæ mem. Africano Epiſcopo ſcripta ſunt*. Ibi etiam paulo ante dixerat: *Et hæc quidem ſufficiebant ſuper memoratas, & aliis noſtris libris inſertas probationes, quas protulimus, oſtendentes, quod oportet etiam poſt mortem hæreticos condemnari &c.*

Vigilius contra edictum Juſtiniani proteſtatur.

3. Vigilius ubi edicta Principis contra tria Capitula affixa intellexit, in Placidianam domum, tum Latinos, tum Græcos Epiſcopos venire juſſos, his verbis admonuit: *Quicumque edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat, ſe ab Apoſtolicæ Sedis communione ſuſpenſum*. Ita Clerus Italiæ, qui addit: *Sed & Sanctus Datius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit, dicens: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Eccleſia mea conſtituta eſt, ideſt Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, conteſtor, quia quicumque in edicta iſta conſenſerit, ſupraſcriptarum Provinciarum Pontifices, communicatores habere non poterit. Quia conſtat apud me edicta illa ſanctam Synodum Chalcedonenſem, & fidem catholicam perturbare*. At Theodorus Cæſareæ Epiſcopus, Pontificis minis deſpectis, Græcorum Antiſtitum catervam ſecum trahens ad Eccleſiam, in qua ſuſpenſa erant edicta, ſe contulit, ac ſacroſancta miſteria celebravit. Rem narrat Vigilius his verbis Theodorum increpans: *Tu autem Sedis Apoſtolicæ interdicentis per nos auctoritate deſpecta, ad Eccleſiam, in qua edicta ipſa pendebant, reliquos tecum attrahens perrexiſti, ibique aliis adjectis prævaricationibus miſſarum ſolemnia celebraſtis, & quaſi nihil tibi eſſet primæ Sedis Antiſtitem præſentem, & contradicentem contempſiſſe, Pontificem etiam Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotem fratrem noſtrum Zoilum, cujus nomen uſque ad memoratam diem communicatum a vobis fuerat, Dypticis eximentes, Apollinarem quemdam perverſorem, atque Eccleſiæ ipſius vobis adulterum ſociaſtis, ut veſtra iniquitas non ſolum in removendo ſimpliciſſimo Sacerdote, ſed etiam in recipiendo pateſieret perverſore*. Idem vero Vigilius in Epiſtola encyclica, quam anno ſequenti Chalcedone in templo Euphemiæ conſcripſit, teſtatur, ſe co-

JESU CHR. AN. 551. se coram diversarum Provinciarum Episcopis, ac Constantinopolitano Clero in Placidiana domo hæc publice dixisse: *Rogo te piissimum Principem, ut edicta sua, quæ præcepit appendi, removere dignetur, & constitutum commune expectare, idest, ut scandalizati Episcopi Latinæ linguæ ad Synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripta declarent sententias. Quod si forte preces nostras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad divisionem tendit, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quod si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis ex præsenti die, ut prævaricatores Apostoli Petri per ministerium vocis meæ haberi suspensos*. Hæc mense Julio anni hujus 551. contigisse ex sequentibus intelligitur: *Et quoniam his actis*, prosequitur in encyclica Vigilius, *non solum ea, quæ commissa fuerant, nullo modo sunt correcta, sed etiam ex aliis causis die ipso regularum Ecclesiasticarum præjudicium, vel injuriam Sedis Apostolicæ pejora præsumpta sunt, nec alterius eos communionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorum post tot prævaricationes nostri oculi receperunt*. At in damnatione Theodori scripta die 14. Augusti ait: *licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolicæ vos communionis removissemus consortio*. Quare circa diem 14. Julii edicta appensa sunt, ac Zoilus, quod nollet eisdem consensum dare, eadem die depositus. Recte scribit Tunonensis: *Post Conf. Basilii anno XI. juxta ipsum 551: Apollinarus Zoilo tria memorata capitula damnare nolenti Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ subrogatur*, anno Episcopatus Zoili septimo jam expleto, quem anno 544. electum fuisse scimus.

Vigilius ad ecclesiam S. Petri confugit.

4. Hæc ubi accepit Justinianus, indignatus non modo Vigilium edictis imperatoriis adversari, verum etiam eosdem obtemperantes Eccclesiastica communione privari, furore, rabieque stimulante Vigilium custodiæ tradi jussit, qui rebus suis timens, una cum Datio in Ecclesiam Sancti Petri in Hormisda se recepit. *Et tamen*, inquit Clerus Italiæ, *beatissimus Papa Vigilius, nec in basilica Sancti Petri sedes tutas habere meruit, intantum ut illuc Prætor, ad quem fures, & homicidæ tantummodo pertinent, mitteretur, qui cum multitudine militum spathas nudatas, & arcus tensos portantes supradictam basilicam introivit; quo viso Sanctus Papa colum-*

lamnas altaris amplexus est, sed ille ferocitate, & animo concitatus primo de Altari Diaconos ejus, & Clericos a capillis tentos ejecit, postea vero ipsum Sanctum Papam alii a pedibus, alii a capillis, & barba tentum crudeliter abstrahebant. Sed cum ille Altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantum ad ipsos, ibi super ipsum altare in partibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus angustiis semper adesse dignatur, tam aliquorum ex ipsis militibus, quam populi, qui ad tumultum venerat, animos ad misericordiam provocavit, & cœperunt voces, ac stridores mittere, & sic contigit, ut Judex iniquitatis supradictus Prætor cum ministris crudelitatis suæ territus fugiendo discederet. Eadem fere narrat Vigilius in encyclica epistola paulo post edita. Theophanes vero scribit, Vigilium ad Sergii Martyris altare, quod in Ormisdarum monasterio erectum erat, confugisse, a quo vi revulsus, altare secum tractum evertit. Haud recte tamen addit, hæc Theodora adhuc vivente accidisse, quæ triennio ante obierat. Hinc etiam Anastasius in vita Vigilii egregie fallitur, dum eum in templo Sanctæ Euphemiæ captum fuisse narrat, ac fune ad collum appenso per universam urbem tractum, postremo in carcerem projectum scribit, ubi modico pane, & aqua maceratus est, Clero ad metalla damnato. En quo tandem progressus est præceps Justiniani animus in pertractandis quæstionibus fidei, quæ ab Episcopis, & præcipue a Romano Pontifice finiendæ erant, eo usque inquam devenit, ut instigante Theodoro, Justiniani dixerim armigero, contumeliam hactenus inauditam Romano Pontifici irrogaret, & Zoilum Alexandrinum Episcopum, qui inter Orientales Patriarchas primus erat, eo quod Vigilio adhærens tria capitula damnare renuisset, ac Justiniani edicto subscribere, sua sponte, nulla congregata synodo, vel judiciali servato ordine, ipse Theodorus Imperatoria fretus potentia, veluti si solus toti Orbi præsideret Antistes, condemnaverit, ac sua sede privaverit, cujus nomen ex sacris Dypticis expunxit, ac Apollinarem quemdam sui simillimum subrogavit. Cumque hæc, nec dissimulanda, aut negligenda Vigilius Papa censeret, etsi in ecclesia latitaret, animo tamen non concidit, sed collecto paucorum Episcoporum numero, qui cum eo consentiebant, sententiam excommunicationis in Theodorum dixit, utpote malorum

JESU CHR. AN. 551.

Vigilio vis a militibus illata.

JESU CHR. AN. 551. lorum omnium auctorem, & ministrum: *Nam usque ad hoc*, ait Vigilius, *animum Clementissimi Principis falsis suggestionibus perduxisti, ut clementia ejus, quæ in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos graviter moveretur*.

Vigilii sententia anathematis contra Theodorum.

5. Deinde recensitis injuriis in Apostolicam Sedem ab eodem Theodoro illatis, hanc adversus eum sententiam protulit: *Theodorum Cæsareæ Cappadociæ civitatis quondam Episcopum sententiæ promulgatione, tam Sacerdotali honore, & communione catholica, vel omni officio Episcopali seu potestate spoliatum esse decernimus*. Hæc sententia data dicitur *XIX. Kal. Septemb.* (die 14. Augusti) *Imperante Domino Justiniano perpetuo Augusto anno XXV. postcons. Basilii anno X.* Vigilii sententiæ subscripsere sequentes Episcopi, Datius Mediolanensis, qui semper Vigilio adhœserat, licet, si verum scribit Tunonensis, a sententia postea discesserit. Secundus ponitur *Joannes Marsicanus*. Tertius *Zacchæus Scyllacenus*. Est Scylacium mediterranea Civitas Calabriæ ulterioris. IV. *Valentinus Sylvæ Candidæ*. V. *Florentius Matelicatensis*. Est Matelica insigne oppidum in Piceno, subjectum tamen hodie Episcopo Camerti. VI. *Julianus Signinus*. Signia Latii Urbs antiquissima. VII. *Romulus Numanatensis*. Fuit Numana vetus Piceni Urbs, hodie parvus vicus prope Sirollum, *Humana* ab incolis vulgo dictus. Baronius num. XI. legit *Numentatensis* a Numento, seu Nomento latii Urbe. Sed Card. Norisius citatus, ubi hos omnes Episcopatus accurate explicat, veterem lectionem retinendam ostendit. VIII. *Dominitus de Calliopoli*. Est antiqua Calabriæ Urbs, promiscue Calliopolis, vel Callipolis dicta. IX. *Primasius Adrumetinus*. Adrumetum Byzacenæ Provinciæ Metropolis novis mœnibus a Justiniano munita fuit, & de ejus nomine appellata, ut liquet ex Procopio lib. 6. de ædificiis Justiniani. Baronius num. XIII. putat hunc *Primasium* eumdem esse, ac eum qui Commentaria in Epistolas Pauli, aliaque plurima scripsit; sed hoc hactenus incertum. Decimus fuit *Verecundus Lunensis*, alii legunt *Lucensis*, sed omnes errare demonstrat Card. Norisius citatus; nam *Verecundus* iste fuit Nicensis Episcopus in Provincia Byzacena, & a Justiniano ad Synodum cum collega Primasio evocatus, Vigilio adhœsit, teste Victore Tunonensis post Consulatum Basilii anno XI.: *Reparatus Archiepiscopus Carthaginensis Ecclesiæ, Firmus Nimida-*

midarum Episcoporum Primates, *&* *Primasius*, *&* *Verecundus Concilii Byzaceni Episcopi pro fidei causa ad Urbem Regiam ejusdem præcepto Principis evocantur*. Hinc colligit Card. Norisius, falsum esse solum Primasium ex Africanis Vigilio adhæsisse, ut putavit Baronius scribens *Verecundum* Italiæ Episcopum fuisse. XI. *Stephanus Ariminensis*, prætermissus ab Ughellio in Catalogo Episcoporum Ariminensium. XII. *Paschasius Aletrinus*. Aletrum, vel Alatrum Latii Urbs, cujus Episcopos exhibet Ughellus in Italia Sacra. Postremo subscripsit *Jordanus Corthonensis*. Est Cortona Italiæ Urbs in Hetruria.

JESU CHR. AN. 551.

Vigilius accepta cautione ecclesia egreditur.

6. Interea Vigilius ecclesiasticæ concordiæ adhuc fluidens, latam depositionis contra *Theodorum*, & excommunicationis contra *Mennam*, sententiam minime publicandam duxit, veritus ne Justinianum, cujus furorem jam expertus fuerat, in rabiem rursus impelleret, Theodoro præsertim omnia faciente. Putavit Baronius num. XVII. *Vigilium* ad Divi Petri Basilicam parum tutam sibi moram existimantem inde Chalcedonem aufugisse. Verum in libello Cleri Italici dicitur, quod *in Ecclesia D. Petri Sacramenta accepit Beatissimus Papa Vigilius*, *&* *Datius Mediolanensis*, *nihil vi contra ipsos actum iri*, *&* *sic interim sunt egressi*; & sane extat integra Vigilii Epistola Encyclica, quæ Baronii tempore mutila erat, in qua suarum calamitatum seriem Pontifex exponit. Cum apud D. Petri in Hormisda moraretur, Belisarius, Cethegus, & Petrus Exconsules, ipseque Justinus Imperatoris nepos cum Marcellino Quæstore ad Vigilium accessere, ut accepto juramento in Placidianas ædes veniret, secus vel *sub omni violentia* e templo retrahendus. Quid consilii Pontifex ceperit, ipsemet his verbis declarat: *Judicatum dedimus*, *per quod dari nostræ personæ scripto petivimus jusjurandum*, *quod clementissimus Princeps non quale nos voluimus*, *præberi consensit*, *sed quale ipsi placuit*, *per Judices suos dandum esse dictavit*. *Et cum sæpe dicti Judices posito indiculo super altare*, *&* *cataracta Beati Petri Apostoli*, *&* *super Crucem*, *quæ de ligno Passionis Domini habet inclausum*, *sed* *&* *super claves Beati Petri Apostoli præstitissent corporale jusjurandum*, *ad Placidianas*, *tamquam nihil mali ulterius patientes*, *secundum Piissimi Principis redivimus voluntatem*. Ceterum tam sancta fide posthabita, cum in dies sævius se

Jesu Chr. an. 551.

tractari Vigilius animadverteret, semel, iterum, ac tertio Belisarium, aliosque Judices contestatus est, ut jurisjurandi religione tenerentur, *quatenus*, inquit, *nullas inquietudines, aut molestias, sicut nobis juratum fuerat, pateremur*.

Vigilius Chalcedonem aufugit.

7. Interea Justinianus veritus, ne *Vigilius* iterum e Placidianis in Templum confugeret, misso clam milite ædes sedulo custodiendas jussit: quod ubi *Vigilio* significatum fuit, biduo ante Natalem Domini fugam meditatus, nocte intempesta ex Placidiano Palatio discedens, Chalcedonem transfretavit, atque apud D. Euphemiæ domicilium latuit. Vigilium Datius Mediolanensis secutus est, aliique etiam Latini Episcopi, inter quos fuit *Verecundus* Nicensis in Byzacena Provincia Episcopus, quem paulo post ibidem defunctum esse scribit Victor Tunonensis: P. C. Basilii XII, (est illi annus 552.) *Verecundus Ecclesiæ Nicensis Episcopus in defensione numeratorum* (Trium scilicet Capitulorum) *perdurans, Chalcedone, ubi refugium fecerat, in diversorio gloriosæ Matris* (legendum Martyris) *Euphemiæ de hac vita migravit ad Dominum*. Eadem crudelitate, ac sævitia, qua in Vigilium, in ceteros Occidentales Episcopos, quos sibi adversarios in trium capitulorum damnatione patiebatur, egit Justinianus. Pauci admodum ii fuere; Ex Africanis scilicet, Reparatus, ac Firmus, ille Proconsularis, hic Numidarum Primas, Primasius, Adrumetinus, ac Verecundus Nicensis, omnes in trium capitulorum defensione obstinatissimi. De Reparato testis est Victor Tunonensis, qui anno XII. postcoss. Basilii, qui secundum ejus supputationem est annus 552, ait: *Reparatus Archiepiscopus plurimis calumniis impetitus, pro eo quod damnationi trium capitulorum memoratorum assensum non præbuit, officio, sumptibusque privatus, Euchaita exilio relegatur*. Est Euchaita Urbs Hellenopolis in Asia minori, Cappadociam inter, & Paplagoniam. Sed quantum ad annum rei gestæ manifeste hallucinatur Victor! in Libello enim Cleri Italici hoc anno scripto legitur: *Cum Afri Episcopi in Civitatem Regiam pervenissent, cœperunt eis nunc blandimentis, nunc terroribus extorquere, ut præberent in Capitulorum damnatione consensum. Sed cum nullatenus eis extorquere potuissent, concinnata est causa Sancto Reparato Episcopo Carthaginensi, quasi Areobindum Magistrum militum a Gunthari tyranno in Africa fecisset occidi, & sub hoc colore in exilio depor-*

Episcopi Vigilio adhœrentes exilio mulctantur.

deportatus est. Paulo post: *mittunt etiam ad Carthaginem, & alium in loco S. Reparati Episcopi contra omnes regulas, & contra omnia Statuta Patrum Episcopum ordinari fecerunt: quod cum nimia effusione sanguinis, & interitu multorum innocentum hominum fecisse dicuntur*. Hæc autem tardius contigisse indicant hæc alia Victoris verba: *Primasius Diaconus Apocrisarius ejus* (*scilicet apud Imperatorem*) *postquam damnavit, quæ sunt synodaliter, atque universaliter defensata, eo superstite, contra vota Cleri, simulque & populi Episcopus Carthaginensis Ecclesiæ ordinatur*. Porro *Reparati* innocentiam probat, quod de eo, & Areobindi nece narrat Procopius lib. 2. de Bello Goth. cap. 26.

Firmus, Primasius, & Verecundus Episc. Africæ Constantinop. revocantur.

8. *Firmus* Numidarum Primas Constantinopolim anno post Basilii Consulatum XI. etiam evocatus fuit, inquit Victor, ideoque secundum ejus supputationem hoc anno, qui post Basilii Consulatum anno XII. ait: *Firmus Concilii Numidiæ Primas donis Principis corruptus, damnationi eorumdem Capitulorum assensum præbuit. Sed ad propria remeans in navi morte turpissima periit*. Primasius, qui tertius erat ex Africanis, quos Victor ad annum post Basilii Consulatum XI. Byzantium evocatos tradit, diu contra *Justinianum* stetit; nam hoc *anno*, ut mox videbimus, subscripsit Decretum contra *Theodorum*, rursusque anno 553. Constitutum Vigilii. Quare a Justiniano in Acemetarum Monasterium relegatus fuit. Verum audita morte *Boetii* Primatis Byzaceni, ut ei succederet, damnationi Capitulorum consensit, & in Africam reversus, cum rapinis & violentiis Ecclesiæ statum turbaret, a Provinciæ Synodo depositus est, ut habet Victor ad annum P.C. Basilii XII. *Verecundus* hoc anno etiam Constantinopolim juxta Victorem evocatus, cum Justiniani furori se subduxisset, Chalcedonem fugiens, ibidem moritur. Hæc licet diversis annis gesta, hoc loco ad majorem rerum gestarum claritatem ex Norisio congessimus. Ex aliis provinciis vix unus, aut alter CP. advenit. Certe *ex Illyrico*, inquit Clerus Italiæ, *nullus venire voluit*. Tempore tamen synodi anno 553, adfuisse Benignum Episcopum Heracleæ Pelagoniæ vicem agentem Eliæ Metropolitæ Thessalonicensis, ex synodi subscriptionibus constat. Hunc Benignum Hæracleæ Paphlagoniæ Episcopum dicunt Baronius, & Lupus; at Norisius demonstrat Pelagoniæ, non Paphlagoniæ Episcopum fuisse.

De Episcop. Illyrici qui synod. 5. adfuerunt.

Bar. an. 553. num. 49. Lupus comment. in synod. 5.

Jesu Chr. an. 551. Noris. de syn. 5. c. 4.

se. Præter Benignum adfuere etiam synodo Soterus Episcopus Aulonis, & Phocas Staliensis agens vices Benenati, Metropolitæ primæ Justinianæ, rursus Paulus Ulpianensis, Sabinianus Zapparensis, Projectus Naissitanus, horum tres postremi Vigilio adhœrebant, priores vero Justiniani, ac Græcorum sententiam sequebantur. Tanta autem animorum contentione, & obstinatione undique pro tribus capitulis certatum est, ut alicubi seditiones & cædes secutæ sint, uti in oppido Ulpianæ, seu secundæ Justinianæ in Illyrico, ut narrat Procopius: *In oppido Illyrici Ulpiana jussu Imperatoris ob seditionem inter indigenas ortam ex illis, quæ inter christianos disputari solent.*

De concilio Parisiensi 2.

Coint. annal. Franc. anno 551. & 553. Pag. not. 4. anni 555.

9. Hoc tempore cum Sapaudus Aureliano Arelatensi Episcopo successisset, Parisiensi synodo secundæ præfuit. Hanc quidem anno 555. conciliorum æditores passim alligant; at Cointius, & Pagius ad hunc annum revocarunt, nam Firminus Ulcericensis Episcopus, qui subscriptus legitur, anno 553. vivere desiit. Synodo adfuere Episcopi numero vigintiseptem, quorum plurimi sanctorum albo inscripti sunt. Conventui Sapaudus præfuit Arelatensium Antistes, & communi Patrum sententia Saffaracus Episcopus de gravissimo crimine accusatus, ac propria confessione convictus, Sacerdotali honore privatus, in monasterium ad agendam pœnitentiam relegatus est. Audiantur Patres: *Ob hoc in domo ecclesiæ unanimiter residentes, gesta, in quibus quondam discussio Saffaraci Episcopi habita fuerat, nobis postulavimus recenseri. Quæ per ordinem relegentes, cum venissemus ad locum, ubi ejus confessio de crimine tenebatur, quam præsentibus sanctis, ac venerabilibus viris Episcopis Medovecho, Leubeno, vel Leubachario abbate, Hiculfo presbytero, Æterno Archidiacono, nec non & Castricio Diacono, professus fuerat memoratus quondam Episcopus Saffaracus; ipsos denuo interrogantes, suprascripti confessionem nobis denuo ore proprio retulerunt. Quod etiam facinus, nec non & Episcopus Ardaricus a memorati Saffaraci ore, se etiam veridica assertatione audisse perdocuit. Et quia tanti, ac tales viri, quos interfuisse discussioni veridica docet scripta relatio, quæque revera dicta, vel agnita sunt, gestis teneatur inscriptum sanctorum antistitum, & laudabilium virorum, quos studiosissime indagasse ostendit conscripta discussio: tantæ eorum discussioni unanimiter*

Saffaracus Episcopus in monasterium ejicitur.

ter præbentes assensum, placere nobis quod eum in monasterio duxerunt, præsentibus etiam decretis unanimiter profitemur.

JESU CHR. AN. 551.

10. Ob gravissimas Vigilio Papæ, ceterisque ecclesiæ pastoribus ab Justiniano Imp. illatas injurias graves quoque hoc tempore clades Rom. Imperium sustinuisse extra dubium est; cum Hunnorum gens, rapinis prædationibusque assueta, varias Rom. Imperii provincias excurrit, Sclavini vero in Illyricum irruptione facta, nec ætati aut sexui parcentes, obvios quosque interfecerunt. Et cum infinita captivorum *multitudine, prædaque omni quam cuncta vastando collegerant*; ad propria redierunt, ut narrat Procopius. His addit Theophanes anno secundum Alexandrinos 543., qui cum labenti excurrit: *Julii mensis die nono magnus & terribilis terræmotus factus est, per omnem Palæstinæ, Arabiæ, Mesopotamiæ, Siriæ, & Phœnices Regionem: adeout Tyrus, Sidon, Berytus, Tripolis, & Biblis multa damna acceperint, & hominum perierint multa millia. Ad Bostram vero Civitatem, magna pars promontorii maris adjacentis, cui nomen Lithoprosopus, avulsa in mare translata est: portumque effecit multis magnis navibus recipiendis idoneum; cum Urbs illa prius portum non habuisset &c.*. Sed loco, *Indictione quarta*, legendum *Indictione decimaquarta*, quod ex ipsomet Theophane liquet, qui annum Incarnationis secundum Alex. 544. Indict. XV. recte notat. Procopius vero lib. 4. de Bello Goth. cap. 25. verba faciens de iis, quæ anno Belli Gothici XVII. contigere, ait, *per id tempus* extitisse in Græcia maximos terræmotus, & *Bœotiam, Achajam, circumjectasque sinui Crisæo oras* concussisse, ac solo adæquasse Urbes *Chæroniam Coroniam, Patras, & Naupactum*. Quæ de eo terræ motu, quem Theophanes narrat, sine dubio intelligenda sunt.

Hunnorum, & Sclavinorum incursiones.

Terræmotu civitates plurimæ quassantur.

11. Interea cum quinquennales induciæ, anno 545. Romanos inter & Persas initæ, cum hæc inquam finitæ essent: *Tunc Petrum Patricium eumdemque magistrum officiorum ad Chosroen Justinianus Augustus legavit, ut de pace totius Orientis ageret* (cum priores induciæ Armeniæ fines tantum respicerent, dum in Cholcida regione bellum vigeret) ait Procopius: *Tandem post multam disceptationem convenit, ut induciis utrumque Regnum novo quinquennio gauderet*; ea tamen conditione, *ut Persæ a Romanis auri centenaria viginti acciperent, itemque alia sex pro XVIII. mensibus, qui inter*

Induciæ renovantur Romanos inter, & Persas.

Procop. de bello Goth. cap. 11.

Jesu Chr. An. 551. *inter priores inducias atque istas intercurrissent, neque enim gratis a se permissa dicebant Persæ colloquia pacificatoria; quinimmo Legatus Persicus absque ulla cunctatione integram pacti auri summam solvi sibi jussit pro spatio annorum XI., & mensium sex: annumque XXV. Imperii egisse Justinianum Augustum cum Romani & Persæ has inducias pepigerunt, plerisque invisas Romanis*. En quousque viluerat Romana potentia, ac Justiniani Imperatoris virtus, & dum ecclesiæ dominari præsumit, vix auro inducias a Persis obtinere meruit.

Mutuæ legationes inter Justinianum & Theodebaldum Francorum Regem.

12. Quoad res Italicas, & Gothicum bellum vix quidquam memoria dignum hoc anno gestum est: Justinianus etenim hoc anno mense Aprili indict: IV. Narsetem Cubicularium in Italiam misit, ut Theophanes, & Procopius narrant. Interea Arthabanus, quem Imperator Siciliæ præfecerat, *Gothos in præsidiis insulæ relictos oppido paucos, obsedit, & certamine victos, qui erumpere ausi sunt, omnes fame extrema ad deditionem compulit*; inquit Procopius, qui ibidem subdit Gothos Corsicam, ac Sardiniam occupasse: Justinianus equidem ut Gothorum fortunam in Italia dejiceret, Francos ab eorum fœdere alienare studuit. Convenerant enim, ait Procopius, inter Gothos, & Francos, ne se armis in Italia lacescerent; ea de causa Justinianus Leontium Senatorem legatum ad Theobaldum Francorum Regem misit, ab eo petens, ut arma secum adversus Gothos jungeret, cederetque locis a Theodeberto in Italia contra jus fœderis occupatis, sed utrumque a Theodeberto negatum est, atque *De his* addidit Theodebaldus *legatos Bizantium mittemus brevi*. Et Leontium, & Leudardum genere Francum ad Justinianum Aug. misit, qui cum CPolim pervenissent, rem cujus gratia venerant, ex sententia perfecerunt. Theobaldi legatis CPolim proficiscentibus Clerus Italiæ libellum supplicem dedit, quo Vigilium commendabat, eoque ea narrantur, quæ Vigilius in urbe regia passus fuerat., rogatque ut quam citissime Galliarum Episcopos de quæstionibus trium capitulorum causa agitatis certiores facerent, ne aliquorum fraudibus deciperentur. *Hæc* inquiunt *Prudentia vestra sub omni cautela, & celeritate ad Provinciam dignetur scribere; admonendo, ut Episcopi illarum partium Beatissimo Papæ, & sancto Datio Epistolas dirigant, contestantes, ne novitates aliquas recipere patiantur, & ut animos eorum fraterna consola-*

folatione confirment &c. foliciti tamen esse dignemini, quia si qui Capitula damnari volunt, fingunt se & fidem Catholicam vindicare, & Chalcedonensem Synodum venerari cum nobis omnibus; ut qui ignorant intentionem eorum, videantur aliquid injustum expetere &c. Hæc enim omnia quædam fidelissimæ personæ de Constantinopoli venientes ita acta esse veraciter confirmaverunt. Sed & multa crudeliter circa diversos Diaconos & Clericos Afros, qui eis consentire nolunt, acta esse, vel agi: interdictumque esse omnibus Romanis, ne ad Beatissimum Papam accedant. Deinde Anastasius quidam, quem Sanctus Episcopus Aurelianus Arelatensis Civitatis ad Beatissimum Papam ante hoc biennium direxerat, ibidem in Galliis aliqua mentiatur, quia & ipse, ut Constantinopoli exire posset, promisit se omnium Gallicanorum Episcoporum ad damnanda Capitula, pro quibus hæc scandala orta sunt, animos inclinare. Cui & præmia plurima dantes districte ibi de hoc implendo Sacramento præstare fecerunt: & non permiserunt per eundem Anastasium Beatissimum Papam quid in ipsa causa ageretur fratribus suis Episcopis Gallicanis scribere. Hactenus Italiæ Clerici præcipue Mediolanenses; cum etenim in Italia auditum est Vigilium Pontificem, ceterosque Episcopos ob condemnationem trium capitulorum persecutionem CPoli pati, legatorum opem CPolim proficiscentium imploravit Italiæ Clerus, aç ut tantis malis auxilium ferrent, rogavit.

Africæ pax firmatur.

13. Hoc tandem anno post varios belli casus, post varia discrimina rerum, Africanis provinciis pax reddita est, opera Joannis Ducis, qui ad fines Africæ fugatis barbaris effecit, ut qui remanserant, *pauci admodum, & imbelles in tota provincia relicti vix tandem ac sero quievere*; ut ait Procopius, quibus de bello Vandalico finem facit. Hanc Joannis victoriam labenti anno Marcellinus alligat his verbis: *PostCoss. Basilii X. in Africa Mauri per Joannem Patricium domiti sunt*; ejusdemque victoriæ meminit Jornandes in libro de Regnorum successione, quo hæc habet: *Joannes cognomento Troglita Mauris partis adversæ per pacificos Mauros superatis, una die decem & septem Præfectos extinxit, pacemque totius Africæ, juvante Domino, impetravit.*

Longobardi Gepidas vincunt.

14. Eodem anno, quo Joannis victoriam in Africa Jornandes narrat, Gepidarum Longobardorumque memorandum

prælium

Jesu Chr. an. 551. prælium recenſet, cujus hæc ſunt verba: '*Longobardorum gens Socia Romani Regni Principibus, & Theodati ſororis filiam dante ſibi Imperatore in matrimonio jungens Regi ſuo contra emulos Romanorum Gepidas una die pugna commiſſa eorum pene caſtra pervaſit, eeciderunque ex utraque parte amplius quadraginta millia, nec par ut ferunt audita eſt in noſtris temporibus*. Procopius de rebus geſtis anno 17. belli Gothici agens, de hoc prælio hæc addit: *Gens tota Longobardorum in Gepidas & bellatum, quibus obviis prælio congreſſi, tam feliciter pugnarunt, ut non modo victi ſint Gepidæ, ſed & pars magna interfecti*. Hoc prælio everſum omnino Gepidarum Regnum contendit Pagius, de eoque verba facere Paulum diaconum de geſtis Longobardorum cap. 27. quo revera Regnum eorum deſiit, omnino contendit, ideoque Procopium vapulat, eo quod Aubojuum Longobardorum Regem tunc fuiſſe ſcribit, cum teſte Paulo diacono ſub Albojuo ejus filio Gepidæ victi fuerint, tum etiam quia Gepidarum Regnum adhuc perduraſſe oſtendit, dum anno ſequenti de geſtis inter utrumque Regem Procopius verba facit. Sed Pagius ipſe fallitur, teſte Muratorio, & Blanco; diſtinguendum enim eſt prælium hujus anni, & ab alio cujus Paulus meminit ſub Juſtino jniore, omnemque fidem ſibi vindicat Procopius hujus ævi ſcriptor, cui Muratorius addit Menandri Protectoris auctoritatem, in excerptis legationum, dum ſub Juſtino juniore narrat prælium initum Albojuum inter Longobardorum Regem, & Gunimundum Gepidarum.

Pag. not. 6. anni 552.

De Jordani genere vita & ſcriptis.

15. Jordani memoria nos admonet, ut de ejus genere & operibus aliquid dicamus; quem Gothica gente progenitum fuiſſe teſtatur Sigebertus, aliique Ravennatenſem Epiſcopum eum fuiſſe ſcribunt. At monachum tantum fuiſſe ipſe narrat his verbis: *Ego item quamvis Agrammatus Jornandes ante converſionem tuam notarius fui*. Extant Jordani, ſeu ut vulgo dicitur Jornandis libri duo, prior de rebus Gethicis Caſtalio nuncupatus, poſterior de Regnorum ſucceſſione Vigilio dicatus, quem alterum a Romano Pontifice credimus, nam fratris nomine appellat. Hunc librum hoc anno abſolvit, narrato prælio Longobardos inter & Gepidas habito: *Ab ipſo Romulo ædificatore urbis* (ſic Vigilium alloquitur) *originem ſumens in vigeſimoquarto anno Juſtiniani Imperatoris* (quem martio menſe abſolvit) *quamvis breviter, uno*

uno tamen in tuo nomine, & hoc parvissimo libello confeci, jungens ei aliud volumen de origine, & actu Geticæ gentis, quod jamdudum communi amico Castalio edidissem: quatenus diversarum gentium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias, & ad Deum conversus, qui est vera libertas. Legens ergo utrosque libellos, scito quod diligenti mundum semper necessitas imminet. Tu vero ausculta Joannem Apostolum, qui ait: Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia mundus transit, & concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum. Estoque toto corde diligens Deum, & Proximum, ut impleas legem, & ores pro me, nobilissime frater. Hactenus ille.

1. Joan. 2.

JESU CHRISTI AN. 552. VIGILII PAPÆ 16.
JUSTINIANI IMP. 26. TEIÆ REGIS 1.

De ineunda concordia Justinianus cum Vigilio agit.

1. Hoc Christi anno 552. PostCoss. Basilii XII. bellique Gothici decimoctavo, pax & concordia inter Vigilium Papam, & Justinianum Imp. aliquatenus reintegrata est. Missis etenim cum Belisario clarissimis viris, ut publica cautione & fide accepta ex Euphemiæ Templo egrederetur, ut Chalcedone CPolim rediret, Vigilium Justinianus rogavit. At Vigilius ex Euphemiæ templo egredi noluit, nisi prius integritati fidei, ac Apostolicæ Sedis dignitati consuleretur, ut pluribus in epistola Encyclica his verbis narrat Vigilius. *Dum in Sanctæ Euphemiæ Basilica gravi laborantes ægritudine teneremur, piissimus atque Clementissimus Imperator Dominico die*, ideft V. Kal. Februarii (sic legendum, non Kal. Februarii, ut ex corrupto Codice tradit Baronius) *Gloriosos judices suos ad nos destinare dignatus est, idest Belisarium, & Cethegum exconsules, atque patricios, nec non & Petrum exconsulem patricium atque magistrum, sed & Justinum exconsulem, & cura palatii, & Marcellinum quæstorem: qui nobis dicerent, ut sacramenta percipere deberemus, & de Sanctæ Euphemiæ Ecclesia ad civitatem regiam remeare. Quibus tale dedimus Deo adjuvante responsum, dicentes: Nos quidem in hanc basilicam pro nulla pecuniaria, vel privata causa confugimus, sed pro Ecclesiæ tantum scandalo, quod jam in toto mundo pro peccatis innotuit. Et ideo, si causa Ecclesiæ*

Vigilii encyclica epist.

Pag. not. 4. Noris. synod. 5.

Jesu Chr. An. 552.

ordinatur, ut pacem ejus, quam avunculi sui piissimus Princeps fecit temporibus & modo restituat, ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo: quia numquam de S. Euphemiæ basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum. Nam posteaquam edicta sua piissimus Princeps jussit appendi, omnibus Episcopis diversarum partium, sed & presbyteris, atque diaconibus, nec non & Clericis Constantinopol. Ecclesiæ ad nos venientibus, in Placidiana domo, antequam ad Sancti Petri confugeremus basilicam, facie ad faciem ita locuti sumus: Rogate piissimum Principem, ut edicta sua, quæ præcepit appendi, removere dignetur, & constitutum commune debeat expectare; id est ut scandalizati Episcopi Latinæ linguæ, aut ad Synodum veniant, aut certe, remota omni violentia, suas scripto declarent sententias. Quod si forte preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad divisionem tendit Ecclesiæ, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quia si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis vos ex præsenti die, ut prævaricatores, a beati Apostoli Petri sede per ministerium vocis meæ communione suspensos.

Vigilius Papa Justinianum rogat, ut libertatem, & pacem ecclesiis restituat.

21. Multa deinde de injuriis sibi illatis, ærumnisque toleratis, dum in S. Euphemiæ templo substitisset, enarrat; ac tandem addit quomodo Dominico die, qui fuit pridie nonas Februarii iterum: *Magnificus vir Petrus referendarius ad nos cum mandatis clementissimi Principis remeasset, dicens: Quando vultis ut veniant Judices, & vobis præbeant sacramenta, quatenus de hac, in qua residetis, ecclesia egredi debeatis, & securi ad regiam Civitatem remeare? ita ei publica voce respondimus*: se scilicet pro rebus suis juramento non indigere, sed Imperatorem rogare, ut libertatem & pacem ecclesiis restitueret. Ne tamen in sua sententia obstinatior videretur, subdidit: *Si directis duobus judicibus, quorum nomina tibi in præsenti prodidimus, sacramenta præstare dignetur, ut post hæc sine metu periculi fratrem nostrum Dacium Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, vel alios, quos cum eo transmiserimus, loco nostro suscipiat, parati sumus dirigere, ut per eos de ecclesiastica causa quæcumque mandavimus, veraciter innotescant. Siquidem Ecclesiæ causa nullo sacramen-*

menta nobis dari deposcimus: sed mox pro gratiarum actione ejus occurrimus pietati, quia nihil aliud est, quod præter scandalum nos Deo adjuvante perterreat, unde amplius in Sancta Euphemiæ basilica sedeamus. Supplicamus enim Deo nostro, & precibus indefessis optamus, ut per eum sublata dissensione pax, quam piæ memoriæ avunculi sui fecit ipse temporibus, reparetur Ecclesiæ. Nam si ulla provenerit ultra dilatio, nos necesse est causam modis omnibus definire, quia neque proximos, neque alios parentes, aut quamlibet substantiam, animæ nostræ, vel piissimi Principis opinioni præponimus. Data nonis Februarii, Imperante Domino Justiniano Augusto, anno XXV. post Consulatum. Sed legendum anno XI. Cum itaque Dacium Mediolanensem Episcopum pro se legatum misisset Vigilius, his conditionibus pax tandem firmata est, ut Mennas, & Theodorus, aliique Episcopi, qui Vigilio hactenus adversati fuerant, eoque invito tria capitula damnaverant, petita venia, ac fidei oblato libello, Vigilii communionem peterent, ac de injuriis illatis excusationem facerent, his verbis: *De injuriis autem quæcumque Beatitudini, vel sedi vestræ facta sunt, eas quidem non feci, sed quia pro pace ecclesiæ modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia vero tempore discordiæ excommunicatos, vel non receptos a Beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo.* Subscripsere libello Mennas CP., Theodorus Cæsareæ, Andreas Ephesi Episcopi, aliique. Edicta etiam sua Justinianus revocavit, & Patribus CP. ad synodum advenientibus ex integro causa trium capitulorum dijudicanda reservata est, quibus gestis, Vigilius relicta Chalcedone Constantinopolim rediit.

Jesu Chr. an. 552.

3. His gestis, cum Vigilio reconciliatus Mennas CP. Episcopus hoc anno vivere desiit, qui Constantinopolitanæ ecclesiæ anno 536. ab Agapeto Pontifice, Anthimo hæretico expulso, præfectus fuerat; contra Acephalos synodum in Regia urbe coegerat, ac ut Origenes damnaretur effecit, primusque Patriarcharum, lato contra eum anathemate, subscripsit; Justiniano tamen placere studens, non semel cum Vigilio Papa dissidia fovit. At ab offenso Pontifice ante obitum veniam petens, has maculas diluit, cujus memoria die 25. Augusti martyrologio Romano recolitur.

Mennas CP. Episcopus obiit.

4. Dum Mennas CP. ecclesiam regeret, portentum æterna

De puero Judæo ab incendio servato.

M memo-

Jesu Chr. an. 552. Evagr. l. 4. cap. 36.

memoria dignum CPoli accidit, quod his verbis narrat Evagrius. *Mennæ temporibus miraculum quoddam contigit in primis memorabile. Vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei Nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui Grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent. Id igitur eo tempore cum accidisset, una cum aliis pueris convocatus est filius vitrarii cujusdam, qui secta erat Judæus. Hic puer parentibus causam moræ ex ipso sciscitantibus, id quod factum fuerat, exposuit, & quid ipse una cum reliquis pueris degustasset. Pater ira atque indignatione succensus, illico filium correptum in fornacem ardentem conjicit, in qua vitrum formare consueverat. Mater vero puerum quæritans, cum reperire non posset, per totam urbem circuibat, plorans, atque ejulans. Tertio demum die ad ostium officinæ mariti sui stans, filium nominatim inclamare cœpit flens, ac se ipsam lacerans. Tum puer agnita matris voce, ei respondit ex fornace; statimque mater perfractis foribus introgressa, puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenus ambusserat. Qui postea interrogatus, quonam modo illæsus permansisset, mulierem quandam purpurea indutam veste crebro ad ipsum ventitasse dixit, & aquam ipsi porrexisse, & carbones, qui juxta ipsum erant, restinxisse, cibum quoque esurienti præbuisse. Quæ cum nuntiata essent Justiniano, Imperator puerum simul ac matrem regenerationis lavacro initiatos, clero adscripsit. Patrem vero Christianæ Religionis sacramenta percipere penitus recusantem, tanquam proprii filii interfectorem, in Sycensi suburbio cruci suffigi præcepit. Et hæc quidem ita evenerunt.* Hactenus Evagrius, rem suo tempore gestam universo Orbi notam enarrans.

Eutychius Mennæ succedit.

5. Defuncto Menna, Eutychius monachus CP. tunc commorans, (utpote ad quintam synodum ab Amaseno Episcopo legatus) Regiæ urbi Episcopus est ordinatus, ut ad hunc annum narrat Theophanes. Invitum pene ac reluctantem eum ordinatum fuisse tradit Eusthasius presbyter, vitæ scriptor ac familiaris, qui multa de revelatione eidem divinitus facta, qua futurus CP. Episcopus designabatur, tum etiam Justiniano Imp. exhibita, ut eum præ ceteris in Mennæ locum ordinandum curaret, ibidem addit, quæ brevitatis studio præterimus; atque tunc Eutychium quadraginta annorum fuisse adnotat. 6. Ce-

6. Celeberrimam hoc anno Justinianus legem, in Judæorum gratiam vulgavit, qua iis permisit, ut scripturas sacras quacumque lingua legere possent, Latina, Græca, aliave, præcipue tamen septuaginta interpretum editionem commendat, ac ut Aquilæ etiam versione uterentur concedit, Mischinæ vero lectionem sive Thalmudicam prohibet, *Neque licentiam habebunt, qui Archiphereciтæ, aut Seniores, aut doctores appellantur pœrineis aliquibus, aut anathematibus hoc prohibere, nisi vellent propter hæc castigari pœnis corporeis, & insuper facultatum jactura*. Eadem lege extrema supplicio Judæos affici jussit, qui Resurrectionem corporum, finale judicium, & Angelos negassent. Data ea lex est VI. idus Feb. CP. D. N. Justi. P.P. Aug. anno XXV. PostCss. Basilii XI.

JESU CHR. AN. 552. Justiniani lex, qua judæis Miscenæ lectionem vetat.

7. Hic quoque annus illustris evasit ob novam æram ab Armeniis, Eutychianam hæresim profitentibus, institutam, quæ etiam num apud ipsos viget. Incepit ea die 6. Julii feria tertia, itaut anni singuli constent mensibus duodecim æqualibus, dierum triginta cum epagomenis quinque. De hac epocha eruditi differunt præter Pagium, Scaliger, & Calvisius; sed hi postremi, teste Pagio, in eo errant, quod hanc epocham ab accepta ab Armeniis fide deductam afferant, cum ii circa Constantini magni tempora fidem christianam receperint. Quare Armeniorum epocha a suscepta magis & confirmata Eutychiana hæresi deducta est; scribit enim Anonymus auctor a Combefisio editus, Chosroe in Perside regnante, Catholicum Armenorum indixisse synodum in urbe Tiben, in qua Armeni synodum Chalcedonensem damnarunt, & Trisagio hæc verba Petri Tullonis addiderunt: *Qui Crucifixus es pro nobis*, cujus synodi meminit etiam Isaac Magnæ Armeniæ Catholicus seu Patriarcha in oratione invectiva adversus Armenios. Porro cum *Turcomania* olim Armenia major dicta fuerit, recte vidit Scaliger citatus anno Christi 553. *Armenios* novam Æram suam ad Persicam conformasse, & immerito Petavius lib. 3. de Doct. cap. XVII., & seqq. eum hac in re reprehendit. Hæc Pagius nota 23. & 24. ad hunc annum.

Armeni novam æram instituunt.

Scaliger lib. 3. de emendat. temp. & l. 7.

8. Hoc eodem anno Macarius Hierosolimorum Episcopos (quem anno 554. in eam sedem ordinatum diximus) in exilium ejectus est, teste Tunonensi *PostCoss. Basilii XII. Ma-*

Macarius in exilium ejicitur, Eustochius Hiero-

Jesu Chr. an. 552. *Macarius Hierosolimitanus Episcopus ejicitur, & eo superstite* fol. Episcopus ordinatur. *Eustochius ordinatur*, de cujus exilio hæc habet Evagrius: *Sedit Macarius Imperatore nondum ei suffragante, qui postea sede sua pulsus fuit, nam ferebatur, eum dogma Origenis tutatum: Cui in Episcopatu successit Eustochius*. Ceterum Evag. lib. 4. cap. 37. Origenismi calumniam passum fuisse Macarium, facile credimus, quem infra damnato Origene, sua sede restitutum videbimus. Quod autem ad Eustochium spectat, quem Macario pulso suffectum fuisse diximus, hæc de eo Evagrius narrat, Evag. lib. 4. cap. 33. dum Barsanuphii Sanctissimi Anachoretæ gesta describit. *Vixere per id tempus viri plane divini, qui multis in locis magna edebant miracula, & quorum gloria ubique pervagata fuit. Ex quorum numero erat Barsanuphius genere Ægyptius: ipse vixit in monasterio prope Urbem Gazam, & in carne vitam carni adversam degit, adeout multa mirabilia ederet miracula. Creditur porro, eum in ædicula quadam clanculum ætatem degisse, atque a tempore quo eam ingressus est ad spatium quinquaginta annorum, & amplius neque a quoquam visum esse, neque quidquam alimenti, vel aliarum rerum in terra cepisse. Quibus rebus cum Eustochius Episcopus Hierosolymorum minime fidem adhiberet; cumque ædiculam, in qua ille divinitus inclusus fuit, perfodere constituisset: parum aberat, quin ignis ex ea erumpens, omnes, qui cum eo illuc venerunt, combussisset*. Hæc de Eustochio occasione Barsanuphii Evagrius. Vivebat tunc etiam in Palæstina miræ sanctitatis vir Mirogenes nomine, de quo hæc inter Sophr. Prat. Spir. alia Sophronius: *De hoc Abbate Mirogene cum audisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcumque erant necessaria, nam hydropisi laborabat: sed ille numquam ab eo quidquam consensit accipere: hoc autem solum illi significabat: Ora pro me Pater, ut liberer ab æterno cruciatu*. Hæc ipse.

De Simeone. 9. Pergit autem Evagrius: *Fuit Emesæ vir quidam nomine Simeones, qui omni inanis gloriæ cupiditate objecta, quamquam sapientia cujusque generis, & divina gratia refertus fuit, tamen his, qui eum minime ignorabant, delirus visus. Iste maxima ex parte remotus ab aliorum conspectu vitam transegit, nec cuiquam potestatem concessit comprehendendi quando aut quomodo Deum precaretur, neque quo tempore solus apud se, vel abstineret cibariis, vel eadem capesceret.*

Inte-

Interea vero cum in publica platea, vel in foro versaretur, visus est a pristina vivendi consuetudine deflexisse, immo vero etiam nihil omnino vel prudentiæ habere, vel ingenii. Quin etiam tabernas aliquando ingressus, esculentis, ne esuriret, vel cibis quibuslibet vescebatur. Quod si quisquam inflexo capite eum salutabat, ira accensus e loco illo celeriter excessit, veritus ne sua virtus a vulgo deprehenderetur. Hæc, & alia de eodem Simeone Evagrius, quibus ostendit eum virtutem miraculorum fuisse adeptum, atque etiam propheticum spiritum consecutum. Porro res præclare gestæ fusius scriptis mandatæ fuere a Leontio Neapolis Cypri Episcopo, ut acta Nicenæ posterioris Synodi fidem faciunt. Jesu Chr. an. 552.

10. Narsetis de Totila victorias nunc attingimus. Is quipe ingenti cum exercitu hoc anno Ravennam adveniens, eamque ingressus, cum Totilam ad Appenninum montem castra locasse audivit, ibidem exercitum deduxit, metatis usque vix centum stadiis ab hostium castris, paucis post diebus cum Totila congressus, post obstinatam pugnam vesperescente jam die tandem evertit, ac fudit. Totilas ipse *in tenebris cum viris non amplius quinque*, dum latebras fugiendo quærit, occiditur, ut pluribus Procopius narrat. Narses vero tanto lœtus successu, Romam contendit, eamque oppugnavit: *annum Imperii XXVI. agente Justiniano Augusto. Sic Roma sextum capta est illo Principe*, inquit Procopius cap. 33. Hoc itaque anno & Roma recuperata est, & Totilas occisus, cujus victoriæ nuncius Constantinopoli mense Augusto delatus est, ut præter Cedrenum, testatur Theophanes anno Incarnation. secundum Alex. 544. qui Kalend. septembris superioris Christi anni inchoatur, ubi ait: *Augusto mense triumphales nuncii, & victoriæ monumenta Roma Constantinopolim delata, Narse nimirum Cubiculario, & Romanorum Exarcho victore. Pugna siquidem cum Totila Gothorum Rege conserta, summam sibi sua virtute peperit victoriam, Romam recepit, Totilam interfecit, vestimentaque ejus adhuc sanguine tincta, pileolumque ejus gemmis ornatum Constantinopolim misit: quæ ad Imperatoris pedes in secreto projecta sunt.* Secretum apud scriptores Byzantinos, pro foro, seu loco, in quo Judicia exercentur, vulgo accipitur. Regnum inierat Totilas anno 541. Quare annos XI., ut mox ex Procopio diximus, regnavit. Gregorius magnus lib. 2. Dial. cap. 15. ait

Narses Totilam vincit, & occidit.

Procop. de bello Goth. lib. 4. c. 16.

Jesu Chr. An. 553.

ait sanctum *Benedictum* Totilæ se invisenti dixisse : *Novem annis regnans decimo morieris*. Sed Totilas cum ei hoc sanctus *Benedictus* prædixit, jam annum & amplius regnarat, ut suo loco dixi; Ideoque annos XI., & aliquot menses Regnum Gothorum tenuit.

Gothi Tejam Regem dicunt.

II. *Gothi qui prælio evaserant, trajecto pado* urbem *Ticinum, circumjectaque loca occuparunt, ac sibi Regem crearunt Tejam*, inquit Procopius. Tejas vero Gothos infirmiores judicans, quam ut soli cum Romano exercitu pugnare possent, Francorum Regem Theodebaldum in belli societatem, ingenti pecuniæ pollicitatione, trahere conatus est, sed frustra; unde anno sequenti vitam, & Gothicum Regnum amisit, de quibus suo loco.

JESU CHRISTI AN. 553. VIGILII PAPÆ 17.
JUSTINIANI IMP. 27. TEJÆ REGIS 2.

Eutychii fidei professio Vigilio oblata.

I. Insequens Christi annus quingentesimus quinquagesimus tertius PostCoss. Basilii XII. ob synodum quintam eodem anno celebratam illustris perseverat, quo ineunte Eutychius CPolitanus Episcopus fidei suæ professionem Vigilio obtulit, qua quatuor synodos se recipere testabatur, rogabatque Pontificem, ut finiendis quæstionibus ob tria capitula excitatis, synodo adesse dignaretur. Confessioni fidei subscripsere post Eutychium, Appollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, & Ælias Thessalonicensis, qua Pontificem sic alloquuntur: *Petimus præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate, & Sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum, & convenientem his, quæ a sanctis quatuor conciliis definita sunt, quoniam ad augmentum pacis, & concordiam ecclesiarum pertinet, ut omni de medio dissentione sublata, quæ prædictis IV. Sanctis conciliis definita sunt inconcussa serventur*. His acceptis Vigilius Patriarchis VIII. idus Januarii respondens, eorum fidem laudavit, & de componenda de tribus capitibus quæstione addit: *Annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus*

citus Deo , & conveniens iis , quæ a Sanctis quatuor sunt definita Conciliis. Synodum itaque ita fieri Vigilius consensit, ut in ea intervenientibus latinæ ecclesiæ Episcopis in unam omnes convenirent sententiam.

2. Interim die 14. Januarii Dacius Mediolanensis Episcopus longo exilio, ac ærumnis plurimis vexatus, e vivis excessit, quem diem martyrologium Romanum, & tabulæ Mediolanensis ecclesiæ, ejus memoriæ consecrarunt; de anno quidem inter eruditos non convenitur, nam Baronius, Bollandus, & Pagius, anno superiori eum e vivis ereptum fuisse scribunt, cum tamen ex Vigilii epistola eo anno scripta, eum superstitem adhuc fuisse constet: hinc Norisius labenti tantum anno 553. 14. Januarii eum obiisse demonstrat. Dacio Mediolanensi Archiepiscopo chronicon ad hæc usque tempora, de rebus urbis, & ecclesiæ Mediolanensis plerique adscribunt; at illud chronicon Dacio suppositum fuisse patet, testaturque Mabillonius se accepisse litteras Antonii Mariæ Pustulæ Canonici, & bibliothecarii capituli Mediolanensis ecclesiæ, quibus testabatur chronicon ibidem asservatum diversa manu scriptum, prioremque partem composuisse Gandulphum seniorem, secundam Arnulphum, & tertiam Gandulphum juniorem, qui omnes inter Mediolanenses historicos recensentur. Ad quintam synodum redimus.

Dacii Mediolanensis Episcopi obitus.

Dacius nullum composuit chronicon.

Mabillon. to. 1. Analect. pag. 3.

3. Cum itaque Episcoporum plurimi, ex Orientalibus præsertim provinciis, Byzantium ad synodum advenissent, atque inter eos tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, hoc unum restabat, ut eidem Vigilius Papa adesset; at cum pauci admodum ex Episcopis Occidentalis ecclesiæ CP. adessent, quibus sententiæ Græcorum, qua in trium capitulorum condemnationem ferebantur, se resistere posse animadvertens, nonnisi ea accepta conditione se synodo adfuturum spoponderat Vigilius, ut pari numero Latinorum, & Græcorum Episcoporum synodus consisteret. Audiatur ipsemet Vigilius in Constituto ad Justinianum. *Postea vero hoc magis cum consensu Fratrum nostrarum partium Episcoporum, nuper ante Sanctum Paschæ diem, pietas vestra constituit, ut exæquato numero his Pontificibus, qui in Constantinopolitana urbe præsentes sunt, de tribus capitulis, ex quibus quæstio vertitur, secundum superius designatam Fratrum nostrorum Episcoporum professionem deberemus inire tractatum*.

Vigilius synodo adesse recusat.

JESU CHR. AN. 553. *ftatum.* His intellectis, Orientales Episcopi tumultuare cœperunt, dicentes venisse se ex longinquis Provinciis Synodi æcumenicæ causa, cujus auctoritats, ac nomen deprimebatur, si a paucissimis celebretur, plurimos Sapientissimos excludendos, si pari cum Latinis numero coeundum esset; Synodos frequentissimas a solis Græcis celebratas; in Chalcedonensi sexcentorum, & triginta Patrum conventu, legatos tantum Leonis Papæ ex Latinis interfuisse; Nicænam Synodum ex Græcis tantum conflatam. Notam esse occidentalium in tribus capitulis defensandis obstinationem, cum quibus si exæquato numero Orientales disputationem ineant, paribus hinc inde suffragiis re infecta Concilium dimissum iri. Antequam progrediar, Basnagii audacia, qua in Romanos Pontifices sæpe debacchatur, adnotanda est. Dum enim in causas quærit, cur quintæ synodo Vigilius præsentiam suam negaverit, hanc præcipuam fuisse asserit: *Quod æqualis prorsus impatiens, nollet cum Eutychio sedere absque ullo dignitatis, & honoris privilegio*, deinde addit, *duos soles orbis terrarum non patitur*. Hanc tamen ineptissimam conjecturam Eutychii verba a Basnagio ibidem allata explodunt, dum ex ipsius libello hæc ad Vigilium habet: *Petimus præsidente nobis vestra Beatitudine proponenda quæri*. Si ergo Eutychius CP. Patriarcha, ceterique Vigilium rogabant, ut concilio adesse non solum, sed & præesse dignaretur, non sine dignitatis, ac honoris privilegio synodo adfuisset; certe qui alicui conventui præest, ceteris præstantior est, non ergo duos soles in orbe fuissent, sed unus qui ceteris præluceret.

Episcopi num. 165. synodum celebrant.

4. Justinianus his acceptis, Episcoporum scilicet querelis, a priori sententia discessit, synodumqne habendam indixit die 3. nonas majas, ut melioris notæ Codices habent, qui in feriam secundam incidit. Synodo adfuere tres Patriarchæ, & Episcopi centumsexagintaquinque. Hac prima sessione lecta est Divalis Justiniani epistola, qua profitebatur, nil se antiquius habuisse, quam hæresibus extinctis, unitatem & concordiam ab Acephalis violatam ecclesiis restituere. De Vigilio vero scribit Augustus: *& Vigilio etiam religiosissimo Papæ antiquioris Romæ, cum pervenisset ad hanc regiam civitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus, & interrogavimus eum, quid sapiat de hoc, & ipse non semel, nec bis, sed etiam sæpius in scriptis, & sine*

fine fcriptis anathematizavit impia tria capitula. Poftea: *Ille vero nobis fignificavit, quod de prædictis capitulis per femetipfum faciens porriget nobis*. Teftatur deinde fe fanctos Patres fequi; ex Latinis vero laudat Hilarium, Ambrofium, & Auguftinum. At cum probe fcirent Græci Patres, fynodum non præfente Pontifice Romano nihili haberi apud Occidentales, altera ad Vigilium Papam deftinata legatione rogarunt, ut fynodo intereffet. Miffi funt tres Patriarchæ, omnes Primates autocephali, nempe Theodorus Cæfareæ Primas Cappadociæ, & totius Ponti, Andreas Ephefinus totius Afiæ, Megethius Heracleæ in Pelagonia Vicarius Eliæ Theffalonicenfis, aliique Antiftites; & hi quidem non citatoria mandata, fed preces Vigilio detulerunt: *Pervenientes, inquiunt, ad Sanctiffimum Papam fenioris Romæ, petivimus ejus Beatitudinem, convenire, & difputare nobifcum de tribus Capitulis*. Ille vero repofuit: *fe propter corporis infirmitatem non poffe ad hanc petitionem refpondere, in poftero autem die pollicitus eft manifeftare, quid ei de tali conventu placuerit*. Atque ita prima dies fynodi abiit. His nonnulla addit Baluzius, quæ in vulgatis conciliorum editionibus defiderantur, Juftiniani præfertim adverfus Vigilium querelas, eo quod cum antea tria capitula damnaffet, aut damnaturum fpopondiffet, poftea facti pœnitens, in eorum condemnatione, Orientalibus fe fociare recufaret.

Nobiliffima legatio Vigilio deftinatur

5. Maii die octava fecundam feffionem Patres celebrarunt, qua Patriarchæ, & Epifcopi, qui Vigilium convenerant, atque ut fynodo adeffe dignaretur, rogaverant, quid cum eo geftum effet, quidve refponfi accepiffent, fynodo retulerunt, fcilicet hæc Vigilium dixiffe: *Non convenire nobifcum, multos quidem hic effe Orientales Epifcopos, paucos autem cum eo. Propter hoc etenim, & petiiffe piiffimum Imperatorem, ut ducantur alii Epifcopi de Italia. Nos autem refpondimus ad ipfum, quod nec promifimus aliquando Occidentalium Epifcoporum præfentiam expectare, fed etiam cognovimus de piiffimo Imperatore, quod nil tale promifit*. Addunt, pollicitum effe Vigilium, de tribus Capitulis una cum Epifcopis conjunctim fe tractaturum, atque hæc refpondiffe Vigilium: *Cum multis quidem convenire non poffum, fed æquo numero conveniamus. Et ego quidem adhibebo mecum tres Epifcopos, qui debent convenire: conveniant au-*

Secunda feffio fynodi quintæ. Quid Vigilius legatis refponfi dederit.

Jesu Chr. an. 553.

tem & tres Patriarchæ cum uno Episcopo, ut inveniamur quatuor & quatuor. Id indecorum legatis visum, nec synodi Œcumenicæ majestate dignum. Indecens etiam dixerunt, tres Patriarchas *unum tantum Episcopum habere*. Quod si eo modo Collatio sit instituenda, *oportet unumquemque Patriarcham tantos secum Episcopos habere suæ Diœceseos, quantos assumit vestra Beatitudo*. Cæterum præstare magis, ut de communi causa in communi conventu tractetur. Cum neque his assentiretur Vigilius, sed ab Imperatore concessas sibi fuisse viginti dierum inducias, ut scripto ad se misso responderet, addit: *Nisi intra prædictos dies manifestam meam faciam voluntatem, quidquid vos de Capitulis istis ordinaveritis, sequor vos, & non separo me de vestra voluntate*. Cum in ea responsione immotus maneret, e vestigio Legati eam Imperatori significarunt, ac die septima maji synodum ingressi, quid cum Vigilio egerant, retulerunt; synodumque rogarunt, ut quoniam Vigilius præsentiam suam recusaverat, ipsi causam peragerent, nec diutius in confusione & tenebris ecclesiam esse paterentur. Post hæc missi sunt legati ad Episcopos, qui Vigilio adhœrebant, qui omnes una voce responderunt se *Papa non præsente* nunquam venturos, sicque secunda sessio finem habuit.

Vigilii responsio ad legatos.

Sessio tertia & quarta.

6. Die sequenti, nempe nona maji cum tertio convenissent Patres, primum fidei professionem ediderunt, qua quatuor concilia se recipere testati sunt, ac Sanctos Patres laudant, Athanasium scilicet, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Leonem Pontificem. Deinde: *Hac igitur recta confessione in sancta Dei catholica, & Apostolica ecclesia servanda, & prædicanda, siquis semetipsum ab ejus communione separet, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans rectæ fidei, & hæreticis connumerans, juste a Sancta Dei ecclesia condemnatur*. Triduo post, die 12. Maij in unum iterum congregati, ipsam, de qua agebatur, quæstionem ingressi sunt, ac primo plurima Theodori Mopsuesteni scripta examini subjecta sunt, ex tertio scilicet, quarto, & sexto libro contra Apollinarem, item ex commentario in Joannem, & in acta Apostolorum, ex libris etiam de Incarnatione, quorum aliqua cum legerentur, synodus exclamavit: *Hæc jam anathematizavimus, anathema Theodoro Mopsuestheno, anathema Theodoro, & scriptis ejus, hæc aliena eccle-*

ecclesiæ sunt . . . unus Theodorus , unus Judas; post aliqua symboli, quod a Charisio Philadelphensis ecclesiæ presbytero Theodoro olim adscriptum, (quodve Marius Mercator circa annum 431. impugnaverat, tamquam Theodori fœtum) Lectio peragitur, qua absoluta Patres exclamarunt : *Hoc symbolum Satanas composuit , anathema ei , qui hoc symbolum composuit: Hoc symbolum Ephesina prima synodus una cum auctore ejus anathematizavit . Theodorum Mopsuestenum omnes anathematizamus . Anathema illis, qui non anathematizant illum* . Cetera in sequenti sessione examinanda reservarunt.

Theodorum Mopsuesthenum synodus damnat.

7. Sequitur itaque quinta sessio , de cujus die varia sunt eruditorum judicia . Baronius pridie idus maji hanc habitam fuisse scribit , Norisius tertio idus , Baluzius ex veteribus Codicibus XVI. Kal. Junias , decimumseptimum Maji huic sessioni assignat, quem diem cum Pagio retinemus. Hac collatione lecta sunt plurima Sanctorum Patrum , Imperialium legum , aliorumque scripta contra Theodorum , quorum indicem sufficiet hoc loco proferre . I. Cyrilli opus contra Theodorum duobus libris constans 2. Libelli , qui a Presbyteris , & Diaconis transmissi sunt, ab Episcopis , & Clericis , & Monachis magnæ Armeniæ , & Persidis, Proclo Constantinopolitano , in quibus narratur , Theodorum formam Dœmonis habuisse , a Paulo-Samosateno , & Photino originem duxisse , vilis Oppidi Mopsuestiæ Episcopum egisse , docuisse Christum hominem non prius cum Verbo divino conjunctionem obtinuisse, quam immaculatus fieret, Nestorio Doctorem fuisse . 3. Procli ad Armenios scriptum . 4. Epistolæ quinque Cyrilli : prima ad Lamponem Presbyterum , secunda ad Acacium Melitinensem Episcopum , tertia ad Rabulam , in qua Theodorum accusat , virum eloquentem , perditionis laqueos scriptis inseruisse suis . 5. Ecclesiastica Historia Hesychii Presbyteri Hierosolymorum de Theodoro narrantis, ipsum querelis omnium compulsum , Commentaria , quæ in Psalmos ediderat, supprimere pollicitum esse , senectute jam cana debilitatum , opus de Domini Incarnatione elucubrasse. 6. Theodosii , & Valentiniani Leges duæ , quarum posterior eo titulo ornatur: *Lex Theodosii & Valentiniani piæ recordationis adversus Nestorium, & Theodorum* . 7. Pars Epistolæ Theophili Alexandrini ad Porphyrium Antiochiæ Episcopum. 8. Gregorii Nysseni Epistola ad Theophilum. 9. Scripta Theo-

Quinta sessio

Index monumentorum contra Theodorum a CP. Patribus prolatorum.

Jesu Chr. An. 553. Theodoriti contra Cyrillum, quibus docet errores Theodori esse, quos Cyrillus confutavit, & ad Hierenatum, quibus Theodorum erroris accusatum fuisse constabat.

Falsa monumenta contra Theodorum prolata.

8. Antequam progrediamur, circa recensita hactenus monumenta adnotandum est, eorum aliqua suspectæ fidei esse. Certe Cyrilli libri quatuor merito in suspicionem veniunt, quippe qui ab Hypatio Ephesino in collatione cum Severianis instituta anno 533. his verbis respuuntur: *Illi Cyrilli libri adversus Diodorum, & Theodorum ambigui sunt*. Liberatus quoque eos Cyrilli esse inficiatur: *Catholici veritatis defensores sic Acephalis responderunt, illos libros non esse Cyrilli, quoniam testimoniis, quæ contra mortuos posuisse in eis dicitur, contra viventem Nestorium non est usus, neque in synodo, neque in aliquibus epistolis, unde dicunt illos nec edidisse libros*. Ea etiam, quæ ex Hesychii historia narrantur, Theodorum scilicet in senectute opus de domini incarnatione condidisse, Theodori ipsius testimonio refelluntur; scribit enim in suo adversus Apollinarium libro, se ante triginta annos opus illud elucubrasse, & ut alia omittamus, auctoribus quarti, quintique sœculi, incognita fuit Nisseni cum Theodoro disceptatio ibidem recensita.

Liberat. breviar. cap. 10.

An hæretici post mortem damnari possint.

9. Ad quintam revertimur sessionem. His contra Theodorum prolatis, eam pertractarunt quæstionem, num hæretici post mortem damnari possint, ac debeant? Hoc recte fieri posse Photinus Diaconus probavit ex libro Cyrilli contra Theodorum, atque ex ipsius ad Martinianum Epistola, quæ in Ephesino Concilio lecta fuerat. Quibus recitatis, Sextilianus Antistes vicem agens Primasi Carthaginensis, Africanum statutum laudavit: *De Episcopis defunctis, qui Hæreticis suas facultates relinquunt, ita ut post mortem anathemati subjiciantur*. Attulit etiam Augustini ad Bonifacium epistolam, & ejus verba ex gestis apud Marcellinum, cap. 187.: *Si nobis ostendi poterunt criminosi, hodie illos anathematizamus*, aliaque similia. His Benignus addit: *Valentinum, & Marcionem, & Basilidem a nulla Synodo anathematizatos, tamen eo quod alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiam post mortem anathematizat Ecclesia*. Quem Rabulas morem secutus, Theodorum anathemate palam in Ecclesia percussit. Ubi finem dicendi Benignus fecit, Theodorus Ascidas falsi accusavit Cyrilli Epistolam, cujus verba sunt, Ephesinam

Hæretici etiam post mortem anathemati subjiciuntur.

finam Synodum Theodori quidem Symbolum damnaſſe. *Condemnans autem eos, qui ita ſapiunt, diſpenſative, nullam fecit viri mentionem, nec ipſum nominatim anathemati ſubjecit*. Ea vero ratione a Cyrillo Epiſtolam abjudicat, quod cæteris ipſius ſcriptis non conſentiat, in quibus Theodori ſcripta rejicit, non ſine eorum cenſura, utpote quæ Patrum doctrinæ convenire non putabat. Verum hic aſperum Aſcidæ odium in Theodorum ſe prodit, cum de Epiſtola nullus dubitandi locus relictus fuerit. Eadem enim habet ipſius ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſtola, quam ut germanam Aſcidas admittebat. Facta enim de expoſitione Symboli Theodoriana, quam Synodus Epheſina reprobavit, mentione, ſubjungit: *His vero condemnatis, qui ſic ſapiunt, nullam viri memoriam fecerat diſpenſative, nec ipſum nominatim anathemati ſubjecit propter diſpenſationem, ne quidam ad exiſtimationem viri reſpicientes ſeipſos ab Eccleſiis ſeparent*. Quam agendi rationem, ad immitandum ſibi ex Epheſinis Patribus Conſtantinopolitani proponere potuiſſent, ne damnatis tribus capitulis eccleſiæ pax turbaretur. Hac ſeſſione recitata ſunt etiam acta Mopſueſtenſæ ſynodi anno 550. habitæ, qua conſtabat Theodori nomen e Dypticis eraſum fuiſſe, ut ibidem diximus. Jesu Chr. an. 553.

10. Deinde ſynodus examini ſubjecit ſecundum capitulum, nempe Theodoreti Cyrenenſis Epiſcopi cauſam, qui in Epheſina ſynodo Neſtorio adhœſerat, dum adverſus duodecim S. Cyrilli capitula ſcripſerat. Lecti itaque ſunt ejuſdem contra Cyrillum libri, epiſtola ad Andream Samoſatenum Epiſcopum Epheſo miſſam, epiſtola ad Neſtorium poſt Orientalium, & Cyrilli conjunctionem, epiſtola ad Joannem Antiochenum, alia ad eumdem poſt Cyrilli mortem, de qua variæ ſunt eruditorum opiniones; Baronius, Pagius, Labbeus, Lupus, aliique negant eam a Theodorito ſcriptam, ea freti ratione, quod Joanni Antiocheno Cyrillus ſuperſtes fuerit, cujus ad Domnum Joannis ſucceſſorem epiſtolæ extant, quæ actione XIV. Concilii Chalcedonenſis lectæ ſunr. Econtra Petrus Demarcha, Noriſius Theodorito epiſtolam adſcribunt, ſed in inſcriptione mendum irrepſiſſe, eamque Domno, non Joanni inſcriptam. *Ergo error Codicis eſt* (ait Noriſius) *ac pro Joanne Domnus reponendus*. Alio modo hunc nodum ſolvit Baſnagius, dum ait hanc epiſtolam a Theodoreto quidem

Epiſtola Theodoriti ad Joannem ſuppoſita.

Demarcha differt. ad 5. ſynod. Noriſius ibidem.

Jesu Chr. an. 553. dem scriptam ; ac Joanni Anthiocheno missam, sed Cyrillum, de cujus morte ibidem agitur, longe diversum ab Alexandrino fuisse, ac Joannis Antiocheni ditioni subditum, quod epistola ipsa probare nititur, dura legitur. *Procurandum est, & oportet tuam sanctitatem maxime hanc suscipere festinantiam, & jubere collegio mortuos asportantium, lapidem aliquem maximum, & gravissimum sepulchro imponere, ne iterum hic perveniret, & instabilem voluntatem iterum demonstraret*. Hæc quæ ait Basnagius nulla ratione Cyrillo Alexandrino conveniunt, cum non ea auctoritate esset Joannes Antiochenus, ut Alexandrinis vespillionibus imperaret. Hæc ex Dupinio Basnagius exscripsit. Eam Theodorito epistolam adscribendam esse alias adnotavimus, cum de Cyrilli obitu verba fecimus, unde plura nunc addere non juvat.

Sessio sexta de epist. Ibæ ad Marim Persam.

11. Sexta sessione, quæ decimanona maij celebrata est, tertium capitulum discussum est, Ibæ scilicet epistola ad Marim Persam, qua Nestorius ob negatum Virgini Mariæ Deiparæ titulum, & Cyrillus tamquam Apollinarista hæreticus condemnabatur. Lecta est Procli epistola ad Joannem Antiochenum, qua testabatur, Ibam impia quædam capitula in Syriacam linguam transtulisse, eaque de causa sæpe accusatum Beritensi synodo ægre purgatum. Placuit etiam CP. Patribus Cyrilli, & Leonis epistolas quasdam proferri, sicuti & Cælestini epistolas ad Nestorium, quibus auditis acclamatum est a Patribus, Ibæ epistolam hæreticam esse. *Manifeste ostenditur scriptor epistolæ, quod duas introducens personas accusat sanctum Cyrillum, qui secutus est anteriores Sanctos Patres*. Ajunt etiam Chalcedonense Concilium non prius Ibam suscepisse, quam acta pænitentia Nestorium anathemate percussisset: *Omnes Episcopi clamaverunt, Epistola hæretica est. Epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus; istam omnes anathematizamus . . . tota Epistola blasphema est . . . Multis annis Imperatorem: orthodoxum Imperatorem multis annis*.

Justinianus Vigilii constitutum rejicit.

12. Vigilius interea cum in trium capitulorum damnatione CP. Patres præcipites ferri audisset, non modo præsentiam suam synodo denegaverat, sed etiam scripto ad Justinianum constituto, eorum gesta confutaverat, atque quæ sua esset de his capitulis sententia, synodo, & Imperatori notum fecit; quod enim antea pollicitus fuerat clarissimis viris

viris ab Imperatore missis, & Episcopis a synodo delectis (ut supra diximus), nunc opere explevit, atque eo tempore, quod sextam collationem inter, & septimam interfluxit, Imperatori exhibendum destinavit. Quomodo id gestum sit, ex Balusiana conciliorum editione diximus, in qua Constantinus Quæstor hæc synodo loquitur sessione septima: *Hesterna die Vigilius destinavit servum Dei Reverendissimum Subdiaconum Romanæ ecclesiæ, per quem ad se vocavit Vilisarium & Cethegum, gloriosissimos patricios, necnon Justinum & Constantianum, gloriosissimos Consulares, & Theodorum & Phocam, religiosissimos Episcopos, utpote per eos aliquod responsum piissimo Imperatori missurus, qui & abierunt.* Et paulo post: *Reversi suggesserunt piissimo Domino, quod fuimus apud Vigilium, religiosissimum Episcopum, & dixit ad nos, quod propterea vos convocavimus, quod scitis ea, quæ in mediis istis diebus mota sunt. Quoniam igitur feci chartam pro Tribus Capitulis, quæ moventur, scriptam ad piissimum Imperatorem, dignemini eam relegere, & ad ejus serenitatem proferre. Nos autem cum hæc audissemus, & vidissemus chartam ad vestram serenitatem scriptam, diximus ad ipsum, quod nos chartam ad piissimum Imperatorem scriptam, sine jussione ipsius, suscipere omnino non possumus. Habes autem Diaconos responsales, per quos licet tibi eam destinare; ille autem dixit ad nos, ut sciatis, quia ego chartam feci.* Quid his Justinianus responderit, referamus: *Cum hæc pietas ejus audiisset, & mandavit per prædictos religiosissimos, & gloriosissimos viros memorato Subdiacono renuntiari Vigilio religiosissimo, quod nos quidem invitavimus eum convenire una cum beatissimis Patriarchis, & ceteris religiosissimis Episcopis, & communiter cum ipsis de tribus istis Capitulis tam examinare, quam judicare. Cum autem hoc recusasti, dicis vero, quædam solus scripsisse per te de tribus istis Capitulis, si quidem condemnasti ea consonanter his, quæ jam facta ante sunt, habemus multa talia scripta, quæ fecisti, & altero non indigemus. Si autem aliquid contrarium his, quæ jam ante facta sunt, habemus multa talia scripta, quæ fecisti, tu teipsum per tua scripta condemnas, a rectis desistens dogmatibus, & impietatem defendens: & quomodo a te habemus, talem chartam suscipere? Et hoc dato responso a piissimo Imperatore,*

Jesu Chr. An. 553. *per eumdem Diaconum a se scriptam chartam jam non destinavit*. Ex his patet Vigilium quidem Justiniano suum exhibuisse constitutum, at illum ab Imperatore nequaquam admissum, aut synodo exhibitum, proinde quid mirum si inter ejusdem acta non censeatur.

De Vigilii decreto.

12. Vigilii autem Papæ scriptum, quod integrum suis annalibus Baronius inseruit, continet primo Mennæ confessionem ad S. Euphemiæ templum factam, cui post Mennam subscripsere Theodorus Cæsareæ; Andreas Ephesi, Theodorus Antiochiæ Pisidiæ, Petrus Tarsensis Episcopus. Exhibet deinde Confessionem, quam Theophaniorum die Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, Elias Thessalonicæ Præsul Vigilio obtulere, quibus Confessionibus quatuor Concilia Oecumenica probantur. Exponit deinde Vigilius, quid cum Justiniano egerit, petiisse se, ut in Italia, Siciliave Synodus cogeretur ad respondendum Scripto, quod sibi ab Imperatore missum erat, viginti dierum inducias postulasse: inspectis dogmatibus, quæ volumini continebantur, quod sibi Benignus Heracleæ Pelagoniæ Episcopus reddiderat, ea reperiisse proprius impia. Sexaginta numero capitula erant ex Theodori Mopsuesthensis operibus exscripta, quæ Vigilius sua responsione refellit, anathemateque percutit. At Theodori nomini Ephesino exemplo vult parcitum: *Dispensatim mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati subdit, neque alios.* Neque Proclum, ait, neque Chalcedonenses etiam Theodori Personam atro carbone notasse. Chrysostomum, Flavianumque violenter Ecclesia sua pulsos, pro damnatis habitos non fuisse, quia Ecclesiæ Romanæ coujungebantur. Dionysium Alexandrinum Nepotis de millenario Christi in terris regno errorem refutasse. Nepotem vero, quia jam defunctus fuerat, nulla injuria aggressum esse: *Nulli licere noviter aliquid de mortuorum judicare personis, sed in hoc relinqui, in quo unumquemque dies supremus invenit*. De Theodorito subjungit, personæ ejus honorem habendum esse: satis esse si errores damnentur, quos quinque anathematibus profligat. 1. Si quis cum existente jam homine Verbum Dei conjunctum fuisse dixerit, ut per hoc sancta Virgo vere Dei genitrix non esse credatur, anathema sit. Si quis Christo homini tamquam uni justorum, inha-

Vigilius neminem post mortem damnari vult.

inhabitare Deum Verbum dixerit, anathema sit. 3. Si quis naturarum divisionem introducat, anathema sit. 4. Si quis J. C. futurorum ignorantiam, aut diei ultimi judicii habuisse dixerit, anathema sit. 5. Si quis obedientiam, preces, supplicationes Christo tantum ut Deo tribuerit, ut duos Filios inducat, anathema sit. Ad epistolam Ibæ progressus, narrat, se Græcæ linguæ ignarum per doctos expendisse, quid ab eo Præsule gestum fuerit, ac se tandem comperisse Orthodoxum fuisse. Animo observentur verba Pontificis: *Apparet Ibam, & priusquam duodecim Capitula Beati Cyrilli intelligeret, & cum in eis suspicaretur, unam Christi prædicari naturam, orthodoxo sensu, quod male dictum existimaverat, reprobasse, & post explanationem eorumdem orthodoxo sensu, quæ recte dicta cognoverat, venerabiliter suscepisse*. Hinc Chalcedonensis Concilii authoritati consultum volens, a quo Ibas restitutus erat, Vigilius hæc statuit: *Statuimus & decernimus, nulli ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas pertinenti, licere quidquam contrarium his, quæ præsenti asseruimus, vel statuimus Constituto; de sæpe dictis tribus Capitulis aut conscribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam post præsentem definitionem movere ulterius quæstionem. Si quid vero de iisdem tribus Capitulis contra hæc, quæ hic asseruimus, vel statuimus, nomine cujuscumque ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & a quolibet ubicumque repertum, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apostolicæ, cui per gratiam Dei præsidemus, refutamus*. Constituto Episcopi XVII. cum tribus Ecclesiæ Romanæ Diaconis subscripsere: datum pridie Idus Maii, imperante Domino nostro Justiniano, perpetuo Augusto anno XXVII. P. C. Basilii V. C. anno XII.. Suppresso Vigilii constituto, septimam synodus sessionem habuit die tertio Junii, ut Baluziana collectio, ceteris amplior, & accuratior, habet.

Vigilius tria capitula damnari prohibet.

13. In ea Constantius Gloriosissimus sacri Palatii Quæstor synodo exposuit, quantum studii Justinianus habuerit, ut de tribus capitulis sententia proferretur, sæpe Vigilium rogasse, ut synodo se conjungeret; deinde Pontificem non semel, & voce, & scripto tria capitula damnasse; sed postmodum scriptum quoddam (constitutum intellige) ad Imperatorem misisse, quo de tribus capitulis agebatur; at ab Impera-

Sessio septima.

Jesu Chr. An. 553.

peratore repudiatum fuisse; rogare demum, ut antequam de tribus capitulis quæstioni finem imponerent, Vigilii quædam scripta, quæ synodo exhibenda promiserat, ante oculos haberent. Cum enim Romani Pontificis sententia prima semper in Oecumenicis conciliis rogata esset, ea non expectata, nil decerni poterat; itaque ut Vigilii quoque in trium capitulorum condemnatione consensum adesse probaret, Constitutum quidem præteriit, quo ea condemnari prohibuerat, alia Vigilii scripta exhibuit, quibus eadem capitula anathemate digna alias judicaverat. Quare synodus in collatione octava magnum decreti sui momentum in eo posuit, quod Vigilius tria capitula sæpius & scripto, & sine scripto condemnasset, etsi conquæratur, quod conventui, licet illustri legatione invitatus, interesse noluerit. Vigilii autem scripta a Constantino synodo exhibita hæc sunt. Primo excommunicationis sententia a Vigilio in Rusticum & Sebastianum Romanos Diaconos lata, eo quod tria capitula pervicacissime defenderant. Lectæ sunt etiam Vigilii epistolæ ad Valentinianum Tomitanum Episcopum, & Aurelianum Arelatensem, tum etiam promissa Imperatori sæpius repetita, se tria capitula omnino condemnaturum; ex quibus omnibus constabat, Vigilium non semel tria capitula condemnasse. Sicque prætermissa ultima Vigilii sententia in constituto vulgata, ac silentio obruta, sequenti sessione tria capitula hujusmodi decreto condemnata sunt.

Vigilii scripta contra tria capitula exhibentur.

Sessio octava

14. Octava itaque actione, IV. nonas junias habita, Sententiam suam contra tria capitula tandem synodus protulit; probatis enim quatuor Œcumenicis synodis, de iis capitibus hæc statuit. *Prædicta igitur tria capitula anathematizamus, idest Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoritus conscripsit, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum, vel recta ea dicere præsumunt, vel omnino impietatem eorum nomine sanctorum Patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt, aut defendere conantur.* Sequuntur Anathematismi XIV. I. Si quis non confitetur unam in tribus Personis naturam, anathema sit. II. Si quis non confitetur Dei Verbi duas nativitates, unam quidem ante secula ex Patre, alteram in tempore ex Virgine Maria, anathema sit. III. Si quis dicit, Deum Verbum in Christo esse, ut alterum in altero, & non unum eumdemque Dominum Jesum

Synodus tria capitula damnat.

Jesum Christum, anathema sit. IV. Si quis non confitetur, Unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, anathema sit. V. Si quis duas in Christo personas inducit, anathema sit. VI. Si quis abusive, non vere Dei genetricem dicit S. Mariam, sed Christi genitricem, tamquam si Christus Deus non esset, anathema sit. VII. Si quis in duabus naturis Christum agnoscens, ait separatim unamquamque naturam suam habere subsistentiam, anathema sit. VIII. Si quis unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic intelligit, quod ex divina & humana unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est, anathema esto. IX. Si quis duas Christi adorationes inducit, & non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, anathema sit. X. Si quis non confitetur. J. C. crucifixum unum esse de S. Trinitate, anathema sit. XI. Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum scriptis, anathema sit. XII. Si quis non anathematizat Theodorum, & impia ejus scripta, & omnes, qui defendunt eum, anathema sit. XIII. Si quis defendit impia Theodoriti scripta, & contra Ephesinam synodum, & sanctum Cyrillum, & pro Theodoro, & Nestorio, anathema sit. XIV. Si quis Ibæ defendit Epistolam, dicentis & purum ex Maria hominem natum esse, & Cyrillum Apollinaristam esse, anathema sit.

Anathemata a synodo prolata.

15. Ex his porro anathematismis liquido constat, Origenem in synodo quinta anathemate percussum fuisse, cujus nomen cum Ario, Eunomio, ceterisque hæreticis canone undecimo recensetur. Nec Haloixio assentiri possumus, dum ait, Origenis nomen Canoni XI. synodi V. intrusum fuisse, in quem corruptum Canonem, cum sexta, & septima synodus Generalis incidissent, ac fraudem ex Canone XI. quintæ synodi non cognovissent, anathemata a synodo V. lata in Origenem sua sententia confirmarunt. Commenta sunt hæc erudito scriptore prorsus indigna, ac a Norisio pluribus confutata. Cum præcipue ante sextam, septimamque synodum, quarum auctoritas maximi momenti est, idipsum coævi scriptores testentur, inter eos Cyrillus Scithopolitanus

Utrum Origenes in synodo 5. damnatus sit.

tanus

JESU CHR. AN. 553. tanus S. Sabæ discipulus, qui de Origene a synodo quinta damnato in vita S. Sabæ hæc habet. *Post hæc cum sancta, & Oecumenica quinta synodus congregata fuisset Bizantii, Theodorus Mopsuestiæ, & Origenes, & una cum his impia de præexistentia, & restitutione dogmata generali fuerunt anathemati subjecta*. Eademque narrat in vita Euthymii. Huic addimus S. Sophronium Hierosolimitanum Patriarcham, qui paulo post floruit, in epistola ad Sergium actione 6. synodi 6. recitata, hæc habet. *Etiam quintum præter istos, & post istos aliud concilium universaliter constitutum suscipio, quod in Regia urbe etiam celebratum est, Justiniano tunc sceptra Romani Imperii administrante, & omnes ejus præclaras definitiones, quod ad confirmationem quidem nominatissimi Chalcedonensis concilii celebratum est. Perimit autem, & in interitum projicit principaliter Origenem insanum, & omnes ejus pomposas somnolentias, & plena multæ impietatis commenta*. Itaque extra dubium est, Origenem hac V. synodo damnatum fuisse, quod etiam ex ejusdem synodi gestis patet. Cum tamen in octo sessionibus ejusdem synodi hactenus expositis nulla de Origene ejusque dogmatibus mentio occurrat; hinc eruditorum plurimi, Origenem quidem tunc temporis condemnatum fuisse scribunt in synodo CPoli sub Menna celebrata, quæ a veteribus synodi v. nomine inscripta fuit, tanquam appendix, & pars synodi quintæ, in quam sententiam ierunt Valesius, Garnerius, & Dupinius. At hæc etiam vix probabilia sunt, utpote actis ipsius synodi contraria, ut ex canone XI. constat, & auctoribus qui synodo, vel coævi, vel suppares fuerunt, inter quos eminet Cyrillus Scithopolitanus, qui geminæ damnationis Origenis, diversis temporibus, & synodis in urbe Regia peractis mentionem facit, prioris scilicet cum ait: *Accepto libello piissimus Imperator edictum adversus Origenis decreta edidit. Edicto Mennas CP Patriarcha suscripsit, una cum synodo sua*; hæc anno 543. acta sunt. Posterioris vero damnationis meminit inferius in supracitato loco, dum de synodo V. agit. Cyrilli sententiam Evagrius confirmat, qui triginta tantum post synodum V. annis floruit. *Cum libelli ab Eulogio, Conone Cyriaco, & Pancratio Monachis dati essent contra dogmata Origenis Adamantii, & contra eos, qui impietatem, atque errores illius sequebantur, de his Justinianus Synodum, quæ congregata erat, consuluit. Missa est*

Evag. lib. 4. cap. 38.

est igitur relatio a prædicta Synodo ad Justinianum, post acclamationes, quas contra Origenem, & ejusdem cum illo erroris Sectatores congesserant, cujus pars sic habet: Cum animum possideas cælestis nobilitatis participem, Christianissime Imperator: & paulo post: fugimus itaque, fugimus istam doctrinam. Neque enim novimus alienorum vocem, & illum tanquam furem, ac latronem anathematis laqueis firme constrictum, procul a sacris septis ejecimus . . . Eorum vero, quæ a nobis gesta sunt, vim ac virtutem ex eorumdem lectione cognoscetis. His adjunxerunt etiam capita quæcumque Origenis Sectatores profiteri a Magistris suis didicerunt, ex quibus tum consensus eorum, tum dissensio, ac multiplex, & multifidus error deprehenditur. Hactenus Evagrius, quem locum obtorto collo ad synodum sub Menna habitam trahunt, Valesius, & Garnerius, cum eo capite de synodo V. Evagrius loquatur. Extat etiam Justiniani epistola apud Cedrenum, qua, ut Origenem condemnarent, congregatos Patres hortatur: *Vos hortamur*, ait, *o Sanctissimi Patres, ut in unum collecti subjectam expositorum, & singula ejus capita examinetis, damnetisque cum Origene omnes, qui idem sentiunt.* Has integras Baronius exhibet. Hactenus autem dicta confirmantur ex verbis secundæ professionis fidei, quæ in libro diurno Romanorum Pontificum ab Garnerio edito legitur, ubi postquam actum est de quatuor prioribus synodis Œcumenicis, subditur: *Hæc igitur Sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam Sanctum Quintum Concilium venerandum assecutum est, & sub piæ memoriæ Justiniano Principe apud Constantinopolitanam Urbem est congregatum, cujus salutari consultu, unus esse de sancta Trinitate Dominus noster Jesus Christus veraciter prædictus est &c. In hoc Origenes cum impiis discipulis & sequacibus, Didymo, & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis prosecuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi. In eo Theodorus Mopsuestenus Auctor Nestorii, pariterque Diodorus &c. Cum his & Epistola, quæ Ibæ dicitur ad Marin Persam, & scripta Theodoriti adversus beatissimum Cyrillum, cum condemnatione projecta sunt &c. Inter hæc veneranda universalia Quinque Concilia etiam Sanctum Sextum Concilium universale prædicamus.* Quare Origenes, & Sectatores, Justiniano imperante, non solum in privato; sed etiam in

JESU CHR. AN. 553.

Jesu Chr. an. 553.

Quo tempore Origenes a synodo quinta damnatus sit.

in universali Concilio Constantinopolitano damnati sunt.

16. Restat adhuc, ut inquiramus, num Origenis damnatio trium capitulorum damnationem præcesserit, vel subsecuta fuerit. De Marcha quidem de tribus capitulis primum in synodo V. actum fuisse, deinde de Origenis erroribus scribit; at Baronius, & Norisius Origenis causam præcessisse tradunt, idemque Theophanes, & Evagrius confirmant, dum ad notant adversus Origenis, Evagrii, & Dydimi errores synodum V. primo, ac præcipue collectam fuisse. Secundo autem loco adversus tria capitula. Id etiam ipsius synodi acta probant, cum canone XI. sessionis octavæ, quæ postrema fuit in causa trium capitulorum, anathema dictum est Origeni; unde patet Adamantii causam jam fuisse agitatam, alioquin incognita causa condemnatus fuisset. Insuper Theodorus Cappadox Origenis patronus, ut probaret Theodorum Mopsuesthenum jam mortuum jure damnari posse collatione quinta, ita synodum allocutus est: *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos, nec non etiam Origenem, etsi ad tempora Theophili Sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem invenerit anathematizatum, quod nunc in ipso* (Origene scilicet) *fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Papa religiosissimus antiquioris Romæ: fatente ergo Origenistarum Principe, a synodo V., & a Vigilio Papa Origenes damnatus fuerat, & quidem antequam trium capitulorum causa finita esset*. Id etiam manifestum est, damnatis jam tribus capitulis Origenis causam iterum retractatam fuisse, cum Archimandritarum nonnulli, qui ad synodum convenerant, contra Origenistas libellos synodo obtulerunt, inter eos Canon Præfectus Lauræ S. Sabæ, ac Rufus Abbas monasterii S. Theodosii in Palæstina.

Origenis sectatores a synodo 5. damnati.

Evag. lib. 4. cap. 38.

17. Quid de Origenis sectatoribus a synodo statutum fuerit, nos docet Evagrius, qui synodalia gesta perlegit: *Cum autem libelli ab Eulogio Conone Cyriaco, & Pancratio monachis dati essent contra dogmata Origenis Adamantii, & contra eos, qui impietatem atque errores illius sequebantur, de his Justinianus synodum, quæ congregata erat, consuluit, subjecto epistolæ suæ exemplari ejusdem libelli, & iis, quæ ad Vigilium his de rebus scripserat. Ex quibus omnibus deprehendere licet, id studium fuisse Origeni, ut Apostolicorum dogmatum simplicitatem, Genti-*

Gentilium & Manichaeorum lolio repleret. Missa est igitur relatio a praedicta Synodo ad Justinianum, post acclamationes quas contra Origenem, & ejusdem cum illo erroris sectatores congesserant &c.; inter cetera addit: *Retulerunt etiam iidem Patres multas alias Didymi, Evagrii, ac Theodori blasphemias, quas studiose admodum ex eorum libris excerpserant*. Hæc Evagrius, ex quibus patet a synodo quinta Origenem primo loco, deinde Theodorum Mopsuesthenum, Ibæ epistolam, Theodoriti scripta contra Cyrillum, ac iterum Origenistas a synodo damnatos fuisse.

Jesu Chr. an. 553.

Synodi 5. canones contra Origenem, & Origenistas.

18. Cum autem Evagrius, & Didymus Origenistarum in Palæstina præcipui Origenis deliramenta inter Palæstinæ monachos disseminarent; ea coram quatuor Patriarchis a synodo quinta nominatim damnata fuisse narrat Euthimius in vita S. Sabæ, extantque adhuc canones quindecim ex Cæsarea bibliotheca a Lambecio editi, quibus de præexistentia animarum, rerumque omnium restitutione paradoxa damnantur, quorum hæc summa est: Primo *Siquis fabulosam animarum præexistentiam, quæque ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asserit, anathema sit*. II. Si quis dixerit spiritus innumeros ejusdem virtutis, & qualitatis productos ex contemplatione Dei verbi satietatem tulisse, & in deterius prolapsos, & corpora accepisse, & nomina, ut alii Cherubim, alii Seraphim, alii Principatus vocarentur, anathema sit. III. Si quis dixerit Solem, Lunam, Astra ex deflectione in pejus facta esse id quod sunt, anathema sit. IV. Si quis dixerit, rationalia frigescente charitate crassis corporibus affixa, homines appellatos esse; alia vero cum ad summam mollitiem evasissent, frigidis tenebrosisque corporibus alligata, Dœmones fuisse vocatos, anathema sit. V. Si quis dixerit, ex Angelico & Archangelico statu animalem conditionem fieri, ex animali autem Dæmoniacum, & humanum statum; ex humano vero Angelos iterum, Dœmonesque fieri, anathema sit. VI. Si quis dixerit, duplex extitisse Dœmonum genus, constans ex animabus hominum, & ex præstantioribus spiritibus in hoc delapsis, unam autem mentem in charitate, & contemplatione Dei non mansisse, qui Christus fuerit, mundumque a Trinitate, sed a mente opifice conditum esse, anathema sit. VII. Si quis dixerit, Christum ante secula Deo conjunctum, novissimis

Jesu Chr. an. 553. temporibus omnia omnibus factum, in Angelis Angelum, postea participem factum esse carnis, & sanguinis, anathema sit. VIII. Si quis non dixerit, Deum Verbum Patri, & Spiritui S. coessentialem incarnatum esse, & proprie Christum, anathema sit. IX. Si quis dixerit, non Dei Verbum per animam rationalem descendisse in infernum, & per eamdem rursus ascendisse in Cœlum, sed eam, quæ ipsis dicitur mens, ex monadis cognitione Christus sit effecta, anathema sit. X. Si quis dixerit Domini Corpus post resurrectionem æthereum, & sphæricum fuisse, taliaque futura cæterorum corpora, & corporum naturam in nihilum redigendam, anathema sit. XI. Si quis dixerit, per futurum Judicium nil materiale remansurum, anathema sit. XII. Si quis dixerit, simili prorsus ratione cælestes virtutes, homines, Diabolum cum Deo copulari, quomodo mens ea, quæ ipsis Christus nuncupatur, eumque finem fore Regni Christi, anathema sit. XIII. Si quis dixerit, Christi & rationalium differentiam futuram non esse in natura, cognitione, potentia, quia erunt omnes a dextris Dei, quemadmodum ante fabulosam præexistentiam, anathema sit. XIV. Si quis dixerit, rationalium futuram esse unitatem, sublatis & personis, & numeris, simul cum corporibus, ac post rationalium cognitionem sequi mundorum interitum, anathema sit. XV. Si quis dixerit, vitam mentium eamdem fore cum priori antequam decessissent, vel essent delapsæ, anathema sit.

An Vigilius synodo 5. consenserit. 19. Absoluta jam synodo, damnatisque tribus capitibus, una cum Origene, ejusque asseclis, inquirendum restat, num Vigilius (quem trium capitulorum vindicem, edito constituto hoc anno vidimus) synodo tandem accesserit. Nam si eidem Vigilius tandem subscripsit, eamdem synodum firmitatem, auctoritatemque habuisse constabit, quam immerito, ut Origenem vindicaret, probris lacessivit

Haloix §.12. Haloixius his verbis. *Illam synodum ab ecclesia magis toleratam, ac permissam, quam grato ac volenti animo admissam ac receptam*; & §. 12.. *Quomodo enim Justiniani conciliabulum instigante Diabolo concitatum, & confectum potest ulla veneratione esse dignum*; & §. 7.: ait *nullum extare scriptum, quo ostendatur Vigilius, aut præsens verbo, aut absens scripto consensum postea dedisse concilio*. Falso tamen hæc scripsisse

psisse Haloixium ex dicendis constabit. Nam Vigilius hoc eodem anno synodi sententiæ consensit, ac scripto etiam anno sequenti confirmavit. Cum etenim Justinianus ægre admodum tulisset, quod Vigilius præsentiam suam synodo denegasset, ac scripto constituto synodi sententiam confutasset, epistolam Episcopis per Constantinum quæstorem misit, qua eos admonebat, ut Vigilii Papæ nomen synodi auctoritate e dypticis abjicerent, cujus hæc sunt verba. *In nomine Domini J. C. Imperator Cæsar Flavius Justinianus . . . Beatissimis Archiepiscopis, & Patriarchis Eutychio CP.*, aliisque . . . *& cæteris religiosissimis Episcopis ex diversis provinciis in hac Regia urbe degentibus*. Præmissa vero capitulorum condamnatione subjungit: *Quando vero religiosissimus Papa antiquioris Romæ ad istam magnam civitatem pervenit, omnia ista manifestata sunt, & cum hæc examinasset, & condemnavit, & satisfactionem in scriptis exposuit, tam nobis, quam piæ recordationis conjugi nostræ. Nec enim patiebamur, nec ab eo, nec alio quocumque inviolatam communionem suscipere, qui non istam impietatem condemnat. Sed & sacramenta terribilia in scriptis juravit, ut in eadem permaneret voluntate, in condemnatione, & anathemate prædictorum Trium Capitulorum, & nullo modo vel tempore conaretur aliquid ad refutationem condemnationis prædictorum impiorum Capitulorum. Quod autem sine scriptis sæpius condemnavit impia tria Capitula, coram gloriosissimis Judicibus, & religiosissimis Episcopis, & plures ex vobis qui convenistis, cognoscunt, & hæc agens permansit septem annos. Postea vero & scripta inter vos, & illum processerunt, in quibus invicem confessi estis convenire, & synodice prædictorum Capitulorum facere condemnationem. Et postea invitatus tam a nobis, quam a vestra religiosa synodo, communiter quidem convenire recusavit. Contrariæ autem factus est suæ voluntatis, ea defendens, quæ Nestorii, & Theodori sequaces sapiunt. Præterea ipse semetipsum alienum Catholicæ Ecclesiæ fecit, defendens prædictorum Capitulorum impietatem, separans autem semetipsum a vestra communione. His igitur ab eo factis, alienum Christianis judicavimus, nomen ipsius sacris Diptycis non recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii, & Theodori impietati communicantes &c.*

JESU CHR. AN. 553.

20. Hæc Justinianus ad Episcopos CP. congregatos an

An Vigilium in exilium Justinianus ejecerit.

Jesu Chr. An. 553. An autem Vigilii nomen e Dypticis ejectum fuerit, ignoratur. Id quidem Anastasii auctoritate passim latini scriptores tradunt, atque in exilium abire compulsum fuisse, quod etiam ex Marcellini chronico confirmant, quo hæc legitur: *Indict. II. postcoss. Basilii VC. XIII. Vigilius Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & a Narse, de exilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit*. Sed ut adnotavit Norisius, hæc Marcellini chronico ab imperita manu inserta sunt. Qui enim tunc Romani Imperatores? unus sane sine Augusta, Justinianus rerum potiebatur. Quid in his Narses, qui Italico bello detinebatur? Nullus certe antiquorum, si hunc Marcellini locum, & Anastasium excipias, Vigilium in exilio fuisse scribit: Victor in chronico, Romanum Diaconum, pertinacemque capitulorum defensorem Rusticum relegatum tradit: cur eadem pœna Romanum Pontificem mulctatum non tradidit? His adde non eo usque in trium capitulorum defensione restitisse Vigilium concilio, ut ea de causa in exilium mitteretur, cui per litteras, teste Evagrio, consensit; *Vigilius*, inquit, *per litteras consensit concilio, non tamen interesse voluit*, quod etiam ex Vigilii ipsius constituto anno sequenti dato, quo in synodo gesta confirmavit, probatur.

Vigilii epist. ad Eutychium. 21. Nunc Vigilii Papæ epistolam damus, quam Demarcha ex bibliothecæ Regiæ tenebris erutam una cum dissertatione de Vigilii decreto in lucem edidit, cujus hæc est inscriptio. *Dilecto Fratri Eutychio Vigilius*, deinde: *Scandala*, inquit Pontifex, *quæ humani generis inimicus in universo Mundo excitavit, nullus ignorat: adeo ut unumquemque propositum suum ad subvertendam Dei Ecclesiam per universum Orbem diffusam, quocumque modo implere satagentem, non tantum suo nomine, sed etiam nostro, atque aliorum, diversa tum loquendo, tum scribendo, componere impulerit; in tantum ut nos ipsos una cum fratribus & Coepiscopis nostris, in urbe regia degentes, & æquali reverentia quatuor synodos vindicantes, & in una eademque quatuor illarum synodorum fide sincere persistentes, cavillationibus, versutiis, & dolo malo ab iis dividere conatus fuerit; ita ut nos metipsi qui ejusdem cum illis eramus, & sumus de fide sententiæ, insuper habita dilectione fraterna in discordiam abierimus. Sed quoniam Christus Deus noster, qui est lux*

lux vera, quem tenebræ non comprehendunt, omni confusione a mentibus nostris remota, universum orbem & Ecclesiam ad pacem revocavit, itaut quæ a nobis definiri debent, revelante Domino, & veritate investigata salubriter impleta sint. Idcirco sciat vestrum universa fraternitas, quod quatuor synodos, hoc est Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem una cum iisdem fratribus nostris, in omnibus suscipimus, & devota mente veneramur, atque unanimiter servamus. Deinde pergit Vigilius: *desiderantes ea scire fraternitatem vestram, quæ a nobis facta sunt, his nostris litteris ipsi manifestum facimus. Quoniam nulli dubium est, quot quantaque mota sunt ob tria Capitula, hoc est de Theodoro olim Mopsuestiæ Episcopo, ejusque scriptis, quin etiam de scriptis Theodoreti, & de epistola quæ dicitur scripta ab Iba ad Marim Persam, & quam diversa de tribus illis Capitulis data atque conscripta sunt. Ideo si in omni negotio sapientiæ ratio postulat, ut id de quo quæritur retractetur; neque pudori esse debet, cum ea quæ ab initio omissa, studio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur; quanto magis ecclesiasticis disceptationibus convenit, eamdem rationem in illis quoque observari? Præcipue cum manifestum sit patres nostros, & maxime beatissimum Augustinum, qui in divinis scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ Magistrum, propria scripta retractasse, dictaque sua correxisse, atque illa quæ omiserat, ac deinde invenerat, addidisse. Nos quoque similiter illis exemplis incitati, in controversia trium Capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin investigaremus, quid de prædictis tribus Capitulis in Patrum nostrorum literis verius inveniri posset;* recitatis deinde pluribus erroribus ex libris Theodori, ex Theodoreti scriptis contra S. Cyrillum, nec non ex Ibæ Edesseni epistola, subdit: *Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus, & condemnamus, scilicet impium Theodorum Mopsuestiæ, una cum impiis ejus scriptis, & quæcumque impie Theodoretus scripsit: atque etiam epistolam, quæ dicitur ab Iba scriptam fuisse, qua superius dictæ profanæ blasphemiæ comprehenduntur. Quin etiam quemcumque, qui crediderit, aliquo ullo tempore ea capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus. Quoscumque*

JESU CHR. AN. 553.

Vigilius tria capitula damnat.

Jesu Chr. an. 553.

cumque vero, qui rectam fidem servantes a dictis synodis prædicatam, memorata tria capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, fratres & consacerdotes esse definimus. Quæ vero aut a me, aut ab aliis ad defensionem prædictorum trium capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus. Absit enim ab Ecclesia catholica, ut aliquis dicat omnes superius comprehensas blasphemias, a prædictis quatuor synodis, aut ab una ipsarum susceptas fuisse, vel eos, qui similia sentiunt & sequuntur. Apertissimum autem est quod a memoratis sanctis patribus, & maxime a sancta synodo Chalcedonensi, nullus de quo aliqua esset suspicio admissus est, nisi qui rejecisset superius comprehensas blasphemias, aut illis similia, vel hæresim, de qua fuit suspectus, vel blasphemias denegavisset & condemnasset, in quarum suspicionem venit: Deus te servet incolumem frater honoratissime. Data ante sextum Idus Decembres, imperii Domini Nostri Justiniani æterni Augusti anno vigesimo septimo, post Consulatum Basilii, viri clarissimi, anno duodecimo.

Vigilii epistola vindicatur. *Lupus notis ad synod. 5. cap. 6. Sirmond. synopsi chronolog. ad Facundi libros. Haloix pag. 349. Garner. dissert. de synod. 5. cap. 6.*

22. Itaque Vigilius elapsis vix a synodo sex mensibus synodum sua sententia comprobavit. In hujus epistolæ subscriptione mendum irrepsisse existimant viri eruditi Lupus, Sirmondus, & Haloixius, legendumque loco postcss. Basilii anno XII., anno XVII., ut Vigilii exilio tempus inveniant, usque ad annum 558.. At hæc opinio falsa omnino est, ut Norisius animadvertit, ex lege enim Justiniani anno sequenti Vigilii hortatu data, constat, amico animo in Vigilium fuisse, in cujus gratiam plurima Romanis concessit. Hanc etiam epistolam in dubium vocat Garnerius, conjecturisque aliquot suspectam reddere conatur. At qui plura de his desiderat, præter Garnerium adeat dissertationem Petri de Marcha, & Norisium, cum quibus nos plane sentiendum arbitramur.

Cur Vigilius tandem tria capitula damnaverit.

23. Cur autem Vigilius tam cito satis Justiniano fecerit, ac synodo accedens, omnem curam pro tuendis tribus capitulis deposuerit, facili negotio dignosci potest, scilicet, ne Orientalem inter, & Occidentalem ecclesiam schisma exurgeret. Cui enim bono trium capitulorum defensionem suscipere, cum tanti schismatis periculo, quando salva fide, salva quatuor Occumenicis conciliis debita reverentia, eadem damnari poterant? Exigebat ergo ecclesiarum solli-

follicitudo, quam Vigilius gerebat, ut hac Œconomia se gereret, cum sopiendis excitatis controversiis, cum tanto ecclesiarum damno, ac fidelium scandalo vix superesset effugium, quam si ceteri per orbem Episcopi secuti fuissent, toto orbe pax reddita fuisset. Justinianus vero repugnantes synodo, ac Vigilii decretis in exilium jussit deportari. Eo spectant Liberati verba: *Quæ subsequenter in Episcopis, & Catholica ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem Capitulorum, muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi in exilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes, in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc a me silenda*. Inter exules Rusticus diaconus, & Felix Abbas reperiuntur: *Quoniam Decretis Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Felix Gillensis Monasterii Provinciæ Affricanæ Hegumenus, contradicentes scripto, Thebaida in exilium cum suis sociis transmittuntur*, ait *Victor in chronico. Anno subsequente Frontinus Salonensis antistes Ecclesiæ ad regiam Urbem evocatus, pro defensione trium eorumdem Capitulorum Antinœnsi primæ Thebaidæ civitatis exilio deputatur*.

JESU CHR. AN. 553.

Liberat. brev cap. 22.

24. Absoluta synodo, Justinianum ejusdem acta in singulas provincias misisse, ut ab omnibus Episcopis subscriberentur, verosimile est. Hierosolymam ea missa fuisse Cyrillus in vita S. Sabæ testatur, ac Palæstinæ Episcopi synodum adprobasse addit, *nisi quod Alexander Episcopus Abyles contrarium sensit, quamobrem Episcopatu exutus Bizantium se recepit, & terræmotu absorptus est, & defossus*, quod sequenti anno contigit. Eadem pœna mulctati sunt monachi, qui novam lauram S. Sabæ incolebant, quos cum ad unitatem ecclesiæ, atque ad subscribenda synodi V. acta perducere non posset Eusthochius Hierosolymorum Patriarcha, elapsis octo a synodo mensibus, eosdem e Laura expulit, uti narrat Evagrius. Sicque factum est, ait Eusthasius CPolitanus Presbyter: *Cum ex quatuor Pastorum concordia electi unum ovile, atque unus Pastor, & omnis disciplinæ moderatio per Sacerdotes, & Sacerdotum Præsules conquievisset, discesserunt singuli ad suas civitates, & populos magno cum gaudio*. Baronius quidem adnotat, quinta synodo absoluta, *Tantum abest, ut pax reddita sit ecclesiis, ut magis bellum*

Palæstini Episcopi quintæ synodo subscribunt resistentes exilio mulctantur.

Jesu Chr. an. 553. Bar. an. 550. num. 250.

bellum exarserit, intestinaque discordia magis sævierit, quæ verba, ut synodum deprimeret, Haloixius libenter excepit; sed quis ignorat, ait Norisius, post Nicænam synodum ingentes tumultus ab Eusebianis, & Meletianis excitatos? Post Chalcedonensem, quas turbas Ecclesiæ *Acephali* non dedere? Quid igitur mirum, si post quintam synodum non statim pax Ecclesiæ reddita est? Hanc sane pacem se donaturum Orbi Catholico per illam Synodum Justinianus existimaverat, unde eumdem Augustum initio sui *Constituti* Vigilius commendavit: *Laudabile*, inquit, *Clementiæ Vestræ cognovimus esse propositum, per quod summotis omnibus discordiæ seminibus &c.*. Sanctus vero Agatho circa finem Epistolæ ad Constantinum Pogonatum, quæ habetur Act. IV. sextæ synodi, ait: *Extremi quidem, præstantissimi tamen omnium Magni illius Justiniani, cujus ut virtus & pietas omnia in meliorem ordinem restauravit &c*. Nam brevi Occidentalis Ecclesia synodum V. recepit. In Oriente vero per synodum V. omnia dissidia composita fuisse, duo oculati testes scripsere, Eustathius scilicet cap. 22. de vita sancti Eutychii, qui inquit: Post. V. synodum *summa pax, & magna tranquillitas in Dei Ecclesia est consecuta*; & Cyrillus cap. 109. de Vita Sancti Sabæ, qui scribit: *Post hæc cum sancta & Oecumenica V. synodus congregata fuisset Byzantii, Theodorus Mopsuestiæ, & Origenes, & una cum his impia de præexistentia & restitutione dogmata, generali fuerunt subjecta anathemati, & sic hæreticis deinceps omni oblata libertate loquendi, divini Sabæ Laura, & universa fere cum eis Palæstina, vigesimo tertio anno post illius mortem a gravibus hæresibus, & temporis acerbitate & iniquitate respirarunt, & quidem deinceps, & tranquillam vitam egerunt*. Mortuus est Sanctus Sabas anno 531., universaque Palæstina, in qua a tempore *Joannis* Hierosolymitani, *Rufini*, *ac Melaniæ*, circiter per annos 160. Origenistæ ingentes turbas concitarant, synodi V. beneficio pacem sortita est. Quod vero Acephali ad ecclesiæ unitatem post synodum non redierint, id synodo non est adscribendum, sicuti post Tridentinam Calvinistæ, & Lutherani nequaquam in ecclesiam redierunt, quin in suis erroribus obstinatius adhæserunt. Quinta itaque synodus, Nicæna, Tridentina, aliæque Œcumenicæ prava dogmata confodere, & viam, quæ tenenda erat

Synodo quinta pax ecclesiæ reddita.

erat, docuere; quod si multi rebelles lumini fuerint, & in præconceptis opinionibus pertinaces, hoc ipsis synodis adscribendum non est.

Tejæ Regis obitus.

25. Ecclesiasticis gestis res Imperii succedant. Anno proximo Totila occiso, Thejam sibi Regem Ghoti creaverant; qui cum Francos in belli societatem frustra vocasset, cum Romanis ipse fortiter decertans, hoc anno obiit, ut narrat Procopius his verbis, historiam Gothicam absolvens: *Itaque Romani Cumas, & reliqua omnia cepere praesidia, & annus exiit XVIII. belli hujus Gothici, cujus historiam Procopius scripsit*. Cum Teja Ostrogothorum Regnum in Italia, per 60. annos prorogatum, extinctum est, ab anno scilicet 493., quo Odoacer interiit. Cetera quæ in Italia gesta sunt, post Tejæ mortem ex Agathia mutuabimus, qui Procopii Gothicam historiam prosecutus est, ut præfatione sua testatur: *Procopium ad annum usque sextum, & vigesimum Regni Justiniani Gothorum* gesta narrasse, tum subdit: *Ego vero his proxima, & consequentia, ut initio mihi propositum fuit persequens, res ipsas aggredior*. Tum librum suæ historiæ primum exorditur, narratisque *Tejæ* morte, & Gothorum cum Romanis pace, de quibus etiam agit Procopius in fine suæ Historiæ, refert Gothos quosdam *Francorum* auxilia implorasse, sed cum eorum petitio *Theodebaldo* Francorum Regi non admodum probata fuisset, *Leutharium & Butilinum*, duos germanos Fratres, genere quidem Alemannos, maximam vero apud Francos potentiam consecutos, belli cum eis societatem iniisse, ac duo & septuaginta strenuorum virorum millia collegisse. *Narses* vero moto exercitu ad *Cumas* oppidum munitissimum in arduo quodam colle situm, processit, & post diuturnam obsidionem, quam pluribus refert Agathias, illud in suam potestatem redegit. Hoc summarium libri primi Historiæ Agathiæ, in quo nonnisi quæ Procopius anno belli Gothici XVIII. narraverat addit, iis adjungens, quæ is prætermiserat, & fusiori stylo tradit, quæ Procopius brevius tetigerat.

Leutharis & Butilinus Duces Italiam excurrunt ac prædantur.

26. Vere autem ineunte, prosequitur Agathias, Butilinus & Leutaris Alemannorum duces cum Theobaldum Francorum Regem ab inferendo Romanis in Italia bello alienum viderent; spe prædæ capti, hanc ipsi provinciam suscepere, atque in Italiam cum maximo exercitu 70. millium armatorum

Jesu Chr. an. 553. digressi, totam fere Italiam excursionibus depredarunt, ut fusiori stilo Agathias narrat, atque Butilinus quidem cum majore validioreque exercitus parte Tyrrenum littus, & totam fere Campaniam, Lucaniam, & Brutios depredatus est, ac ad fretum usque, quod Siciliam & fines Italiæ dirimit, pervenit; Leutaris vero ejus frater reliquas copias ducens, Apuliam, & Calabriam excurrit, Hidruntum usque, quibus in excursionibus dum Franci, qui sub his ducibus militabant reverentiam, pietatemque circa templa exercerent, Alemanni ea irriverenter ingressi diripiebant, ornamentisque spoliabant. Aliter enim hi circa religionem sunt, inquit auctor, affecti: *Rebus hisce perpetratis, cum jam ingentem spoliorum vim coacervassent, & jam præterlapso vere, vigeret æstas*, alteri quidem Ducum, Leutari videlicet, in animo erat domum reverti, sed cum viæ sese dedisset Artabanes, & qui cum exercitu Romano erant, insidiis in transitu collocatis, perquam exiguum e præda, quam *Leutaris* Francique fecerant, eis reliquit, eosque in fugam conjecit, postquam eorum multos trucidasset. Ceteros vero pestilenti morbo, aut fame periisse, pluribus narrat Agathias, ac addit, quod *aeris pravitatem incusabant*, causam morbi ei adscribentes: *at ipsam revera originem necessariamque causam mali plane intelligebant, quæ profecto erat injustitia, & Divina pariter atque humana jura ab ipsis proculcata. Ipsum itaque Ducem videre erat evidenter pænis divinitus immissis obnoxium: insania enim, manifestaque rabie, instar eorum qui mente capti furere solent, corripiebatur*; inquit Agathias, qui addit, Leutharim, cæterosque omnes in ditione Veneta periisse. *Butilinus* alter Dux, omnibus ad Siculum fretum usque vastatis, Campaniam versus, ac Romam se receperat, & maxima exercitus, qui ei aderat, pars morbo correpta interierat. *Vergente enim jam æstate & autumno ineunte, (currentis etiam Christi anni) vineæ quidem uvis onustæ erant; hi vero inopia aliarum rerum necessariarum (omnis enim commeatus per Narsetem prudentissime præreptus erat) avulsis uvis, succoque manibus expresso, musto sese ingurgitabant, &c. unde vehementissimo alvi profluvio laborarunt, & nonnulli eorum eo interierunt. Priusquam itaque hic morbus omnes pervaderet, committendum sibi quocumque eventu prælium censebat. Quocirca cum in Campaniam venisset, castra non procul a Capua Urbe fixit, ad ripas*

Interitus Leutharis una cum copiis.

Interitus Butilini.

ripas Casulini fluminis. Narses vero ubi hæc cognovit, statim & ipse universo exercitu Roma educto, non procul ab hostibus castra locat, sed unde & strepitus exaudiri, & vallum confici posset. Tandem ventum est ad prælium, in quo ipse Dux Butilinus cum universo exercitu ad internecionem periit; neque quisquam e Germanis ad suos est reversus, præter quinque viros, quocumque tandem modo illi evaserint; soli vero ex Romanis octoginta viri desiderati, qui quidem primum hostium impetum exceperant. Leutaris itaque, & Butilini fratrum expeditio hunc calamitosum exitum habuit, *ob injusta impiaque ipsorum facta*, inquit Agathias. Eadem narrantur a Paulo diacono, Gregorio Turonensi, qui veris falsa miscet, ut videre est apud Muratorium hoc anno.

JESU CHR. AN. 554.

Paul. Diac. lib. 2. cap. 2. Greg. Turon. lib. 3. c. 32. hist. Franc.

JESU CHRISTI AN. 554. VIGILII PAPÆ 18. JUSTINIANI IMP. 28.

Vigilii Papæ constitutum, quo tria capitula damnat.

1. Sequitur Christi annus 554. post coss. Basilii XIII., quo Vigilius synodi V. sententiam de tribus capitulis, quam anno superiori epistola ad Eutychium data confirmaverat, novo constituto edito iterum comprobavit. Hoc Vigilii scriptum, cujus nulla apud Baronium occurrit mentio, aut apud Norisium in dissertatione de synodo quinta, Baluzii diligentiæ debetur. Ut itaque toto orbe innotesceret, quæ sua de tribus capitulis sententia esset, die 23. Februarii eo scripto Vigilius declaravit, cujus scopus in eo est, ut juste meritoque tria capitula damnata fuisse probet; unde post plurima: *Prædicta igitur tria Capitula impia anathematizamus, atque damnamus, idest, Epistolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam, in qua nefandæ superius designatæ blasphemiæ continentur, & impium Theodorum Mopsuestbenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impius Theodoritus conscripsit. Et quicumque ea quoquo tempore crediderit accipienda, vel conatus fuerit aliquando præsentem damnationem resolvere, pari anathemate condemnamus. Eos autem, qui conservantes rectam fidem prædictis quatuor Synodis prædicatam, memorata Tria Capitula damnaverunt, vel damnant, fratres, & Consacerdotes habemus. Quæcumque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præsentis nostri pleni-*

JESU CHR. AN. 554. *nissimi Constituti auctoritate damnamus &c.*. Et post subscriptiones, quæ tamen desiderantur, data dicitur *VII. Kal. Martiarum, Imperante Domino Justiniano Perpetuo Augusto anno XXVII., & postcons. Basilii anno XIII.*. Hoc Vigilii decreto, cui Episcoporum accessere subscriptiones, factum est, ut quinta synodus pro Œcumenica, ac omni veneratione digna haberetur, ac in tota ecclesia auctoritatem obtineret, cui etsi aliquando restiterat Summus Pontifex Vigilius, ejusdemque sententiam alias rejecerat, re tamen attentius considerata, in synodi sententiam ivit, eoque suo consensu, & subscriptione effecit, ut quæ aliquando expers fuit auctoritatis, ut nec legitima Synodus dici meruerit, eo quod resistente Romano Pontifice fuerit congregata, & eodem contra obsistente, absoluta; ubi tamen ipsius Vigilii, & Successorum Romanorum Pontificum sententia accessit, eadem titulo Œcumenicæ toti Christiano orbi plena illuxit auctoritate. Ex quibus quisque poterit intelligere, quanta vis in Apostolica Sede resideat, cujus consensu pendeat, ut in universa Ecclesia sacrosanctum, & ab omnibus observandum habeatur, quidquid illa confirmaverit.

De synodi V. auctoritate.

2. Neque his obstat, quod dum de Synodis agunt Patres, non eodem præconio eademque fiducia celebrant Synodum Quintam, sicut alias quatuor præcedentes: nam id ea ex causa accidisse videtur, quod hac ex parte haud adeo nobilis ista quinta, ut aliæ, visa fuit, eo quod non de fide in hac actum sit, sed de personis; in quatuor autem superioribus Synodis præcipua fidei Christianæ tractata, atque stabilita sunt dogmata, nimirum de divinitate Filii Dei, & Spiritus Sancti, atque de Incarnatione Verbi. Hinc vides Sanctum Gregorium Papam non audere hanc Quintam cum quatuor superioribus conferre Synodis, cum ad Constantium Mediolanensem scribens, hæc ait: *Nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo laudaremus. De illa autem Synodo, quæ in Constantinopolim postmodum facta est, quæ a multis Quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit: quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressas Synodos sex Canones, facta contentio, & extrema actio de Personis ventilata est.* Hæc Gre-

Greg. lib. 4. ep. 39.

Gregorius. Ceterum hanc quoque synodum una cum quatuor præcedentibus S. Gregorio venerationi fuisse, scimus ex innumeris ejus epistolis ad Joannem CP. Episcopum; qui inter plurima hæc habet: *Quintum quoque concilium pariter veneror*. Eadem fere habet in epistolis ad Theodolindam Reginam, & alibi passim, quæ referre longum esset.

S. Gregorius V. synodum venerabatur.

Quæ in Vigilii defensionem adduci possunt

3. Instare tamen aliquis potest, hocque argumento, seu dilemmate, tam variam Vigilii Papæ agendi rationem arguere, quod scilicet saltem incostantiæ notam non effugiet; dum ea tandem probavit, quæ prius tam obstinate condemnaverat, cui proinde ea aptari possint, quæ Apostolus ait: *Si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo*. In quam rem adnotare juvabit, cum Baronio, in his disceptationibus de Tribus Capitulis nullam fuisse de fide quæstionem, ut alter ab altero sentiens dici posset hæreticus. Rursum pariter ex his, quæ dicta sunt, in comperto est, utramque partem in altercando, ac differendo professam esse, totum quod ageret, atque in id respexisse, ut consultum esset dignitati, & auctoritati Sacrosancti Concilii Chalcedonensis. Id quidem Quintæ Synodi sexcenta loca, id Vigilium Papam suo Constituto sæpe sæpius inculcasse legisti, ut nec de his ulla dubitatio esse possit. Hæc cum ita se habeant, si licuit Vigilio ex causa vitandi schismatis priorem mutare sententiam, itidemque ejus successoribus in ipsius Vigilii abire decretum? Cum præsertim (ut sæpe dictum est) in utroque bene esset consultum Concilio Chalcedonensi, sive cum damnaret Tria illa Capitula, sive cum eadem ipsa defenderet, ut ex allatis pro utraque parte rationibus perspicue intelligi potest. Cum enim damnarentur eadem Tria Capitula, nihil detractum fuit, vel derogatum sacrosanctæ Synodo Chalcedonensi, sed additum potius aliquid fuit, aut magis perspicue declaratum. Etenim cum Theodorus Mopsuesthenus in epistola Ibæ inveniretur esse laudatus; ne quis deciperetur, ut ob id a sancta Synodo ipsum, una cum ejus scriptis putaret esse receptum, magnoque præjudicio Catholicæ veritatis, plus illi, quam par esset tribueret, placuit ipsum ex suis scriptis fuisse hæreticum demonstrare, pariterque damnare ad obstruenda etiam hæreticorum ora, qui calumniabantur Synodum suscepisse in epistola Ibæ ejusdem

dem

JESU CHR. AN. 554.

dem Theodori præconia.. Insuper quod in eadem epistola videri possent ab auctore laudata Theodoreti scripta, & Cyrillus nota Apollinaris erroris inustus: ne ex his daretur occasio, ut ab adversariis dici posset fuisse recepta a Synodo scripta Theodoreti contra Cyrillum, probasseque Synodum Cyrilli crimen, opus esse videbatur hæc veluti declarando, damnare jam antea improbata Theodoreti contra Cyrillum scripta. Rursum vero, ne quod Ibæ epistola Actis Synodi Chalcedonensis haberetur intexta conferta blasphemiis, a Synodo in omnibus videretur esse suscepta, placuit Synodo, & aliis ejus sententiæ Episcopis, eam ut hæreticam condemnare. Hæ sunt causæ & rationes, quibus Tria illa primum condemnare Capitula, tum Vigilius, cum Justinianus, tum Synodus postea sunt persuasi. His accedebat, quod magna spes erat, si ea Tria Capitula damnarentur, fore ut Eutychianorum pars illa, quæ Hæsitantium dicebatur, ad Ecclesiam remearet. Hæc & alia plurima Baronius in Vigilii excusationem, eo quod mutata sæpe sententia pro varia temporum conditione, ac prout ecclesiarum tranquillitati expedire censuit, tria capitula damnare recusaverat, in quorum postea condemnationem consensit.

Justiniani novell. de Italiæ rebus sublevandis.

4. Ad Vigilium revertimur, qui constituto suo in V. synodi confirmationem vulgato, cum Justiniani gratiam sibi promeruisset, in Italiam rediturus, ad Italorum res longo Gothorum bello attritas sublevandas, celebrem ab Justiniano constitutionem idibus Augusti datam promeruit, cujus hæc summa est: *Pro petitione Vigilii venerabilis, antiquioris Romæ Episcopi, quædam disponenda censuimus ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur. In primis itaque jubemus, ut omnia quæ Athalaricus, vel Amalasuntha regia mater ejus, vel etiam Theodatus, Romanis, vel Senatu poscente, concesserunt, inviolabiliter conserventur: sed & ea, quæ a nobis, vel a piæ memoriæ Theodora Augusta, quondam Conjuge nostra collata sunt, volumus illibata servari, nulla cuicumque danda licentia contra ea venire, quæ a prædictis personis pro quibuscumque rebus, vel titulis data, vel concessa esse noscuntur, excepta videlicet donatione a Theodato in Maximum pro rebus habita Marciani, ex quibus dimidiam portionem Liberio viro gloriosissimo dedisse meminimus, reliquam dimidiam Maximo viro*

viro magnifico relictam, quas apud utrumque firmiter manere censuimus. Quæcumque vero a *Totila tyranno* facta sunt, vel donata, ea omnino abrogat; insuper res, & personas, quas barbaricus furor, vel militaris licentia destruxerat, vel profanaverat, in pristinum restitui jubet. Post plura de Virginibus Deo dicatis hæc addit: *Cum autem tyrannicæ ferocitatis præsumptionem res etiam illicitas quasi permissas egisse, sine dubio sit: sancimus, ut si qui mulieres Deo sacratas, vel habitum religiosum habentes sibi conjunxisse inveniantur, nulla eis tenendi, vel dotes forte conscriptas, iterum monasteriis, vel Ecclesiis, aut Sancto proposito, cui dedicatæ sunt, restituantur*. Hæc & alia Justinianus hoc anno vigesimo octavo sui Imperii, post Consulatum Basilii tertiodecimo; quæ quidem ab Imperatore procurasse Vigilium apparet, ut, quæ tempore bellico fuissent jura jussa sileri, eadem reviviscerent, suumque unicuique tribuerent. Quomodo autem recedens Constautinopoli Vigilius Papa, cum in Siciliam pervenisset, illic extremum clausit diem, sequenti anno, quo id contigit, dicturi sumus: modo quæ anni hujus sunt reliqua prosequimur.

Jesu Chr. an. 554.

5. Vulgato itaque Vigilii decreto, quo celeberrima tria capitula damnabantur, plures fuerunt, qui cum hactenus eorum damnationi restitissent, tandem supremi in ecclesia pastoris vestigiis inhœrentes, & ipsi ea damnarunt, quod in Africa factum fuisse testatur Victor, & doluit, (utpote qui in eorum defensione pertinaci animo perseveravit): *Proconsularis provinciæ Africanæ Sacerdotes, Ruffini & Vini Episcoporum, Reparati Archiepiscopi obtrectatorum arte delusi, tamquam defensoribus fidei occurrunt, & Primosi prævaricatoris Carthaginis ecclesiæ communione præter paucissimos polluunt*. Paucissimi ergo in Africa synodo rebelles superfuerunt, quibus addendi sunt aliquot ex Episcopis Illyrici, & Istriæ: unde immerito Baronius, aliique synodi V. decretis universam ecclesiam catholicam schismate dilaceratam fuisse scripserunt, tam quippe eorum exiguus erat numerus, qui synodo adversabantur, ut ecclesia scindi non potuerit. Id unice dolendum fuit, non eum exitum hanc synodum habuisse, quem Justinianus, aliique speraveant. Nam Hoesitantes, & Acephali, quorum gratia tria capitula damnata fuerant, in ecclesiæ communionem nequaquam redierunt,

Africani Episcopi tria capitula damnant.

JESU CHR. AN. 554. *Leontius de Sectis cap. 6.* Hæsitantes in schismate perseverant.

runt, ut his verbis adnotat Leontius: *Alia nobis oritur de Justiniani temporibus difficultas. Nam quia Justinianus, qui videret Hæsitantes occlamare Theodoro, Theodoreto, & Ibæ, quasique propter ipsos aversari Synodum, anathemati eos subjecit, objiciunt nobis, quamobrem illos anathematizassemus? Aut boni scilicet erant, aut mali. Si boni, cur anathematizatis? Si mali, cur a Synodo, Chalcedonensi videlicet, recepti sunt? Quod si vos jam ipsos ut malos anathematizatis, quid hoc ad Chalcedonense Concilium a vobis probatum, quod eos suscepit? Ad hoc respondemus, Justinianum hoc certo quodam consilio fecisse. Nam quia videbat (ut diximus) horum causa Hæsitantes Synodum aversari: perfecturum se putabat, ut iis anathematizatis, Synodus reciperetur. Ideoque duos anathematizandos duxit (quamquam minime anathematizatos oportuit) ut omnes ad unionem redigeret. Hanc igitur ob causam illos anathemati subjecit. Verum nec sic quidem adducti sunt Hæsitantes, ut Synodum reciperent.*

Finis Gothici belli.

6. Hoc anno in Italia contra Gothos bellum omnino cessatum est. Sublatis enim Totila, ac Teja, deletis Alemannorum copiis, una cum eorum Ducibus Leutari, & Butilino, Gothicum bellum finem habuit. De quibus hæc narrat Agathias: *Septem millia armatorum ex Gothica gente, qui multis in locis Francis auxilio fuerant, in Capsas castellum munitissimum se se recepere. Eos ad hoc incitabat Regnares,* Hunnus Gothorum Dux, qui bellum instaurandum sibi censebat, ut ex eo celebrior fieret. Confestim itaque Narses castellum obsidione cinxit: *Hyeme autem in hoc transacta, statim ineunte vere, Regnaris paciscendum sibi in rem præsentem cum Narsete putavit.* Sed cum majora quam ipsum decerent, postulasset, & in Narsetem sagittam torsisset, ab ejus satellitibus peremptus est. Eo sublato, confestim Gothi se, & Castellum Narseti dedidere, qui *ne imposterum novis iterum rebus studerent, omnes ad Imperatorem Byzantium misit,* inquit Agathias, qui de hyeme, & vere currentis Christi anni verba facit, ut sequentia demonstrant. Quare hoc anno bellum Gothicum, ab anno 535. inchoatum, finem accepit.

Theobaldi Regis obitus

7. *Interea dum hæc geruntur,* prosequitur Agathias, *Theodebaldus adolescens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat, miserrime jam e vivis excesserat, morbo, quo inde ab ortu*

ortu laboraret absumtus. Theodebaldi mortem alii citius, alii tardius collocant. Marcellini continuator anno postCoss. Basilii XII. idest superiori obiisse tradit, quem Hermannus contractus in fusiori chronico exscripsit; Marius contra anno XIV. postCoss. Basilii ideft sequenti: at Agathias præceteris hujus ævi scriptor audiendus est, qui hoc anno Theodebaldum obiisse narrat: *Septimo Regni sui anno*; ait Turonensis. Natus erat Theodebaldus ex Deuteria, propter quam Theodebertus pater ejus Vvisigardem sponsam reliquerat, quam postea uxorem duxit, eaque defuncta, Deutheriam ultra non habuit, ut videre est apud Turonensem lib. 3. cap. 25. & 27. Nullam prolem Theodebaldus reliquit; unde Clotharius non tantum Regnum ejus cum Thesauris accepit, sed etiam Vvldetradam uxorem strato suo copulavit, ut scribit Turonensis lib. 4. cap. 9. qui subdit, *increpitus a Sacerdotibus reliquit eam, dans ei Garibaldum Ducem*.

JESU CHR. AN. 554.

S. Galli Episcopi Arvernensis obitus

8. Dum Theodebaldus viveret, S. Gallus Arvernensis Episcopus obiit, teste Gregorio, qui Cautini ejus successoris ordinationem ad ejusdem Regis tempora refert. Baronius Galli mortem, ac Cautini ordinationem anno 573. alligaverat, at eodem loco num. 30., ea corrigenda atque ad hæc tempora retrahenda esse admonuit. Cointhius hoc anno obiisse tradit, de cujus felici ad Deum transitu Gregorius Turonensis hæc habet: *Cum gravatus incommodo decubaret, ita febris interna omnia membra ejus depilavit, ut capillos & barbam simul amitteret. Sciens autem, revelante Domino, post triduum migraturum, convocat populum, & omnibus confracto pane, communionem sancta ac pia voluntate largitur. Adveniente autem die tertia, quæ erat Dominica dies, quæ civibus Arvernis immanem contulit luctum albescente jam cælo interrogat quid in Ecclesia psallerent. Dixerunt, Benedictionem sese psallere (nempe Psalmum Benedicite omnia opera Domini Domino). At ille, psalmo quinquagesimo, & benedictione decantata, & allelujatico cum Capitello expleto, consummavit officium totum temporis matutini. Quo jam extremo perfunctus officio, ait: Vale dicimus vobis, fratres. Et hæc dicens, extensis manibus spiritum cælo intentus præmisit ad Dominum: transiit autem ætatis suæ anno sexagesimo quinto, Episcopatus vero sui septimo & vigesimo anno*. Hucusque Gregorius de obitu S. Galli: pergit vero dicere de funere, atque miraculis, quem

quem *Episcopatus sui anno septimo & vigesimo* ad Dominum transiisse ibidem adnotat. His addimus S. Galli epitaphium, quod in gratiam Gregorii Turonensis Fortunatus his versibus conscripsit.

S. Galli epitaphium.

Hostis inique, Adam paradiso fraude repellis:
Ecce Deus famulis praestat adire polos.
Invide, sic tua mors homini meliora paravit:
Tu expellis terris: hic dat & astra suis.
Testis & Antistes Gallus probat ista beatus,
Nobilis in terris, dives eundo polos.

Non solum dum viveret miraculis claruit, sed etiam post mortem, cujus memoria inter sanctos Kal. Julii recensetur.

Arverni lues grassatur.

9. Inter quamplurima beneficia a S. Gallo Arvernensi populo dum viveret collata, illud singulare, ac speciali memoria dignum, quod dum lues inguinaria depopularet provincias, neminem ex Arvernensibus invasit, ut Gregorius tradit, Sed ubi mortuus est, sublato de medio tanto intercessore, mox eadem pestis populum illum invasit, ac magna clade affecit, ut Gregorius ipse testatur, cum de divina virtute, quam tunc fuit in famulo suo expertus per sancti Juliani martyris Arvernensis reliquias, ita alibi narrat: *Inter reliqua vero insignia suscipiendorum miraculorum ponimus & istud, quod insipientes corrigat, & roboret sapientes. Igitur Cautini Episcopi tempore, quo ingruentibus peccatis populi Arverna regio ab excidio luis, quam inguinariam vocant, devastabatur; ego Brivatensem vicum expetii, scilicet ut qui meritis tutari nequibam, beati martyris Juliani tutarer praesidio. In quo dum commorarer vico, unus puer ex nostris ab hoc morbo corripitur; reclinatoque ad lectulum capite, graviter aegrotare coepit. Erat autem febris assidua cum stomachi pituita, itaut si quid acciperet, confestim ejiceret, nec erat ei cibus confortatio, sed magis exitus putabatur. Denique mei cum viderent eum in extrema vexari, hariolum quemdam invocant. Ille vero venire non differens, accessit ad aegrotum, & artem suam exercere conatur, incantationes immurmurat, sortes jactat, legaturas collo suspendit, promittit vivere, quem ipse mancipaverat morti. Haec autem me inscio agebantur. Quae cum mihi delata fuissent, amarissimus reddor, & cum gravi*

gravi suspirio illud commemoro, quod Dominus per Eliam Prophetam Ochoziæ Regi pronunciat, dicens: Quia dereliquisti Dominum Deum Israel, & consuluisti Deum Accaron, ideo de lectulo in quem ascendisti non consurges, sed morte morieris. Nam iste post adventum harioli validius febre succensus, spiritum exhalavit. Cujus post obitum interpositis paucis diebus, puer alius simili laborare cœpit incommodo. Tunc ego eis inquio: Accedite ad martyris tumulum, & aliquid exinde ad ægrotum deportate, & videbitis magnalia Dei, atque cognoscetis quid sit inter justum & injustum, & inter timentem Deum, & non servientem illi. Accedentes autem, parumper pulveris circa sepulcrum jacentis sustulerunt. De quo ut hausit infirmus cum aqua, protinus effecutus est medicinam, recuperatisque viribus, ac restincta febre convaluit &c. Hucusque Gregorius, eamdem spirans in sacrarum reliquiarum cultu pietatem, qua omnes non Galliarum tantum, sed totius Catholici orbis sanctissimi Episcopi præditi semper fuerunt.

JESU CHR. AN. 554. 4. Reg. 1.

S. Juliani reliquiis infirmus sanatur.

10. Sub idem fere tempus prosequitur Agathias (idest cum Theodebaldus obiit) *Bizantii vigente æstate, aliisque compluribus Romani Imperii locis, ingens terræmotus est factus, adeout multæ urbes tam insulares, quam in continente sitæ confestim subversæ fuerint, incolæque penitus absorpti.* Narrat etiam, Alexandriam perexiguum, & brevem motum sensisse, dum ipsemet ibi versaretur, & *Coi* insulæ exiguam quamdam portionem servatam esse. Hunc vero terræ motum præsenti anno, & quidem æstate, accidisse testatur Theophanes anno Incarnationis secundum Alexandrinos quingentesimo quadragesimo sexto Kal. Septembris superioris Christi anno inchoato: *Hoc anno*, inquit, *mensis Augusti decimo quinto Indict. 2.* die Dominica, *post mediam noctem tempore* (ideoque hoc anno, quo Sabbatum incidit in diem XV. mensis Augusti), *terræ motus contigit adeo horrendus, ut ædes plurimæ, balnea, Ecclesiæ, mœnium Urbis Constantinop. pars, quæ maxime ad Chresen portam, damnum ingens passa fuerint: & eo plures oppressi perierint. Corruit etiam pars Nicomediæ maxima. Invaluit autem is terræ tremor diebus quadraginta, modicoque spatio ad mentem & pœnitentiam redierunt homines, publicis per vias precibus, Ecclesiasticorum Cœtuum frequentia, diuturna in Ecclesiis mora, Divinam opem implorantes: mox vero Dei clementiam experti, in deteriora prolabebantur. Ceterum populo in* Cam-

Terræmotu urbes quassantur.

Jesu Chr. an. 554. *Campum cum precibus processionem agente, hujus terræ motus per annos singulos memoria renovatur.*

Arelatense quintum concilium.

11. Ad Arelatense concilium quintum hoc anno habitum oratio transeat. Cui Sapaudus synodi præses his verbis subscripsit: *notavi sub die tertio Kal. Julias anno 43. Regni Domini nostri Childeberti Regis*. Sirmondus, qui hanc synodum ex MSS. Codicibus in lucem dedit, addidit indict. secunda, cum ibidem per errorem tertia legeretur. Undecim Episcopi, octo presbyteri, vel Diaconi Episcoporum suorum nomine subscripti leguntur, eaque septem canones editi sunt, hæc etiam de canonum observantia præfati.

Tom. 5. concil. pag. 780.

Canones observare Episcopos decet

Hanc super omnia curam decet esse Pontificis, ut de ecclesiis Deo juvante sibi commissis, tamquam de propria, quam regit, cura, sollicitudineque indesinenter invigilet, ut frequentius aggregatis Episcopis, statuta canonum sæpius relegendo, in eorum animis charitate interveniente commendent, ut quod statutum est, irreprehensibiliter debeat custodiri, & si quid forsitan statuendum causa suggesserit, unanimiter observanda decernant. Itaque &c.

Synodi canones.

Canone primo decernunt: *Ut oblatæ, quæ in Sancto offeruntur altario a Comprovincialibus Episcopis, non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur ecclesiæ*. Si quis contra fecerit, usque ad sententiam synodi sit a communione, & charitate fraterna alienus. 2. Ut monasteria, vel monachorum disciplina, ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. 3. Ut Abbatibus longius a monasterio vagari sine Episcopi sui permissione non liceat. 4. Ut Presbyter Diaconum, vel Subdiaconum de ordine deponere inconsulto Episcopo non præsumat. 5. Ut Episcopi de puellarum monasteriis, quæ in sua civitate constituta sunt, curam gerant; nec Abbatissæ ejus monasterii aliquid liceat contra regulam facere. 6. Ut Clericis non liceat facultates, quas ab Episcopo in usu accipiunt, deteriorare. 7. Ut Episcopus alterius clericum in gradum sine epistola Episcopi sui, provehere non præsumat. Quod si præsumpserit, ille qui ordinatus fuerit, ab honore quem acceperit remotus, quod ei commissum est agere non præsumat; & is qui eum sciens ordinaverit, tribus mensibus communione privetur. Hactenus synodi canones.

Agila Rex Hispaniæ occiditur.

12. Hoc eodem anno, seu æra 592. Visigothi in Hispania Agilam Regem occiderunt, ac Athanagildi, qui jam tyran-

tyrannidem arripuerat, se se regimini tradiderunt, inquit Isidorus in chronico Gothorum, qui subdit Agilam annos quinque regnasse. JESU CHR. AN. 555.

JESU CHRISTI AN. 555. PELAGII PAPÆ 19.
JUSTINIANI IMP. 29.

1. Sequitur annus Domini 555. postcoss. Basilii XIV., quo Vigilius Papa, Romam rediens, Syracusis mortuus est, postquam annos 17., cum aliquibus mensibus sedisset. De quo Anastasius: *Venit in civitatem Syracusanam, & ex multa afflictione calculi dolorem habens, defunctus est*, cujus exitum Liberatus sic narrat: *Ab ipsa hæresi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum suscepit, notum est omnibus*. Vigilium afflictum non vero coronatum asserit, quia in defensione trium capitulorum non perseveravit, pro qua ad mortem usque Liberatus certavit. De anno mense, & die, quo Vigilius obierit, non una est eruditorum sententia: Victor Tunonensis, Vigilii mortem anno postcoss. Basilii XVII., Christi 557. affigit; continuator Marcellini, anno post coss. XIII. idest superiori; ex Recentioribus historicis, alii superiorem annum assignant, ut Sigonius, Holsthenius, Norisius, labentem alii, quorum sententia nobis probabilior videtur. Scimus enim ex lege a Justiniano anno elapso vulgata, Augusto mense CP. superstitem fuisse, & ex Pelagii epistola anno sequenti Episcopis Thusciæ data 15. Kal. Martii, scimus Pelagium in Vigilii locum tunc temporis ordinatum fuisse, unde hoc labente anno eum obiisse verosimile est. De die, & mense parum interest, ex Sepulchrali epitaphio Pelagii, quod ex Manlii inscriptionibus Vaticanis habuit Baronius, die undecima Aprilis Pelagium ordinatum fuisse patet. In catalogo Rom. Pontificum, qui in Symmacho cæptum cum Vigilio definit, de Vigilii morte hæc leguntur: *Moritur in Syracusis secunda feria, nocte, septimo idus Junias, indict. III.*, qui characteres cum præsenti anno omnino conveniunt, mortuus est ergo junio mense Vigilius. Hunc Romanorum Pontificum catalogum a Symmacho ad Vigilium Josepho Blanchino debemus.

Vigilii Papæ obitus,

Joseph. Blanchinius dissertat. de symb. pseudo Athanas.

2. Antequam de Pelagii ordinatione agamus, hæc de Vigilio ex Baronio adnotanda sunt: *Hic tandem finis Vigilii Papæ*,

De Vigilii morte Baronii animadversio.

JESU CHR. AN. 555. *Papæ, ut justo Dei judicio in insula defunctus sit; confectus ipse ærumnis ex morbo, qui coegerat sanctum Prædecessorem suum Silverium deportatum in insulam illic animam exhalare. Qui enim malis artibus ad Pontificatum sibi paravit ascensum, ipsum adeptus, immensis semper agitatus est fluctibus, invisus in primis Imperatori, cujus gratiam tot studiis demerere conatus fuit, Orientalibus haud gratus Episcopis, adversus quos diu multumque certavit: sed & Occidentalibus defensoribus Trium Capitulorum redditus execrabilis, quod in sententia non stetisset, sed impugnatoribus eorumdem, suo constituto abolito, inhæsisset, Quintum probando Synodum, quam antea impugnasset: ac tandem cum e procellis in portum sibi visus est appulisse, pedemque alterum in Urbem, a qua diu abfuisset, propemodum intulisse, in via mori cogitur immensis confectus ex calculi morbo doloribus.* Christo tamen favente, ac ecclesiam suam protegente, ex illa Vigilii agendi ratione nullum damnum in ecclesiam derivasse, pluribus ibidem Baronius adnotat,

De ordinatione Pelagii I.

3. Mortuo Vigilio, Pelagius primus in ejus locum ordinatus est, quem si fides Anastasio habenda, in eam sedem, vivente adhuc Vigilio, intrudere Justinianus tentaverat, dum hæc in Vigilio adnotat: *Mox misit jussiones suas,* (ut ab exilio clerus Romanus revocaretur) *& adduxit eos ad se Imperator dicens. Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa vester? gratias ago, sin minus, hic habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea vobiscum erit. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Restitue nobis modo Vigilium, & quando voluerit Deus eum transire ab hoc seculo, tunc vestra præceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster, tunc dimisit omnes cum Vigilio.* Si vera narrat Anastasius, exclamat merito Baronius, per Justinianum captivam ductam fuisse Romanam Ecclesiam, dum sibi Romani Pontificis confirmationem usurpavit: *Vidisti*, inquit, *scelus, qui enim præ ceteris videri voluit Imperator maxime pius, se impium præstitit, dum duriores coegit Romanam Ecclesiam subire conditiones, quam tulerat sub Ethnicis Imperatoribus, de quibus nulla est usquam mentio, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem sibi aliquando arrogarint. Ista igitur quæ neque humana, neque divina jura tribuunt Imperatori, iste qui Legislator omnium maximus dici studuit, sibi,*

Bar. an. 554. num. 23.

sibi sumens, in his impie decernendis divinorum, & humanorum decretorum profanator & conculcator evasit, in gratiam haud dubium æmulantium Græcorum Romanæ Ecclesiæ gloriam. JESU CHR. AN. 555.

4. Pelagius patria Romanus erat, ejusdemque ecclesiæ Diaconus, in urbem vero Regiam missus, Romanæ Sedis Apocrisiarius egerat, multisque præclare gestis inclaruerat. Cum etenim gravi fame laborarent Romani, opibus ab Justiniano acceptis, eorum inopiam sublevaverat. Urbem a Gothico furore liberaverat, dum ingredienti Templum Totilæ supplex factus, gestans Evangelium dixit: Parce, o Princeps, tuis. Fortem trium se Capitulorum defensorem præbens, solum vertere coactus fuerat; verum a sententia postea discessit. Hæc de ipso memorat Victor Tunonensis, licet in tempore peccet, quem juvat meminisse tria Capitula acriter propugnasse: *P. C. Basilii* anno XVIII. *Pelagius Romanus Archidiaconus, Trium præfatorum defensor Capitulorum, Justiniani Principis persuasione de exilio redit, & condemnans ea, quæ dudum constantissime defendebat, Romanæ Ecclesiæ Episcopus a Prævaricatoribus ordinatur. Qui fuit annis quinque.* Nec more solito inaugurari potuit a tribus Episcopis, nam quamplurimi ex clero, & populo ab ejus se communione subduxerant: *Dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Joannes de Perusio, & Bonus de Terentino, & Andreas presbyter de Ostia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in clero, qui eum possent promovere, & multitudo religiosorum, sapientium, & nobilium, subduxerant se a communione ejus.* Cur autem Romani Pelagii communione se separaverint, hanc causam affert Anastasius: *Quia in morte Vigilii Papæ se immiscuit, ut tantis pœnis afficeretur.* Hæc tamen injuria in Pelagio Anastasium adnotasse scribunt Norisius, Pagius, aliique; nam Pelagius Vigilio semper adhœsit, eique fidissimus fuit, usque dum ob trium capitulorum defensionem a Justiniano Augusto in exilium pulsus est. Cur autem Romani cleri, aut populi animus a Pelagio eousque abalienatus esset, ut vix duo Episcopi inventi sint, qui eum Rom. Pontificem ordinarent, id in causa fuit, quod Pelagius cum Vigilio Papa condemnationi trium capitulorum subscripsisset. Hæc tamen cum Romano clero, & populo diffidia diutina non fuerunt: *Inito enim*

De Pelagii Papæ gestis,

Anast. in Pelagii 1. vita.

Noris. de synod. 5. c. 9. Pag. not. 9.

JESU CHR. AN. 555.

enim cum Narsete consilio (cujus opera ad eam dignitatem evectus fuerat,) subdit Anastasius: *Data Litania a Sancto Pancratio, cum hymnis & canticis spiritualibus, venerunt ad S. Petrum Apostolum. Qui Pelagius, tenens evangelia, & Crucem Domini super caput suum, in Ambonem ascendit. Et sic satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* Hisque gestis, cum Romanorum animos sibi devinxisset, se quoque ob trium capitulorum condemnationem, nullam Chalcedonensi synodo injuriam illatam fuisse probavit, ut ab eo epistolæ sequentibus annis datæ testantur, de quibus infra.

Justinianus Imp. Rom. Pontificis confirmationem usurpat

5. Interim adnotare juvabit, in electione Pelagii Papæ Justinianum sibi, & successoribus electionis confirmationem usurpasse. Unde factum est, ut post Vigilii mortem Interpontificium trimestre fuerit, & post mortem sequentium Pontificum solito etiam diuturnius; quia confirmatio ex Aula Imperatoris expectanda erat. Imperatores vero electionem non confirmasse, nisi soluta auri quantitate, discimus ex Anastasio in Agathone. Tertiam hanc electionis Pontificiæ periodum his verbis explicat Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum paragr. 17.: *De varia creatione Romani Pontificis*. Gothis Italiæ ditione a Narsete omnino exactis, Italiaque cum Urbe Roma in Orientalis Imperii portionem redacta, insignior fuit in electione Papæ mutatio usque ad Carolum M. Mortuo Pontifice Sedis Apostolicæ vacantis cura tribus præcipuis Cleri ministris committebatur, scilicet Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum. Ab his quamprimum de morte Papæ nuncium significabatur Exarcho, quem Gothis pulsis Ravennæ instituerat Imperator. Post justa defuncto persoluta, exactumque tridui jejunium, de eligendo Pontifice tractabatur. Huic electioni intererant Clerus, Optimates, & populus. De electione mox referebatur ad Imperatorem, a quo petebatur, expectabaturque factæ electionis approbatio. De ea item scribebatur ad Exarchum, ut electioni faveret. Post datam ab Imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur ad Confessionem Beati Petri, ibique fidem profitebatur: moxque fidei suæ confessionem ad omnes Ecclesias dirigebat. Hæc omnia constant ex Libro diurno Romanorum Pontificum, cujus formulæ ab eo tempore, idest, post electionem Pelagii in usu esse cœpe-

cœperunt. Ita Mabillonius: *Cui in omnibus*, ait Pagius nota 10., *assentio, nisi in eo quod ait morem hunc usque ad Carolum M. perdurasse; infra enim videbimus, regnante Pippino Francorum Rege, Ecclesiam ab illa servitute liberatam fuisse; licet Ludovico Pio imperante mos ille in pristinum statum restitutus fuerit, & Pontificum Rom. ordinatio coram Legatis Cæsareis iterum peracta.*

Numidiæ Episc. Synodum V. recipiunt.

6. Anno superiori diximus Proconsularis provinciæ Episcopos in Africa synodo V. adhœsisse, quorum exemplum labenti anno secuti sunt Numidæ Episcopi, teste Tunonensi, dum ait: *Post coss. Basilii VC. anno XV. concilii Numidiæ Episcopi adinstar proconsularium collecti Carthaginem veniunt, & Primasi ejusdem ecclesiæ incubatoris communione polluti, prævaricatoresque effecti ad propria redeunt.* Sicque uno, aut altero a synodo V. vix anno elapso, schisma, quod in Africa ob tria capitula exarserat, fere extinctum est, perpaucis in schismate perseverantibus, inter quos Victor Tunonensis Episcopus; unde non mirum, si pollutos, ac prævaricatores eos clamitet, qui synodum V. debita prosequebantur veneratione, cum ipse obstinato pro tribus capitulis animo decertans, exilium & vincula sustineret: *Victor Tunonensis ecclesiæ Episcopus, hujus auctor operis, post custodias, simulque & plagas, quas Sala, & Valericis perpessus, nec non in monasterio de Mandra, primo ac secundo exilio egi Mauritaniæ insulæ, tertio Alexandrinæ una cum Theodoro Cabarsisutanæ ecclesiæ Episcopo, pro præfatorum trium capitulorum defensione exilio mittitur, & carceri castelli Diocletiani post prætorianum carcerem traditur.* Hactenus de se ipso Victor.

Victor Tunonensis in schismate perseverat.

7. Hoc etiam anno Justiniani 29. a Judæis, & Samaritanis in Palæstina tumultus excitatos fuisse, Theophanes, & Miscellæ auctor scribuut: *Anno vigesimo nono Imperii Justiniani seditionem concitaverunt, Judæi, & Samaritæ Cæsareæ Palæstinæ, & facti quasi in ordine Prasino, & Veneto irruerunt in Christianos ejusdem Civitatis, & multos interfecerunt, & ecclesias combusserunt, & Stephanum ipsius Civitatis Præfectum in Prætorio peremerunt, & substantiam ejus diripuerunt. Uxor vero illius fugiens in Urbem, adiit Imperatorem. Qui jussit Adamantio Magistro militum descendere in Palæstinam, & occisionem exquirere Stephani, qui veniens,*

Judæi & Samaritani in Palæstina tumultuantur.

Jesu Chr. an. 556.

niens, eorum quos reperit, alios suspendit, alios decollavit, alios vero debilitavit & publicavit, & factus est timor magnus in omnibus partibus Orientis. Hæc adversus Judæos, & Samaritas hoc anno facta sunt, quos jam antea sæpius adversus Christianos sævientes, legibus ejusdem Imperatoris compressos fuisse alibi diximus.

JESU CHRISTI an. 556. Pelagii Papæ 2. Justiniani Imp. 30.

Pelagii I. Papæ epist. ad universos catholicos.

1. Quingentesimus quinquagesimus sextus Christi aunus adest postCoss. Basilii XV., quo Pelagius primus Romanus Pontifex cum sciret, se a quamplurimis Italiæ Episcopis, tamquam Chalcedonensis concilii prævaricatorem, ob condemnationem trium capitulorum, postulari, nullum non movit lapidem, ut ab hoc se crimiue liberaret, ac pluribus in eam rem datis epistolis, quamplurimos ab schismate revocavit, aut ne in illud ruerent, retinuit. Ex his prima œncyclica epistola occurrit ad omnes ubique Christi fideles inscripta, cujus hæc est Præfatio, & inscriptio: *Pelagius Episcopus universo populo Dei. Vas electionis Beatissimus Paulus Apostolus, cum de Judæis in Christo nondum credentibus loqueretur, zelum Dei eos habere professus est, sed ne hoc sine culpa esse crederentur, consequenter adjecit, sed non secundum scientiam, ut eos necessarie per doctrinam a Deo sibi creditam ostenderet emendandos. Quod testimonium nostro etiam tempori convenire charitas vestra non ambigit: quia etsi zelum Dei in quorumdam mentibus esse deprehendimus, in hoc tamen quod suspicionibus quibusdam sine notitia veritatis se concusserunt atque concutiunt; & quod se a visceribus unicæ matris Ecclesiæ nefaria animositate discerpunt, sine scientia eos esse non dubium est. Et possemus quidem totius causæ rationem ad sedandos rumores hominum, divina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare, nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem ullatenus esse tentatum, lucidissimis approbationibus demonstrare; magisque id actum, ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos soliditate consisteret*. Verum quia non omnium erat de hac quæstione judicium ferre, quid ipse de fide sentiret, edita fidei professione, sic exponit, profitens, se & quatuor concilia magna vene-

veneratione usque ad vitæ exitum suscipere. *Sed & canones*, prosequitur, *quos Sedes Apostolica suscepit, sequor & veneror, & Deo adjuvante defendo, neque vel de hac professione reticere, aut discedere aliquando promitto*. Epistolas etiam prædecessorum suorum, & præcipue Sancti Leonis pro defensione fidei Catholicæ, & pro firmitate suprascriptarum quatuor Synodorum, & contra hæreticos, tam ad Principes, quam ad Episcopos, vel quoslibet alios per Orientem, & Illyricum, atque Dardaniam, aliasque Provincias diversis temporibus missas, inviolabiliter se venerari testatur, ac tandem post alia: *Hæc est igitur fides mea, & spes, quæ in me dono misericordiæ est: pro qua maxime paratos nos esse debere, beatus Petrus præcipit ad respondendum omni poscenti nos rationem. Cum hac professione me vivere opto, cum ipsa ante tribunal Christi assistere: per hanc a peccatis meis absolvi me credo, & ad dexteram gloriæ divina misericordia deportandum. Quicumque autem aliud senserit, crediderit, prædicaverit, hunc anathematizat Sancta & universalis Ecclesia Dei, Deus vos incolumes custodiat, filii dilectissimi. Amen.*

Jesu Chr. an. 556. Pelagii I. professio fidei.

1. Petr. 3.

2. Hactenus Pelagius ad universos catholicos, fidei suæ rationem reddens. Eademque de causa Gaudentio, Maximiliano, Gerontio, Justo, Terentio, Vitali, & Laurentio Tuschiæ Episcopis 15. Kal. Martii scripsit. Cum etenim ipsi litteras Pelagio scripsissent, qua testabantur, se non solum synodi quintæ decreta aversari, sed etiam, reticito Pelagii nomine in sacris misteriis celebrandis, Apostolicæ Sedis communionem refugere, ut eos a schismate revocaret, his verbis admonuit: *Directam a vobis relationem defensore ecclesiæ nostræ Joanne deferente suscipientes, satis mirati sumus, ita vos Apostolicæ auctoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia, meo etiam volueritis (quod absit) consensu firmari; & quos decuit popularem ignorantiam sacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam Sedis Apostolicæ, plebis velle sequi Judicium. Nec ista dicentes, injuriam nostram dolemus, quibus donante Domino propositum est in mansuetudine supportantes, omnia fraternæ pacis vinculo custodire: sed (sicut diximus) divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer stupeo &c.* Deinde ne de fidei suæ integritate dubitatio aliqua eorum mentibus inhœreret, se quatuor concilia omni reverentia prosequi testatur,

Pelagii epist. ad Thusciæ Episcopos.

Tom. 5. pag. 470.

JESU CHR. AN. 556.

statur, ac præcipue Chalcedonense, quod ob damnationem trium capitulorum imminutum falso iidem Episcopi asserebant, sicque Pelagius cum sapientibus, & insipientibus se debitorem esse sciret, juxta Pauli exemplum, omni poscenti rationem, de ea, quæ in ipso erat, fide reddere non dubitavit.

Istriæ ac Venetiæ Episcopi in schismate obstinati.

3. Hisce, aliisque epistolis, de quibus infra, omnes fere, quos error traxerat, a schismate revocavit, hæsitantes vero, ne in schisma ruerent, cohibuit. At Venetiarum ac Istriæ Episcopi, ceteris obstinatiores fuere, quos cum nec rationibus, nec auctoritate a schismate revocare potuisset, datis ad Narsetem litteris, hortatus est, ut vel repugnantes ad recipiendam synodum cogeret. Cum autem Narses adversus Episcopos vi agere detrectaret, trepidantem adhuc ac dubium his verbis Pelagius Papa, ut a se jussa exequeretur, excitavit. *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem ecclesia faciat, dum vel ea, quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit. Errant hujusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum jam punit, vel probibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si (ut illi putant) nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus a malo ad bonum est, humanas, & divinas leges necesse est evacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia, justitia suadente, constituunt. Malum autem schisma esse, & per exteras etiam potestates hujusmodi homines debere opprimi, & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum regularum nos veritas docet. Quisquis ergo ab Apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse, non dubium est, & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere. Sed quid de talibus insertus Chalcedonensi synodo canon statuat, gloria vestra consideret, ubi post alia sic dicit: Qui a communione seipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire, primo & secundo vocanti; hunc omnino damnari, nec umquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per exteram potestatem tamquam seditiosum comprimi. Et B. Augustinus de talibus dicit: Multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda*

Pelagii epist. ad Narsetem ut schismatici Episcopi coercerentur.

Enchir. c. 72.

da sunt: quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati. Nam in corripiendo filio, quantumvis aspere, numquam paternus amor amittitur: fit tamen, quod nollet, ut doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus; ac tandem post plurima in eamdem rem, de comprimendis schismaticis per publicas potestates subdit: *Nolite dubitare hujuscemodi homines principali vel judiciali auctoritate comprimere; quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, ut si qua Ecclesiastici Officii persona, cui subjectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit; iste excommunicetur, atque damnetur. Quod si forte & hoc contempserit, & permanserit divisiones, & schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce, domine, quod animus vester forte timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breviter dirigenda curavi: cum mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus evidenter agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.*

JESU CHR. AN. 556.

4. Istriæ autem Episcopi nec Deum, nec homines verentes, Narsetem ipsum, qui in Italia rerum summam præfecturam gerebat, ab ecclesiastica communione suspenderunt, cujus injuriam condolens Pelagius, ut eos tandem coerceret, hac alia epistola eum excitavit. *Quamvis igitur vestra per illorum scelus utilitas facta sit, nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere. Si enim hoc quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum; quod in minoribus non valeant puniri, ambigi ultra non debet. Exercete igitur in talibus debitam auctoritatem, & ne eis amplius talia committendi spiritus crescat, vestris coercitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserunt, ut alia vobis corrigentibus, ab eodem scelere alios possitis, Deo propitiante, munire*. Alia epistola Petrum Presbyterum, ac Projectum Romanæ ecclesiæ notarium, quos ad Venetiæ provinciam miserat, ut Maximiliani, ac Thracii Episcoporum gesta cognoscerent, ac temeritatem coercerent, Narseti commendat, ut iisdem auxilium præbeat: *Ob quam causam Petrum presbyterum sedis nostræ, sed & Projectum notarium, ad eadem loca duximus destinandos; ut ea quæ canonicis statutis a prædictis pseu-*

Pelagii epist. ad Narsetem altera.

Epist. 4. pag. 793.

JESU CHR. AN. 556.

pseudoepiscopis compererint commissa, vel digna debeant ibi ultione compescere, vel eosdem ad nos usque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, ut præfatis, qui a nostra sede directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium: nec putetis alicujus esse peccati, si hujusmodi homines comprimuntur. Hoc enim & divinæ, & humanæ leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, & ejus pacem nequissime perturbantes, a sæcularibus etiam potestatibus comprimantur &c.

Alia epist. Narsetem rogat, ut Aquilejensem & Mediolanensem Episcopos sub custodia ad Principem mitti curaret.

5. His addimus aliam epistolam, qua hortatur, ut Aquilejensem, & Mediolanensem Episcopos, ad Principem sub custodia CPolim transferri juberet: *Illud est quod a vobis proponimus, & iterum postulamus, ut Paulinum Aquilejensem pseudoepiscopum, & illum Mediolanensem Episcopum ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis: ut & iste, qui Episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem canonicam consuetudinem factus est, alios ultra non perdat; & ille qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpsit, canonum vindictæ subjaceat. Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quoties aliqua de universali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte ii qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant.* Has quidem epistolas Pelagii ad Narsetem hactenus, non omnes hoc anno scriptas credimus; sed cum nulla temporis nota signatæ sint, omnes simul hoc loco recensuimus, quæ vero aliis scriptæ sunt, cum temporis nota, suo loco exscribemus.

Romani Pontificis jus in ordinatione Episc. Mediol. & Aquilej.

6. Cur vero præceteris Paulino Aquilejensi, ac Vitali Mediolanensi Episcopis indignatus fuerit Pelagius, ac pseudoepiscopum, ac ecclesiæ Aquilejensis *invasorem*, *qui in schismate maledictus, nec honorem Episcopi poterit retinere nec meritum* Paulinum dixerit; id in causa fuit, quod non solum in schismate ob tria capitula exorto perseverabant, sed etiam quia in Aquilejensis Episcopi ordinatione, Apostolicæ Sedis jura violata fuerant, dum absque ejus consensu a Vitali Mediolanensi Episcopo fuerat ordinatus, quem Romanus Pontifex ordinare debuisset; nam quoties contingebat Mediolanensem, aut Aquilejensem Episcopum e vita excedere, a Romano Pontfice vir deligebatur, qui suo nomine ele-

electioni novi Episcopi adesset, ut testatur Gregorius exarcho Italiæ, de Constantio in Laurentii locum subrogando; Paulinus vero a Vitali Mediolanensi inauguratus absque Pontificis consensu, a cujus communione utrique recesserant, ne synodum quintam recipere cogerentur, uti hoc tempore in more erat. Cujus rei testis est S. Gregorius, dum scribit Laurentium Mediolanensem Episcopum *districtissimam cautionem Sedi* Apostolicæ remisisse, qua tria capitula se damnare testabatur, subditque: *Quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret*. Cum enim contra V. synodum schisma passim in Italia conflari intelligeret; optimum factu Pelagius Pontifex censuit, ut eos, qui ad Episcopalem infulam promovebantur, ad tuendam synodum sacramento adigeret.

JESU CHR. AN. 556. *Greg. lib. 2. epist. 31.* *Greg. ut sup.*

7. De Aquilejensi synodo, cujus in hac epistola mentio fit, pauca subdimus, in qua contra synodi quintæ sententiam trium capitulorum defensionem congregati Episcopi susceperant. Quamobrem Pelagius rei indignitate commotus, cum Narsete egit, ut Paulinus captivus ad Justinianum mitteretur, quod exequi Narses recusavit, eo quod fortasse de eo meliora speraret. Hanc Aquilejensem synodum cum alia in eadem urbe celebrata, cujus meminit Beda in libro de sexta ætate anno VII. Imperii Tiberii Apsimari, confundit Baronius, quas diversas omnino fuisse adnotant, atque demonstrant, Pagius & Norisius.

De synodo Aquilej. *Bar. an. 553.* *Pag. not. 11. an. 558.* *Noris. de synod. 5. c. 9.*

8. Hoc quoque anno tres ad Sapaudum Arelatensem Episcopum litteras Pelagius dedit, quarum prima salutatoria est, antequam ab eo epistolas accepisset, data IV. nonas Juliarum: altera modeste laudes a Sapaudo sibi datas repellit XIX. Kal. Januarias, reditum Homoboni Romanæ ecclesiæ Subdiaconi, eidem commendat, cui Pelagius Sanctorum reliquias, quas Childebertus Rex postulaverat, deferendas dederat; eique se vices suas concessurum promittit, si una cum suis litteris clericorum aliquem ad se misisset, ac tandem Sapaudum rogat, ut Placido suggerat, ut ex collectis Rom. ecclesiæ redditibus, in Italiam vestes pauperibus distribuendas mitteret: *Hortamur*, inquit, ut viro magnificentissimo, *filio nostro, Patricio Placido genitori tuo dicas, ut quod de pensionibus possessionum Ecclesiæ nostræ collectum est, aut per suum*

PelagiiPapæ epist. 3. ad Sapaudum Arelat.

JESU CHR. AN. 556. *suum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem, quia Italiæ prædia ita desolata sunt, ut ad recuperationem eorum nemo sufficiat. Et si possibile est, ut nobis de ipsis solidis saga tomentacia, quæ pauperibus erogari possint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut si quæ aliæ species in provincia fiunt, quæ pauperibus, ut diximus, erogari debeant, nobis exinde facite comparari, & opportunitate navis inventa dirigite, ut maximas fraternitati tuæ gratias referamus, dum in hujusmodi solicitudinem nostram providentia charitatis tuæ relevari contigerit.* Plures alias, Sapaudo, & Childeberto datas hoc anno refert Baronius, quas ex Arelatensis ecclesiæ archiviis acceperat, at harum ordinem ex melioris notæ Codicibus mutavit Sirmondus, suisque annis distribuit; quam tamen numero 26. integram recitat Baronius Childeberto Regi inscriptam, apocrypham omnino esse Pagius demonstrat, multisque argumentis confirmat, ut ibidem videre est.

Epistola Pelagio I. falso inscripta. *Pag. ad hunc an. not. 7. 8. 9.*

Chramnus contra Patrem rebellat.

9. Ob Theobaldi mortem, de qua anno 554. egimus, Regnum suum Clotarius auxerat, cujus potentiam invidens Frater ejus Childebertus Chramnum Clotarii filium ad rebellionem propensum in suas partes traxit. *Eo anno*, ait Marius idest labenti, vel elapso, *Chramnus filius Clotarii Regis, sollicitante Childeberto patruo suo, ad ipsum latebram dedit.* Eadem præter Agathiam narrat Gregorius Turonensis his verbis: *Cum Petavii in magna potentia resideret, seductus per malorum consilium ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens. Ille vero dolose quidem, sed suscipere illum promittit, quem monere spiritualiter debuerat, ne patri existeret inimicus. Tunc per occultos nuncios inter se conjurati contra Clotarium unanimiter conspirarunt.* Eodemque tempore bellum Saxonibus Clotarius indixerat, de quo hæc habet Marius: *Eo anno Saxonibus rebellantibus, Clotarius Rex cum gravi exercitu contra ipsos dimicavit, ubi multitudo Francorum, & Saxonum ceciderunt. Clotarius tamen Rex victor abscessit.* Hæc Marius anno XIV. post Coss. Basilii idest superiori: deinde anno XV. subdit bellum majori ferocia, ac pari utriusque nationis strage instauratum fuisse; Gregorius vero Turonensis, & Marcellini continuator, addunt edita Francorum cæde a Saxonibus, Clotarium in fugam conversum fuisse: *Tunc Clothacarius, valde con-*

confusus pacem petiit, dicens se non sua voluntate super eos venisse. Qua obtenta ad propria rediit.

JESU CHR. AN. 556.

Leo Pictaviensis blasphemus punitur.

10. Dum in ea expeditione Clotarius esset, Chramnus ejus filius, ejurata pietate, Patris Regnum infestis ingreditur armis: *Ipsis diebus*, ait Marius, *Chramnus collecto exercitu regionem Patris devastat*, ut fusiori stilo Gregorius prosequitur, qui de vindicta Dei in quemdam Chramni familiarem hæc subdit: *Habebat Chramnus, & Leonem Pictaviensem ad omnia mala perpetranda gravem stymulum, qui nominis sui tamquam Leo erat in omni cupiditate sævissimus. Hic fertur quadam vice dixisse, quod Martinus, & Martialis confessores nihil fisci viribus utile reliquissent, & statim percussus a virtute confessorum, surdus, & mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad basilicam Sancti Martini Turonis celebravitque vigilias, dedit munera: sed non eum respexit virtus consueta; cum ipsa enim qua venerat infirmitate regressus est.* Chramni quoque milites cum res ecclesiæ abstulissent, eadem fere passi sunt: *In ipso quoque territorio*, ait Gregorius, *tempore quo Chramnus Arvernum abiit, cum diversa scelera ab ejus gererentur ministris, quinque viri sacrosanctum Oratorium domus Iciacensis furtim appetunt: habentur autem in eo S. Saturnini reliquiæ: interruptoque ablatis palliolis, vel relictis ministerii ornamentis, nocte tegente, discedunt. Sed presbyter recognoscens furtum ac inter vicinos scrutans, nullum potuit ex his quæ ablata fuerant indicium reperire. Protinus vero latrones, qui hæc admiserant, in Aurelianense se territorium transtulerunt; divisisque rebus, accepit unusquisque partem suam. Sed mox insequente ultione divina, quatuor in seditionibus interfecti sunt: quintus vero totam furti hujus hæreditatem superstes remanens vindicavit. Sed ubi hæc in domum suam contulit, statim obtectis sanguine oculis, excæcatus est. Tunc compunctus tam doloribus, quam inspiratione divina, vovit, dicens: Si respexerit Deus miseriam meam, & mihi visum reddiderit, referam quæ abstuli. Et hæc cum lacrymis orans, visum recepit. Accedens vero ad oppidum Aurelianense, providente Deo, Diaconum Arvernensem invenit; cui traditis rebus, suppliciter exoravit, ut easdem oratorio restitueret: quod Diaconus devotus implevit.* Hactenus Gregorius, qui alibi narrat, judicem quemdam improvisa ereptum morte, eo quod Austrapio cuidam, qui Chramni metu in basilicam S. Martini confugerat, vim

Greg. Tur. hist. Franc. lib. 4. c. 16.

Greg. Turon. de gloria martyr. c. 66.

JESU CHR. AN. 557. inferre tentaverat. Quid autem Chramno acciderit cum Patris indignationem declinans in eamdem basilicam aufugit, infra dicemus.

Pax Romanos inter & Persas initur

11. Ad Orientales res se convertat oratio. Cum varia hactenus fortuna cum Persis Romani bellum gessissent, ut pluribus narrat Agathias, tandem belli difficultatibus pressus Chosroes, hoc anno cum Justiniano de ineunda pace egit, ac missis legatis, ea tandem conditione pax inita est, ut Romani, & Persæ in Lasica regione ea obtinerent, quæ jure belli occupaverant. Hanc vero pacem anno labenti firmatam fuisse ex Theophane constat, dum ad annum Incarnat. secund. Alex. 548. qui cum labenti concurrit, narrat, CP. Persarum legatos advenisse: *Tum in ipsis natalitiis spectaculis Persarum legatis in Circo consistentibus Præfecti domum everterunt*. De eadem pace agit Alexander Protector in excerptis de legationibus, qui addit tunc Persas inter, & Romanos convenisse, *donec controversia cum majori causæ cognitione, & sine armis dijudicaretur*. Quod anno 562. tandem effectum est.

Tom. 1. hist. Bizantii pag. 132.

JESU CHRITI AN. 557. PALAGII PAPÆ 3.
JUSTINAINI IMP. 31.

CPolis terræ motu concutitur.

1. Hoc Christi anno 558. postCoss. Basilii XVI. urbs regia horrendo terræmotu quassata est: *Hoc anno*, ait Theophanes, *mensis octob. die sexto indict. sexta, sub sabbati crepusculum ingens terræmotus extitit, & mensis Decemb. XIV. alius pariter fuit plane horrendus; adeout duo Muri Constantinop. Urbis, qui nimirum Constantiniacus, & qui a Theodosio dicitur extructus, damnum paterentur &c.* Ad placandam vero Dei iram, cum se populus convertisset, ac precibus piisque operibus vacaret, Imperator quoque per dies quadraginta absque corona, Natalitiis festis ad Ecclesiam processit, ac sumptus ad convivia eo tempore celebranda impendi solitos in pauperum sublevandam inopiam converti jussit. Agathias hunc terræmotum pluribus describit, ac varios ac luctuosos casus narrat, deinde varia pietatis opera, quæ a nonnullis terræmotus timore concussis peracta sunt; at subdit: *Hæc ferme per tempus aliquod gesta, & quamdiu recens timor incubuit. Postquam vero sublevari parumper discrimen est visum, confestim ad pristinam rediere plerique consuetudinem*. Deinde

Agath. hist. lib. 5.

de

an. 557.

de ſtudio Juſtiniani, in reſtaurandis templis, & præcipue, ut excellentius, & firmius S. Sophiæ templum inſtauraretur, nonnulla addit Agathias, cujus amplitudinem, & ornatum graphice deſcribunt Procopius, & Evagrius, & poſt eos Ducangius in deſcriptione CPolis chriſtianæ.

Procop. de ædific. Juſtin. Evag. lib. 4. cap.

2. Ad Occidentales res quod attinet, cum Pelagius Papa epiſtolas a Sapaudo Arelatenſis eccleſiæ Epiſcopo accepiſſet per Flavianum Diaconum, & Neſtorium ſubdiaconum ejuſdem eccleſiæ, quibus pallii uſum, & Apoſtolicæ Sedis vices in Galliis ſibi concedi poſtulabat, quod ſuis etiam epiſtolis Childebertus Rex petierat, Pelagius Sapaudo reſcribens, utrumque libentiſſime conceſſit. Data eſt hæc epiſtola III. nonas Feb. anno XVI. poſtconſ. Baſilii, qua inter plura habet: *Majorum noſtrorum, operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus divino juvamine in omnibus imitari, caritati tuæ per univerſam Galliam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui divina gratia præſidemus, vices injungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur ſcrinia a ſanctis Patribus, & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum &c.* In eamdem rem ad Childebertum hæc ſcripſit: *Excellentiæ veſtræ, litteras poſt illas, quas legati veſtri detulerunt, etiam per eos, quos Frater, & Coepiſcopus noſter Sapaudus ad nos direxit, reverenter accepimus, & ſalutis veſtræ, quæ nobis ſemper optanda eſt, cognoſcentes indicia, gratias divinæ pietati retulimus, exorantes clementiam ejus, ut vos largiflua pietate ſua ſervet incolumes. Litteras autem noſtras præfato Conſacerdoti noſtro Sapaudo ſecundum petitionem veſtram direximus, uſum pallii pariter concedentes: quia in ſcrinio eccleſiaſtico hujuſcemodi exempla reperimus, quibus oſtenditur Arelatenſibus epiſcopis a ſanctæ recordationis deceſſoribus noſtris hæc fuiſſe collata. Propterea ſalutantes, cultu regalibus infulis debito, poſtulamus ut ita eum, atque eccleſiam ejus gratia excellentiæ veſtræ tueatur ac foveat, ne quem per vices noſtras augeri propitiante Deo poſtulaſtis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum ſacerdotum, vel cujuslibet ordinis eccleſiaſtici perſonæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur; & in eo auctoritati ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ut genio veſtro, qui pro eo ſuffragatores acceditis, quod abſit, videatur in aliquo derogari. Perincolumem*

Pelagii I. ep. ad Sapaudum qua vices ſuas una cum pallio committit.

Pelagii Papæ I. epiſt. ad Childebertum Regem.

JESU CHR. AN. 557. *lumem excellentiam vestram Deus noster custodiat, domine fili gloriosissime atque praecellentissime.*

Pelagii epist. ad Childebertum una cum fidei confessione.

3. Alteram hoc anno idibus Aprilis epistolam eidem Regi Pelagius dedit, cui fidei suae confessionem addidit, idque se facere testatur, ut ejusdem Regis voluntati satisfaceret. Rumor quippe non solum Italiam, sed Galliam etiam pervaserat, ob damnationem trium capitulorum, cui Pelagius subscripserat, fidem Chalcedonensis concilii periclitari; ut itaque omnem suspicionem e Regis, ac Episcoporum Galliae mentibus tolleret, absolutissimam fidei suae confessionem misit, una cum S. Leonis Papae epistolis ad Flavianum, & synodum Chalcedonensem scriptis, ut eamdem se cum S. Leone fidem sequi testaretur. Hanc epistolam una cum fidei professione, cum tardius accepisset Baronius, cum anno 559. alligavit. Eamdemque conciliorum editores, & Garnerius emendatiorem vulgarunt; Garnerius autem de fidei professione, quam Romani Pontifices dum ordinarentur emittebant, quamque ad Patriarchas mittere solebant, plura adnotat, quae ibidem videri possunt, aut in notis ad Diurnum Romanorum Pontificum, ubi eadem professio fidei exhibetur. In quam rem testatur Mabillonius se Romae in bibliotheca Capranica vidisse professionem fidei cum hoc titulo: *Professio quam fecit Benedictus Cajetanus* postea dictus Bonifacius VIII. post suam assumptionem an. 1294. cum glossa super eamdem, in qua Glossae auctor ait, se praedictam professionem reperisse multis in locis asserentibus qui eam exhibebant, *quod Bonifacius Papa octavus miserat Regi Franciae scire volenti, an habuisset ipse introitum canonicum in Papatu, & inter alia, quae Rex allegabat, quod ad hoc Romanus Pontifex teneretur, inducebat epistolam Papae Pelagii Regi Franciae, pro causa simili destinatam*: haec Glossator ibidem.

Mabill. museo Ital. to. 1. pag. 151.

Pelagii epist. ad Sapaudum ut vestes pro pauperibus mitteret.

4. Ceterum epistolae, & professionis suae fidei ad Childebertum missae Pelagius meminit in epistola idibus Aprilis hoc anno ad Sapaudum data, his verbis: *Tanta nobis est circa personam haec fraternitatis affectio, ut nullas occasiones transire silentio patiamur. Denique veniente illuc Petro urbis negotiatore, praesentia curavimus ad fraternitatem tuam scripta dirigere, desiderantes, ut de incolumitate quoque vicissim datis opportunitatibus agnoscamus. Atque ideo salutantes fraterno cari-*

caritatis amore, indicamus propitiante Domino circa nos omnia prospere geri. Et hortamur, ut si epistola, qua per diaconum atque subdiaconum fraternitatis tuae ad excellentissimum filium nostrum Childebertum Regem direximus, in qua de institutis beatissimorum patrum nostrorum fidem catholicam nostro per Dei gratiam sermone deprompsimus, tam ipsi gloriosissimo Regi, quam caritati tuae, vel aliis fratribus Coepiscopis nostris placuit, rescripta tuae caritatis celerius agnoscamus. Praeterea commendamus specialiter dilectioni tuae Romanos, qui hostilitatis metu confugerunt, ut solatium fraternitatis tuae, & continentiam, qualem peregrinatio eorum poscit, inveniant; quos etiam filio nostro magnificentissimo viro patricio Placido, genitori tuo ex nostra persona volumus commendari: ut in sua continentia recognoscant, quantum apud caritatem tuam eis commendatio nostra profuerit. Sed & illud ad commemorationem tuae fraternitatis adducimus, ut sicut jam pridem scripsimus, vestes quae pauperibus erogentur, idest, cucullas, & tunicas, atque saga, de eo quod pro pensionibus ecclesiasticarum possessionum nobis domnus filius noster Placidus directurus erat, comparari faciatis, & ad portum Romanum, Deo propitiante, dirige; quatenus solicitudinem nostram ex parte aliqua relevetis: quia tanta egestas, & nuditas in civitate ista est, ut sine dolore & angustia cordis nostri homines, quos honesto loco natos idoneos noveramus, non possumus adspicere. Deus te incolumem custodiat: frater carissime. Data Idibus Aprilis, anno XVI. post Consulatum Basilii viri Clarissimi.

5. In Gallis hoc anno habita est synodus Parisiensis tertia, qua Patres ibidem congregati ecclesiasticam disciplinam pene collapsam restaurare conati sunt; canones itaque decem conditi sunt, quorum haec summa est. Primus eos, qui res ecclesiae pervadunt, aut retinent, etiam specie largitatis regiae, quousque restituerint, a Communione excludit, ut necatores pauperum. Secundus simili poena mulctat pervasores facultatum Episcopi; quia res Episcoporum propriae res Ecclesiarum esse noscuntur. Tertius cavet, ne Episcopi res alienas usurpent, aut retineant. Quartus illicita conjugia contra praeceptum Domini contrahi vetat cum Noverca, cum relicta fratris, relicta patrui, sorore uxoris, relicta avunculi, nuru, matertera, amita, privigna, & filia privignae. Quintus a Communione removet raptores viduarum, & puellarum, quae

De synodo Parisiensi, qua decem canones sunt editi.

Illicita conjugia vetantur.

JESU CHR. AN. 557. quæ mutatione vestium Pænitentiam, Religionem, aut Virginitatem professæ fuerant. Canone sexto cautum est, ne ullus res alienas regio nomine usurpare auderet, neque Viduam, aut filiam contra voluntatem parentum, aut rapiat, aut Regis beneficio postulet, ducatque uxorem. Quod si fecerit, a Communione removetur. Canon septimus, ab uno excommunicatum Episcopo, ab aliis recipi vetat. Octavus statuit, ut libera sit Episcoporum electio, nec Principis imperio violetur. Quod si per ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis præsumpserit, a Comprovincialibus, utpote indebite ordinatus, non recipiatur. Nonus Canon decernit, ut servi in ea maneant conditione, sub qua fuerunt a defunctis dimissi. Decimus jubet, ut Episcopi, qui Concilio adesse non potuerunt, ejus Decreta suis subscriptionibus firmarent. Synodo Episcopi XV. subscripserunt, quo plurimi sanctitate, doctrina, & miraculorum gratia illustres, martyrologio Romano inscripti leguntur, scilicet Prætextatus Rothomagensis Episcopus, Euphronius Turonensis, Germanus Parisiensis, & Sampson Dolensis, alii etiam in suis ecclesiis eodem in honore habentur, ut Leontius Burdigalensis, Felix Nannetensis, & Calelericus Carnotensis. Ex iis plurimos suis versibus celebrat Fortunatus, idest Germanum, Euphronium, ad quem ejusdem duæ extant epistolæ, quem dignum Martini successorem dicit.

Sacrarum electionum libertas.

S. Cyriacus Anachorita moritur.

6. Hoc etiam anno S. Cyriacus, cum *super centum & septem annos* vixisset, spiritum Deo reddidit. *Corintho* natus erat, ibique lectoris gradum obtinuerat, Hierosolymam inde transiit, & ad Lauram Sancti Euthymii accessit, qui eum misit ad Sanctum Gerasimum juxta Jordanem, uterque post aliquot annos *Eutymium*, cum ea qua par est reverentia, sepeliere. Mansit postea Cyriacus in variis locis solitariis. Cum vero Susacim solitudinem petiisset, *in qua Anachoretarum nullus, neque manserat, neque pertransierat aliquando*, & septem illic annos transegisset, rediit in Lauram Sucæ anno Christi 541., ad Beati Charitonis cellulam quintum annum exegit, & Origenistas strenuissime expugnavit: *Tunc quoque admirabilis Cyrillus, qui a Magni Euthymii ad Beati Sabæ Lauram accesserat, ut Joannem Silentiarium Episcopum videret, fit ei Minister litterarum ad Beatum tunc Cyriacum*; inquit Metaphrastes in ejus Vita, qui de hujus Sancti virtutibus plura habet.

habet, cujus memoria die XXIX. Septembris martyrologio Rom. recolitur.

JESU CHRISTI AN. 558. PALAGII PAPÆ 4.
JUSTINIANI IMP. 32.

1. Sequitur annus 558. poſtcoſſ. Baſilii XVII. Conſtantinopolitanæ urbi ob ingentes calamitates infauſtus. Nam ut narrat Agathias: *Eodem anno vere jam ineunte, de repente & iterato urbem peſtilens morbus invaſit, & infinitam ſuſtulit multitudinem.* Theophanes vero ad annum ſecund. Alex. 551., qui cum labente concurrit: *menſe Februario mortifera ex bubone lues in homines, maxime juvenes graſſata eſt, adeo ut ſepeliendis mortuis non ſufficerent vivi, obtinuit vero & invaluit a Februario uſque ad menſem Julium.* Hæc de peſte. De Hunnorum autem irruptione, qui uſque ad Regiæ urbis mœnia excurrentes vaſtitatem ubique detulerunt, addit Theophanes: *Hoc anno Hunni, & Sclavi cum maximis copiis in Thraciam irruentes eam bello vaſtaverunt, multoſque homines vel occiderunt, vel in captivitatem abduxerunt &c.. Cumque partes quaſdam muri Anaſtaſiani terræ motibus collapſas reperiſſent, per eas ingreſſi, in poteſtatem ſuam redegerunt loca ad Drypiam, Nymphas, & Chittus vicum ſita; cunctique facultatibus ſecum aſportatis in Urbem confugerunt. Quam ob rem Imperator multos ex Civium numero delectos ad longum murum miſit: ibi commiſſa pugna multi Romanorum, & Scholarium ceciderunt &c.. Sed cum barbaros illic pertinaciter permanere videret, Imperator Patricium Beliſarium una cum aliis Senatus contra ipſos progredi juſſit. Porro Beliſarius ſumptis omnibus equis, tam Imperatoris, quam Circi, ſed & ſacrarum domorum, nec non unius cujuſque hominis privati, cui fuit equus in poteſtate, populoque armis inſtructo, ad Chitti pagum profectus eſt, ibique aciem omnem compoſuit: tum quoſdam ex Barbaris capere, & interficere cœpit: quin etiam arbores cædi, & pone exercitum in terram trahi imperavit, ex quo pulvis ingens vento excitatus, & in Barbaros delatus ſuper eos incubuit, qui cum maximas copias inde adeſſe exiſtimarent, in fugam verſi, ad Regionem Sancti Stratonici ad Decatum receſſere. At cum ſubinde a ſpeculatoribus reſciviſſent Conſtantinopol.* *muros*

Conſtantinopolis peſte vaſtatur.

Hunnorum irruptio.

Beliſarius adverſus eos mittitur.

Jesu Chr. an. 558. *muros magno militum numero esse defensos Tzurulum, & Arcadiopolim, & Sancti Alexandri Zupparorum versus digressi*

Bulgari ad propria redire coacti. *sunt, ibique castris positis usque ad Pascha substitere. Peracto Festo Paschali, Imperator cum universis Civibus Urbe relicta, ad reparandas muri longi ruinas Selymbriam perrexit; quare pedem retulerunt Barbari, & transmurum abierunt. Ibi mansit Imperator ad Augustum usque mensem, similiter & Barbari, usque ad mensem Augustum, extra Urbem circumvagabantur. Ceterum Imperator bipuppes naves confici, iisque in Danubio adversus Hunnos, si quando transfretarent, excipere, & cum eis manus jussit conserere. His auditis Barbari missis Legatis petiverunt, ut sibi reditus tuto permitteretur, & Danubium trajicerent. Misit ergo Imperator Justinum nepotem suum, & Curopalatem, eosque dimisit incolumes.* Hanc Hunnorum, sive Bulgarorum invasionem pluribus Agathias exponit, eosque Istri fluminis aquas frigore concretas, Zaberga Duce cum magna hominum, equorumque multitudine, transiisse adnotat, Mesiam deinde, Scythiamque transgressi, in Thraciam pervenere: *Quo cum esset exercitus, partim in Græciam, ut de improviso sine custodia loca excurreret, & popularetur dimisit, & alias deinceps manus in Chersonensum Thraciæ*; post aliqua: Ipse vero Zaberga cum equitum millibus septem, recta ire CP. pergit, agros depopulando, innumeros ubique utriusque sexus, ac cujuscumque conditionis captivos ducens, ex iis etiam quamplurimos variorum ordinum ecclesiæ ministros, cum nemo esset, qui iisdem resisteret. Unde post plurima subdit.

Infelix Imperii status. 2. *Rem sane calamitosam, ut eo tandem res Romanorum redactæ jam essent, ut vel in circumjectis regiæ urbi locis a barbaris etsi perpaucis quidem mala hæc inferrentur. Quibus tamen non eatenus audacia finiebatur; sed urbem versus progrediendo ad longos (quos nuncupant) muros se facile contulerunt, & præsidiis, quæ infra hos essent, appropinquabant.* Cum interea, quod etiam dictu ridiculum est: *Tamquam porci in claustris Romani milites interclusi manebant, tametsi vel eo numero essent, quo tunc primum, & veterum Imperatorum tempore recensebantur, & non in minimam partem redacti, haudquaquam sint tamen Imperii magnitudini suffecturi.* Enarratis denique, quam florentissimi olim esse solerent atque copiosissimi, qui ubique terrarum nutrieban-

JESU CHR. AN. 558.

bantur exercitus, Justiniani Imp. jam senescentis ignavia hæc accidisse adnotat: *In scorta, aurigasque, & homines ejusmodi effeminatos ac deliciis deditos, civilesque in seditiones tantum intentos, & corporum curam, contentiosos, furentes, audaces, & alia demum minoris longe momenti militare stipendium insumebatur. Quo factum est, ut non solum Thracia, sed vel proxima regiæ urbi loca deserta jam adeo essent, & sine ullis custodiis derelicta, ut barbaris pervia fierent, & ad incursiones nimirum opportuna: nam illi eo evaserant insolentiæ, ut vel ad Melantidem vicum castra posuerint, qui a Byzantio ne centum quidem, & quadraginta stadiis abest.*

Justiniani stultitia dum factiosis favet.

3. Quam autem justa querela fuerit Agathiæ sua tempora deplorantis, cum thesauri Romani Imperii in aurigas, & alios hujusmodi vanos homines impenderentur, audi suorum temporum nobilem historiarum scriptorem Evagrium, cum hæc tradit: *De alio item Justiniani facto mihi dicendum est, quod quidem sive ex naturæ vitio, sive ex formidine & timore ortum sit, non habeo dicere; ejus tamen generis fuit, ut omnem belluinam immanitatem longe superaret. Duxit autem initium ab ea seditione populari, quam Nica, hoc est, Vince, vocant. Placuit Justiniano ita vehementer in alteram factionem eorum, qui Prasini dicuntur, animo propendere, ut impune possent ipso meridie in civitate adversarios trucidare, & non modo non pœnas metuerent, verum etiam dignarentur honoribus: adeo ut inde multi homicidæ existerent. Licebat enim illis in ædes alienas irrumpere, thesauros diripere in illis reconditos, hominibus suam ipsorum salutem, ac vitam dividere. Et si qui magistratus illos cohibere molitetur, suo ipsius capiti creavit periculum.* Unde cum vir quidam, qui in Oriente magistratum gessit, nonnullos eorum, qui rebus novis studebant, nervis coercere voluisset, per mediam urbem circumductus fuit, nervis graviter cæsus. *Callynicus porro Præfectus Ciliciæ, cum duo Cilices Paulus, & Faustinus, homicida uterque, in eum impetum facerent, occidereque in animo haberent: quoniam pœna ex legibus constituta eos mulctavit, in crucem actus est, hocque supplicio pro recta conscientia, & legum observatione affectus. Inde factum est, ut qui alterius erant factionis, cum domiciliis suis fugissent, & a nemine usquam exciperentur hospi-*

 tio,

Jesu Chr. an. 558. *tio, sed velut scelera ubique exagitarentur, tendere insidias viatoribus, compilare, cædes facere cœperint, usque eo, uti omnia loca nece immatura, direptione, & reliquis id genus maleficiis redundarent. Interdum animo in contrariam sententiam mutato, ejus generis homines interfecit, legumque permisit potestati, etiam eos, quos ante passus fuisset more barbarorum in civitatibus impia scelera conscissere. Sed ad ista singillatim prosequenda mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicendi. Atque ea, quæ diximus, satis esse poterunt ad conjecturam de reliquis ejus facinoribus faciendam.* Hucusque Evagrius de magno Legislatore Justiniano Imp., seu potius legum omnium proculcatore.

Obitus S. Joannis Silentiarii.

4. Hoc ipso anno Magnus ille Joannes cognomento Silentiarius, ex Episcopo Coloniensi in Armenia, monachus Lauræ S. Sabæ in Palæstina, ad cælestem vitam transiit, annos natus centum quinque, de quo Cyrillus in vitis S. Euthymii, & Sabæ plurima habet. Joannis Silentiarii vita legitur apud Bollandum die 13. Maji, quo die anniversaria ejus memoria Martyrologio Romano recensetur.

Childeberti Franc. Regis obitus.

5. Hoc anno Childebertum Francorum Regem e vivis ereptum fuisse narrat Marius Aventicensis, *post Coss. Basilii anno XV. indict. V., Childebertus Rex Francorum transiit, & obtinuit Regnum ejus Clotharius Rex frater ejus.* De Childeberti exitu audiatur Gregorius Turonensis: *Childebertus Rex ægrotare cœpit, & cum diutissime apud Parisios lectulo decubuisset, obiit, & ad basilicam B. Vincentii, quam ipse ædificaverat, est sepultus. Cujus Regnum, & thesauros Clotharius Rex accepit. Ultrogotham vero, & filias ejus duas in exilium posuit; Chramnus autem patri repræsentatur, sed postea infidelis extitit.* Regnaverat Childebertus anno 47., aut 48., cujus laudes Fortunatus celebrat in suo ad Charibertum epigrammate his versibus.

Greg. Turon. lib. 4. c. 20.

Fortunat. lib. 6. 4.

De Childeberto veteres compesce dolores
Rex Placidus rediit, qui tua vota fiet.
Ille fuit mitis, sapiens, bonis omnibus æquus;
Nec cecidit patruus, dum stat in urbe Nepos.

Childeberti Regis pietatem commendat constitutio ab eodem edita de abolendis idololatriæ reliquiis, ac de celebrandis festi-

festivitatibus, quam Sirmondus edidit, qua liberum Sacerdotibus esse jubet, in quolibet loco, & præcipue in agris simulacra, & Idola destruere. Eademque constitutione dies festos sancte celebrandos esse docet, ac proinde: *Noctes pervigiles cum ebrietate, scurrilitate, vel canticis, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale Domini, & reliquis festivitatibus, vel adveniente die Dominico, dansatrices per villas ambulare. Hæc omnia, unde Deus agnoscitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque post commonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumpserit: si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus; si vero ingenuus, aut honoratior fortasse persona est, districta inclusione digna.*

Monasteria a Childeberto ædificata. *Greg. Turon. hist. Franc. lib. 7. ep. 3. Aimon. l. 3. cap. 2.* Launojus inquisitione in chartam S. Germani to. 3.

6. Alia plurima suæ pietatis, ac religionis monumenta posteritati reliquit Childebertus, hospitalem scilicet domum Lugduno extructam, cujus mentio fit concilio Aurelianensi V., plurima monasteria ab eo ædificata, & privilegiis ac redditibus aucta, Arelatense scilicet, Modoalense, ac celeberrimum S. Germani de Pratis prope Parisios una cum ecclesia S. Vincentio dicata, in qua sepulchrum sibi elegit, quod privilegiis etiam plurimis decoraverat, si fides Aimonio, qui immunitatis chartam recitat, quam Launojus argumentis plurimis falsi postulat, quæ ibidem legi possunt.

Clotharius Childeberto Regi succedit. Fortunatus in vita S. Germani.

7. Eo mortuo, Clotharius, ejectis filiabus, Regnum ejus occupavit, solusque totius Francorum Regni monarchia potitus est, qui Parisios veniens in morbum incidit, a quo S. Germani intercessione curatus est: *Cum S. Germanus ad gloriosum Clotharium Regem occurrisset; nec tamen de S. viro stante ante Palatium ei fuisset indicatum: mora facta ante vestibulum, non præsentatus, domum revertitur. At sequens nox consuetis in oratorio vigiliis ducitur: Rex dolore atque febris infestatione torquetur. Vix primo diluculo ad domum Pontificis a proceribus concursatur: pœna Regis exponitur; & ut sua visitatione Regis doloris vim mitiget, Optimates deprecantur. Mox apud pietatis virum injuriæ causa postponitur: & qui ante nec nunciabatur, intrat jam honoratus, & exoratus Palatium visitat. Tunc Rex vix assurgens de lectulo, cæsum se divino flagello conqueritur, allambitque palliolum, & vestem sacerdotis deducit gaudens per loca doloris: culpam namque confessus est criminis, & sic dolor omnis fugatur.*

 Itaque

Jesu Chr. an. 559. *Itaque actum est, ut cujus incurrebat de contemptu periculum, sentiret de contactu remedium.* Hæc Fortunatus, quo edoctus exemplo, Germanum, aliosque Sanctos viros omni semper officio imposterum prosecutus est Clotharius.

JESU CHRISTI an. 559. Pelagii Papæ 5.
Justiniani Imp. 33.

Justiniani lex contra luxuriæ vitium.

1. Insequenti anno 559., postcoss. Basilii XVIII., Justinianus calamitatibus anni superioris motus, subditos suos ad pœnitentiam lata lege provocavit. Cum enim ob infanda scelera, iratum Deum, a quo ejusmodi flagella immittebantur, persentiret, ad populum CP. sanctionem edidit, qua contra naturam luxuriantes, ad pœnitentiam provocabantur, ac in delicto perseverantes debita pœna coercebantur. *Cum semper omnes benignitate, & bonitate Dei indigeamus, tum vero maxime hoc tempore, cum propter peccatorum nostrorum multitudinem variis ipsum modis ad iracundiam provocavimus.* Præcipit autem, ut infami scelere, & actione abstineant, *quam ne in brutis quidem animantibus admissam reperire est. Pœnitentiam agant, & morbum beatissimo Patriarchæ renuncient: Prædicimus autem omnibus deinceps, qui hujusmodi alicujus sibi peccati conscii sunt, nisi peccare desierint, & seipsos renunciantes, beatissimo Patriarchæ salutis suæ curam gesserint, pro tam impiis actionibus Deum intra S. Festum placantes, quod acerbiora sibi accersent supplicia, nimirum quia nulla de cætero venia digni habebuntur. Data Idibus Martii, Post Consulatum Basilii XVIII.*

Domni Antioch. Episcopi mors, cui succedit Anastasius.

2. Hoc anno Domnus Antiochenus Episcopus, cum sedisset annos quatuordecim, mortuus est, in cujus locum Anastasius Sinaita, ab aliquibus perperam dictus, subrogatus est. Cujus Episcopatus initium Kal. Septembris anni 559. recte assignatur in Theophanis laterculo, hisque de gestis hujus anni finem facimus.

JESU CHRISTI an. 560. Joannis III. Papæ 1.
Justiniani Imp. 34.

Pelagii 1. Pontif. obitus.

1. Annus sequitur Christi sexagesimus supra quingentesimum, postcoss. Basilii XIX., quo Pelagius Pontifex, postquam

quam sedisset annos quatuor, menses decem, dies aliquot, mortuus est mense Martio, ut habet Anastasius, vel Augusto, ut ex catalogo Blanchiniano eruitur, de quo anno 555. de ejus ordinatione agentes, verba fecimus; de eodem Pelagio Adrianus Papa in epistola ad Carolum magnum narrat, eum ecclesiam in honorem SS. Apostolorum ædificasse, ac musivo opere adornasse, quam Joannes ejus successor perfecit: *Multo amplius vero ejus sanctissimi successores Domnus Pelagius, & Domnus Joannes miræ magnitudinis ecclesiam Apostolorum a solo ædificantes, historias diversas, tam in musivo, quam in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus, & nunc usque hactenus a nobis venerantur.* Hæc de Pelagio Adrianus, quæ ecclesia usque hodie SS. Apostolorum nomine dicata superest, a fundamentis tamen iterum extructa.

De Pelagii Papæ scriptis.

2. Inter Pelagii epistolas, præter eas, de quibus supra egimus, altera extat ad Vigilium Episcopum inscripta, qua probat Patrem, & Filium unum esse Deum; at nota consularis, (Joanne scilicet, & Narsete consulibus signata, qui inter consules nuspiam leguntur) & stylus, eam apocrypham esse probant. Pelagio tamen adscribuntur epistolarum fragmenta ab Holsthenio edita, in quibus de Paulini Aquilejensis Episcopi ordinatione, ac de schismate ab eo, suisque suffraganeis conflato agitur. Altera Gethego Patricio inscribitur, de ordinatione Episcoporum Catanensis, & Siracusanæ ecclesiæ, qua inter cetera moram annualem excusat, antequam Siracusanum Episcopum ordinaret: *Ob hoc, quod vel personæ qualitas . . . vel superstes uxor, aut filii, per quos ecclesiastica solet periclitari substantia, nostros animos diutius ab ejus ordinatione suspenderent.* Alia de diversis argumentis fragmenta extant, quæ apud Holsthenium legi possunt.

Joannes I. Rom. Pontifex creatur.

3. Pelagio mortuo die 6. Augusti, (juxta nostrum computum, de quo in ejus ordinatione egimus) Joannes I. Catelinus dictus, patre Anastasio viro illustri genitus, ordinatus est Romanus Pontifex, post interpontificium mensium duorum, cum diebus XXV., vel ut habet Anastasius post menses tres, dies XXV.. Porro Joannes annos tredecim Rom. ecclesiam administravit, cujus gesta, si quæ sunt memoria digna, suo loco exponemus.

ASS. Cosma & Damiano sanitas Justiniano redditur.

4. Dum hæc in Occidente geruntur, Constantinopoli rumor

JESU CHR. AN. 560. rumor invaserat Imperatorem obiisse, hinc quasi in interregno, cuilibet audendi facultas esset, multa scelera perpetrata sunt: *Hoc anno*, ait Theophanes, *mensis Septembris die nono, hebdomadis quintæ, indictione nona, Imperatorem obiisse per Constantinopolim rumor sparsus est. E Thracia quippe in urbem redux conspicuum nemini se fecerat.* Sed brevi intervallo Sanctorum Cosmæ & Damiani intercessione, ad sanitatem rediit Imperator, ut narrat Procopius, dum de eorumdem Sanctorum templo in meliorem formam aucto egit: *Circa sinus terminum in arduo satis, & edito loco, Sanctis Cosmæ & Damiano olim templum dedicatum est, ubi Justinianum graviter ægrotantem, & jam morituri speciem præbentem, nempe a medicis desperatum, & inter cadavera jacentem, isti sancti per somnum, & visum apparentes curaverunt. Cujus beneficii memor pristinam structuram permutans, impolitam plane & indignam tantis cælitibus, elegantia, magnitudine & fulgore luminis templum illustravit.* At non semel curatum Justinianum Sanctorum intercessione, a morbo, & mortis faucibus ereptum, ex eodem Procopio scimus, cum præcipue ex malo humore in genu elapso graviter ægrotaret, ut nullum humana remedia solamen afferrent. Quare cum eo tempore inventæ fuissent Sanctorum quadraginta martyrum reliquiæ: *Se illis commendavit, sanitatem evocans pia credulitate. Quæ vera persuasio ipsi in re maxime necessaria plurimum profuit. Nam simulac Sacerdotes Imperatoris genu discum admoverunt, morbus evanuit, corporibus divino obsequio mancipatis coactus cedere. Qua de re nullum ambigendi locum relinquens Deus, illustre editi miraculi signum dedit. Repente enim oleum ex sacris reliquiis effusum arculaque exundans, Imperatoris pedes, ac vestem purpuream benignissime rigavit. Quare vestis sic delibuta asservatur in Regia, testimonio rei tunc gestæ, & saluti futura posteris, qui in morbos insanabiles delabentur*, ait Procopius. Neque id recens, semelve experimento declaratum est, Sanctorum scilicet reliquias Dei ope edidisse miracula; ab exordio enim nascentis Ecclesiæ, veluti e fonte perenni copiose fluente, Sanctorum reliquias id præstitisse, quæ superius dicta sunt, luce clarius demonstrant.

Miracula ex SS. reliquiis.

Theodomirus Svevorum in Hispa

5. Hispaniæ oras adimus, ubi Theodemirus Svevorum Rex exemplo, & auctoritate sua catholicam fidem a Svevis

Svevis Regibus fere extinctam, in Gallæcia, ubi sedes Regni eorum erat, postliminio revocavit. Cum etenim Remismundus Arianam hæresim ab Ajace quodam edoctus amplexus esset, totam Svevorum gentem eadem labe infecerat, cujus in Regno successores, atque ex his Hermenericus, & Riccilianus catholicos etiam acerbissime vexarunt, ut ex actis Sancti Vincentii, & sociorum constat. Riciliano autem cum successisset Theodomirus, catholicam ipse fidem amplexus est, ac ut idem facerent Svevos docuit, idque anno tertio Regni ejus, quo Bracharense concilium celebratum est, accidisse adnotat Isidorus in chronico. Garzias Lojaza in notis ad Bracharense concilium, illud anno 561. coactum fuisse scribit, ideoque Theodomirum anno 559. Regnum iniisse. Baronius autem, aliique currenti anno initium Regni Theodomiri assignant, ejusque tertium, quo Bracharense concilium celebratum est, cum anno 563. alligant. Bollandus denique in vita S. Martini Dumiensis concilium I. Bracharense recte a Garzia anno Christi 561. consignatum fuisse ait, ac Theodomirum Regem creatum fuisse anno 558., aut 559.. Sed hæc opinio contrarium habet Gregorium Turonensem Martino Dumiensi coævum, qui lib. 5. cap. 37. scribit, hunc sanctum Præsulem, cujus opera Svevorum conversio facta est, & hujus occasione ipse ad Præsulatum evectus est, impletis in sacerdotio plus minus triginta annis, idque anno Childeberti Austrasiarum Regis quinto, anno 580. ad Deum migrasse. Inde enim consequens est Sanctum Martinum, qui Concilio Bracharensi subscripsit, jam ab anno 549., aut insequenti Episcopum Dumiensem renunciatum fuisse, eoque circiter anno Concilium Bracharense I. habitum; cum dubitandum non videatur, quin initio conversionis Regis Gallæciæ Episcopi convenerint, ad Regulam fidei, & Sanctæ Religionis constituendam, & ad Ecclesiæ mores informandos. Cum tamen Gregorius in referendis iis, quæ extra Gallias gesta sunt, non raro fallatur, a Garzia scriptore Hispano recedendum non est. Innocentio III. Ecclesiam Romanam adadministrante agitatam fuisse causam, quæ jam antiquitus tractata fuerat, inter Compostellanam, & Bracharensem Ecclesiam, super quatuor Episcopatibus, videlicet Conimbriensi, Lamecensi, Visensi, & Egitaniensi, & in Epistola Innocentii ad Petrum Compostellanum Episcopum, qua hanc litem diri-

Jesu Chr. an. 560.
nia Rex catholicam fidem amplectitur.

Acta SS. Vincentii & sociorum Bolland. die XI. Martii.

Bar. an. 560. Bolland. die 20. Martii.

Jesu Chr. An. 560.

dirimit, asserit, a primo Bracharensi Concilio usque ad Emeritense Concilium fluxisse spatium 107. annorum. Quare cum Concilium Emeritense congregatum fuerit die VIII. Iduum Novembris anni 666. apparet Concilium Bracharense ad præsentem Christi Annum pertinere, ideoque Theodomirum anno 557. aut 558. Regnum obtinuisse.

Theodomirus Rex S. Martini opem implorat.

5. Amplectendæ fidei occasionem Chatrarico Regi, sive Theodomiro miraculorum fama, quæ ad sepulchrum S. Martini Turonensis peragebantur, occasionem dedit, ut pluribus narrat Gregorius Turonensis. Cum etiam Theodomiri filius graviter ægrotaret, ita ut vita periclitaretur, ex suis quosdam ad S. Martini sepulchrum cum muneribus Theodomirus misit, ut pro ægroti sanitate sanctum virum precarentur; reversi autem Regis Ariani nuncii narraverunt, se ad Martini sepulchrum vidisse multas virtutes fieri. *At ille intelligens, non ante sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem beati Martini fabricavit Ecclesiam*; ac alios ex servis suis cum muneribus iterum misit, ut Sancti viri reliquias ad se deferrent; quæ cum eis oblatæ essent, Theodomiri legati responderunt: *Non ita faciemus: sed nobis, quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc parte pallii serici pensatam super beatum sepulcrum posuerunt, dicentes: si invenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus plus in sequenti pensabunt; eruntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem.* Eumdem plane usum servari solitum super corpora Apostolorum Romæ, idem auctor affirmat, quæ nos alia occasione superius retulimus: fiebat enim signum divinæ benignitatis impartiendæ petenti, ut eadem vela majoris ponderis reciperentur, quam data fuerint; secus si contra. Sed de pallio serico quid legatis acciderit, audi: *Vigilata* (inquit) *una nocte, facto mane, quæ posuerant pensitabant. In quibus tanta beati viri infusa est gratia*, ut una libra plus pensitarent. Id quoque in earumdem reliquiarum translatione accidit, quod dum cum psalmorum cantu deducerentur; qui in carceribus vincti detinebantur, cum Beati Martini reliquias in Gallœciam transferri accepissent, sanctum virum precati, ut e vinculis liberarentur, continuo a vinculis liberati, usque ad sacra pignora convolarunt, eosque tanto miraculo solutos, liberos judex abire jussit,

Greg. Tur. de mirac. Sanct. Martini l. 1. c. 11.

ut

ut narrat Turonensis, qui addit eadem pignora *cum summa veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant; nam filius Regis, dimissa omni ægritudine, sanus properat ad occursum. Beatus autem Martinus Sacerdotalis gratiæ accepit principatum. Rex unitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confessus, cum omni domo sua chrismatus est. Squallor lepræ a populo pellitur, & omnes infirmi salvantur, nec umquam ibi usque nunc super aliquem lepræ morbus apparuit &c.*

S. Martinus Dumiensis Svevos in fide edocet.

6. Svevos autem in catholica fide proselytos, tamquam Dominicam vineam, Martinus Dumiensis primum Abbas, deinde Episcopus excoluit; cui Deus incrementum dedit, teste Isidoro de viris illustribus: *Martinus Dumiensis monasterij sanctissimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans Gallæciam venit. Ibique conversis ab Ariana impietate ad fidem Catholicam Svevorum populis, regulam fidei, & sanctæ Religionis constituit, Ecclesiasticos informavit, Monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit. Cujus equidem ego ipse legi librum de differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen Epistolarum, in quibus hortatur ad vitæ emendationem, & conversationem fidei, orationis instantiam, eleemosynarum distributionem, & super omnia cultum virtutum omnium, & pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Svevorum, temporibus illis, quibus Justinianus in Republica, & Athanagildus in Hispaniis imperium tenuere.*

Concilium Bracharense I.

7. Porro Martinus a Pannonia oriundus, non vero in Italia, ut habet Dupinius seculo 6. Bracharam transiens, Monasterium Dumiense ibidem ædificaverat, cujus primum Abbas dictus est, deinde Dumiensis Episcopus; tandem Bracharensis Metropolita, ut diserte testantur Patres Concilii Toletani X. anni 656. habiti his verbis. *Delatum est ad nos testamentum gloriosæ memoriæ S. Martini ecclesiæ Bracharensis Episcopi, qui & Dumiense monasterium visus est construxisse.* Idem Martinus Episcopus Dumiensis Brancharensi concilio hoc anno, tertio Theodomici Regis, celebrato subscriptus legitur, quod concilium etsi apud Labbeum secundum Bracharense dicatur, primum tamen fuisse probat Pagius, cui octo Episcopi, Lucretio Bracharensi Metropolitano præside, adfuerunt; iisque Lucretius hæc præfatur: *Diu est, Sanctissimi Fratres, quod secundum instituta venerabilium canonum, & decreta Catholicæ & Apostolicæ disciplinæ, desiderabamus Sa-* Tom. 6. pag. 517.

 cer-

JESU CHR. AN. 560.

cerdotalem inter nos fieri conventum, qui non solum ecclesiasticis regulis & ordinibus opportunus est, sed etiam stabilem semper efficit charitatis fraternæ concordiam: dum congregati simul in nomine Domini sacerdotes, ea inter se salutifera collatione requirunt, quæ secundum doctrinam Apostolicam, unitatem spiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur, quoniam aptatum nobis hujus Congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster, aspirante sibi Domino, regali præcepto concessit, & simul positi consideremus, prius si placet, de statutis fidei catholicæ perquiramus: tunc deinde sanctorum Patrum instituta, recensitis canonibus, innotescant: postremo quædam etiam, quæ ad obsequium Dei, vel officium pertinent clericale, diligentius pertractentur: ut si qua fortasse per ignorantiæ desidiam, vel per longi temporis incuriam, aut varia inter nos habentur, aut dubia, ad unam, sicut decet, rationis, aut veritatis formulam revocentur. Lucretii sententiam congregati Episcopi comprobarunt. Recensita sunt itaque primo, quæ in Priscillianum, ejusque hæresim olim constituta fuerant in concilio Tarraconensi, & Carthaginensi jussu S. Leonis Papæ coacto: deinde relecti sunt canones, tam generalium synodorum, quam localium: postremo ecclesiastica disciplina duobus supra viginti canonibus sancita est.

Bracharensis concilii canonum summa.

Quorum summa hæc est. Primus statuit, ut unus & idem psallendi ordo in matutinis, & vespertinis officiis servetur. Secundus easdem Lectiones in Vigiliis, & Missis ubique legi jubet. Tertius uno modo ab Episcopis, & Presbyteris populum salutari jubet, dicendo: *Dominus sit vobiscum*, & ut respondeat Populus: *Et cum spiritu tuo*, sicut ab Apostolis traditum, omnis retinet Occidens.

Episcopi secundum ordinationis suæ tempus sedere debent.

8. Canones quartus, & quintus Missarum celebrandarum, & Baptismi ordinem, quem Profuturus Bracharensis Metropolitanus a Sede Apostolica acceperat, observari jubent. Sextus, ut servato Metropolitani primatu, ceteri Episcopi secundum ordinationis suæ tempus sedeant. Septimus, ut res Ecclesiasticæ in tres æquas portiones dividantur, quarum una cedat in usum Episcopi, altera in Clericorum sustentationem, tertiam administrans Archidiaconus, Episcopo rationem reddat. Octavus vetat ne alienum Clericum Episcopus ad ordines promoveat, sine dimissoriis litteris proprii Episcopi. Nonus decernit, ut Diaconi deposito scapulari, non absconso infra Tuni-

Alieni Clerici sine dimissoriis non ordinandi.

Tunicam, utantur Orario, sive stola. Decimus, ut soli Subdiaconi, non Lectores, sacra altaris vasa portent. Undecimus, ut Lectores in habitu seculari non psallant in Ecclesia, neque granos Gentili ritu demittant. Errant Garzias, & Binius, cum in Notis ad hunc Canonem granos genus laicæ vestis oblongæ interpretantur; nam prolixos capillos hoc nomine significari constat ex S. Isidoro Hispalensi (lib. 19. Originum): *Nonnullæ gentes*, inquit, *non solum in vestibus, sed & in corpore, aliqua propria sibi quasi insignia vindicant, ut videmus cirrhos Germanorum, granos, & cinnabar Gothorum*. Et ex Epistola Arnulfi Roffensis Episcopi ad Lambertum: *Nos*, inquit, *Carnem Domini intingimus in sanguine, &c. Evenit enim frequenter, ut barbati, & prolixos habentes granos, dum poculum inter epulas sumunt, prius liquore pilos inficiant, quam ori liquorem infundant*. Canon duodecimus statuit, ut præter Psalmos, & scripturas Veteris & Novi Testamenti, nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur, sicut præcipiunt canones. Decimus tertius statuit, ut soli Clerici intra Sanctuarium Sacram Jesu Christi Communionem percipiant. Decimus quartus, ut Clerici carnes non comedentes, olera cocta cum carnibus degustent, ad Priscillianæ hæreseos suspicionem amovendam. Decimus quintus vetat, ne ullus cum excommunicatis communicet: contemnentem hac in re a Communione declarat alienum. Decimus sextus Commemorationem in oblatione fieri prohibet pro iis, qui sibi mortem consciverunt, & eorum corpora cum Psalmis ad sepulturam deduci: idemque decernit de iis, qui capitalem sententiam pro suis sceleribus subeunt. Idem statuit de Catechumenis sine Baptismo defunctis, Canon decimus septimus. Decimus octavus prohibet, ne corpora defunctorum in Sanctorum basilicis sepeliantur, sed extra circa murum Ecclesiæ. *Nam si firmissimum hoc Privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum reverentia debet obtinere?* (inquit Synodus.) Decimus nonus Presbyteris prohibet Chrismatis benedictionem, & Ecclesiæ, vel Altaris consecrationem, sub pœna depositionis. Vigesimus Laicos ad Sacerdotium ante promoveri vetat, quam anno integro disciplinam in Officio Lectoratus, vel Subdiaconatus didicerint.

JESU CHR. AN. 560.

Garzias & Binius emendati.

Tom. 2. Spicil. pag. 435.

Sepulturæ in Sanctorum basilicis olim prohibitæ.

JESU CHR. AN. 561.

Vigesimus primus, quod ex Fidelium collatione, aut ad defunctorum commemorationem offertur, apud unum Clericorum colligi, & semel, aut bis in anno inter omnes Clericos dividi statuit, ne ex inæqualitate oriatur discordia, si unusquisque sibi vindicet, quod in sua hebdomada oblatum est. Vigesimus secundus antiquos Canones in Concilio relectos jubet observari, sub pæna depositionis transgressoribus infligenda. Hactenus canonum summa, quibus iidem Episcopi excusso Arianæ perfidiæ jugo voluere, ejusdem ecclesiæ disciplinam, ac veterem in celebratione mysteriorum, ac in divinis officiis ordinem, & decorem servari.

Chramnus a Clothario vivus igni traditur.

9. Ex Hispanicis gestis ad Gallica transeamus, ubi luctuosa tragœdia hoc anno edita est, cum Chramnus in Deum impius, ac in Patrem rebellis, meritas, & Deo, & Patri pœnas dedit, nam una cum uxore, & filiis igne consumptus est. Postcoss. Basilii anno XIX. ait Marius Aventicensis: *Eo anno Chramnus post sacramenta, quæ Patri dederat, ad Britannos petiit, & moliens Regnum patris invadere, adversus ipsum cum Britannis movere ausus est; multaque loca graviter deprædavit. Ad cujus insaniam reprimendam pater cum Exercitu properavit, & interfecto Comite Britannorum Chramnum vivum cepit, incensumque cum uxore, & filiis, totius Regionis incidit excidium.* Cujus infelicem exitum pluribus persequitur Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 20. hist. Francorum.

JESU CHRISTI AN. 561. JOANNIS PAPÆ 2. JUSTINIANI IMP. 35.

Clotharius peccata sua confitetur, deinde obiit. *Greg. Tur. lib. 4. c. 21.*

1. Sequitur Christi annus 561. postcoss. Basilii XX. quo Clotharius Francorum Rex, cum ab obitu Clodovei annum ageret quinquagesimum primum, peracta peccatorum confessione, ac oblatis S. Martino muneribus, e vivis abiit: *Postcoss. Basilii anno XX. indict. 9. Clotharius Rex mortuus est*, ait Marius Aventicensis; cui suffragantur Ajmonius, & Gregorius Turonensis, dum narrant eum anno 51. Regni sui obiisse. Cum itaque anno 511. Clodoveo successisset, labenti vivere desiit, de cujus obitu hæc Gregorius: *Rex vero Clotharius anno quinquagesimo primo sui Regni cum multis muneribus limina beati Martini expetiit; & adveniens Turonos ad*

ad sepulchrum antedicti Antistitis, cunctas actiones, quas fortasse negligenter egerat replicans, & orans cum grandi gemitu, ut pro suis culpis beatus confessor Domini misericordiam exoraret, ea quae irrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus quinquagesimo primo regni sui anno, dum in Cotia silva venationem exercet, a febre corripitur, & exinde Compendium villam rediit; in qua cum graviter vexaretur a febre; ajebat, Vah, quid putatis? qualis est ille Rex caelestis, qui sic tam magnos Reges interficit? In hoc enim taedio positus, spiritum exalavit. Quod ad ejus peccata pertinet, ipsum quidem pluribus obnoxium fuisse satis constat, & praeter incestuosas nuptias, quibus infamatus fuit, immani saevitia & aliena rapiendi cupiditate saepe saepius exarsit. Ante obitum tamen plurima pie ac religiose fecit, cum exempli gratia corpus S. Medardi Noviomensis Episcopi suis humeris tulit, & Episcopos, Primoresque Regni, ut ipsi quoque suos subjicerent humeros exemplo compulit; ut ab auctore vitae ejus longiori stylo narratur.

JESU CHR. AN. 561.

2. Clotharii nomine etiam inscribitur constitutio a Baluzio in capitularibus edita, qua plurima in ecclesiae utilitatem continentur; legiturque tom. 6. conciliorum. Inter cetera haec notatu digna occurrunt: *Per hanc generalem auctoritatem praecipientes, jubemus, ut in omnibus causis antiqui juris forma servetur.* Ut quae Ecclesiam magis attinent attingamus, haec statuit: *Si Judex aliquem contra Legem injuste damnaverit, in nostri absentia, ab Episcopis castigetur, ut quod perpere judicavit, versatim melius discussione habita emendare procuret. Nullus per auctoritatem nostram matrimonium viduae, vel puellae sine ipsarum voluntate praesumat expetere, neque per suggestiones subreptitias rapiantur injuste. Sanctimoniales nullus sibi in conjugium audeat sociare. Ut auctoritates cum justitia & Lege competente in omnibus habeant stabilem firmitatem, nec subsequentibus auctoritatibus contra Legem elicitis vacuentur. Ut oblationes defunctorum Ecclesiis deputatae, nonnullorum competitionibus auferantur, praesenti Constitutione praestamus. Agraria pascuaria, vel decimas porcorum Ecclesiae pro fidei nostrae devotione concedimus, itaut actor, & decimator in rebus Ecclesiae nullus accedat. Ecclesiae, vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, vel genitoris, aut germani nostri immunita-*

Clotharii constitutio pro ecclesiae juribus vindicandis.

JESU CHR. AN. 561.

nitatem meruerant. Quæcumque Ecclesiæ, vel Clericis, aut quibuslibet personis a gloriosæ memoriæ præfatis Principibus munificentiæ largitate collata sunt, omni firmitate perdurent. Quidquid Ecclesia, Clerici, vel Provinciales nostri, intercedente tamen justo possessionis initio, per XXX. annos inconcusso jure possedisse probantur, in eorum ditione res possessa permaneat, &c. Merito a doctissimo Sirmondo quæstio movetur, cur si ad Clotharium I. referatur hæc Constitutio, quemnam *avum* suum vocet, qui Clericis immunitatem concesserit: quæstionem difficilem sane non solvit vir eruditissimus, cujus explicatio ex MS. pendet. Clotharii II. Constitutio hæc est, si expugnantur verba, *germani nostri*. Si vero retineantur, Clothario quidem primo est addicenda, verum vox *avi* delenda erit. Clotharii corpus *quatuor filii sui cum magno honore*, ait Gregorius Turon. *Suessionas deferentes, in basilica Beati Medardi sepelierunt*, in loco scilicet, quem elegerat ad basilicam construendam, quam filius ejus Sigebertus ædificavit.

Clotharii sepultura.

Quatuor ejus filii in Galliis regnant. Greg. Tur. lib. 4. c. 32.

3. Defuncti Regis hæreditatem quatuor ex filiis nempe Charipertus, Chilpericus, Curatheramnus, & Sigebertus partiti sunt. Quorum divisionem Gregorius sic narrat: *Chilpericus post patris funera thesauros, qui in villa Brannaco erant congregati, accepit, & ad Francos utiliores petiit, ipsosque muneribus mollitos sibi subdidit: & mox Parisios ingreditur, sedemque Childeberti Regis occupat. Sed non diu hoc ei licuit possidere, nam conjuncti fratres ejus, eum exinde repulere, & sic inter se hi quatuor, idest, Charibertus, Guntramnus, Chilpericus, atque Sigebertus divisionem legitimam faciunt: deditque sors Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisios. Guntramno vero regnum Clodomiris, ac tenere Sedem Aurelianensem; Chilperico vero regnum Clotharii patris ejus, Cathedramque Suessionas habere: Sigeberto quoque regnum Theodorici, sedemque habere Rhemensem.* Mirum porro inter se fœdus faciunt, quod verbis Guntramni referemus, sic Parisienses alloquentis: *Ecce pactiones, quæ inter nos factæ sunt, ut quisquis sine fratris voluntate Parisios ingrederetur, amitteret partem suam, essetque Plyoctus Martyr cum Hilario, atque Martino Confessoribus Judex, & retributor ejus.*

Sigeberti Regis pietas commendatur.

4. Ceteris fratribus religiosior Sigebertus fuit, ac Regni sui initium egregiis facinoribus illustravit; primo cum S. Ni-

cetium

cetium ab exilio revocavit, de quibus hæc Gregorius habet, dum Nicetii gesta recenset: *Sanctus Nicetius quotidie prædicabat populis, denudans crimina singulorum, & pro remissione deprecans assidue confitentium: unde adversus eum sæpius odii virus exarsit, quod tam veraciter multorum facinora publicaret. Nam plerumque se persequentibus ultro obtulit, gladio exerto cervicem præbuit: sed nocere ei Dominus non permisit. Voluit namque pro justitia mori, si persecutor fuisset infestior. Ajebat enim: Libenter moriar pro justitia. Sed & Clotharium Regem pro injustis operibus sæpius excommunicavit: exiliumque minante eo, numquam est territus. Quodam vero tempore, cum ad exilium ductus, ab reliquis Episcopis, qui adulatores Regis effecti fuerant, remotus esset, atque a suis omnibus derelictus; uni Diacono, qui adhuc præstabat in fide, ait: Quid tu nunc agis? quare non sequeris fratres tuos, & eos quos volueris, sicut & illi fecerunt? Qui ait: Vivit Dominus Deus meus, quia usquequo spiritus meus intra hos artus contentus fuerit, nunquam derelinquam te. Et ille: Quia* (inquit) *hæc dixisti, dicam tibi quæ Domino revelante cognovi: Cras enim in hac hora, & honorem recipiam, & Ecclesiæ meæ restituar. Hi autem qui me derelinquerunt, cum magno pudore ad me confugient. Præstolabatur itaque Diaconus rem promissam attonitus: quod postea est expertus. Illucescente enim die crastina, subito advenit Legatus Sigeberti Regis cum litteris, nuncians Clotharium Regem esse defunctum, seque regnum debitum cum Episcopi charitate debere percipere. Hæc ille audiens, ad Ecclesiam regressus, potestati restituitur; confusisque iis, a quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit*. Hucusque Gregorius, qui & alia Sanctissimi Præsulis egregia facta scriptis mandavit. Insuper basilicam S. Medardi Svessione a patre inchoatam perfecit Sigebertus, Hunnosque in Galliam irrumpentes profligavit.

Jesu Chr. an. 561.

Sigebertus Rex liberat ab exilio S. Nicetium.

5. De rebus Orientalibus nunc aliqua dicimus. Hoc etenim anno perfecta pax Romanos inter, & Persas per quinquaginta annos firmata est. Theophanes quidem anno secundum Alex. 555. Kal. Septemb. sequentis anni scribit: Petrus Magister e Persia reversus est, constitutis in annos septem pacis conditionibus, quod ad Lazicen, aliasque Orientis regiones spectabat. Sed Theophanes de rebus Persicis non satis edoctus erat. Quare ejus narratio ex aliis supplenda, anno

Pax Romanos inter & Persas sancita.

no

JESU CHR. AN. 561. no 556. Romani, & Persæ certis conditionibus arma posuere; donec arctius aliquod perfectiusque fœdus Principes utrinque inirent, ut inquit Agathias in fine lib. 4. ut vero Menander Protector in Excerpt. de Legat. pag. 133. & seqq. refert, tandem Pacem omnibus numeris absolutam, & quæ in perpetuum obtineret facere, Romanorum, & Persarum Reges desiderium cepit. Hujus rei gratia Justinianus Petrum Prætorianarum cohortium Præfectum, Chosroes Indegovarch Legatum dignitate Zichum, quæ maxime est apud Persas auctoritatis, ad fines circa Daras misere, ubi *tandem Decreto sancitum est, ut per quinquaginta annos Pax esset, Romanis Lazicen Persæ redderent. Valere pacis conditiones, & utrimque observari, hac per Orientem, hac per Armeniam, & per ipsam quoque Lazicen. Triginta aureorum millia singulis annis, quibus pax erit, Romanos Persis præstare: universam decem annorum hujus annuæ præstationis quantitatem ita repræsentari, ut septem annorum summa præsenti pecunia, trium reliquorum annorum, quæ restabant ex decem, statim a decurso & peracto septennio persolverentur. Deinde per reliquos annos ex conventione solutio fieret.*

Christiani in Perside religionis libertatem obtinent.

6. Paulo post pag. 142. ait Menander: *His ita decretis & corroboratis, separatim pacta sunt interposita de Christianis, ut illis liceret Templa construere, & sine ullo timore Sacra peragere, & gratiarum actiones per hymnos Deo, sicut apud nos fieri consuevit canere, neque cogi magicis ceremoniis interesse, aut invitos colere, & venerari Deos, qui apud Medos Deorum numero habentur. Neque tamen ideo Christiani auderent conari magica sectantes in suam sententiam pertrahere. Obtinuit quoque, ut Christianis potestas esset mortuos sepulchris condere, & illis ad nostrum morem justa persolvere.* Dein scribit Menander: *Petrus illic* (scilicet in confiniis, ubi pax pacta fuerat) *remansit, ut Festum Nativitatis Christi Dei* (*instabat enim Augusta & Veneranda Dies*) *sancte & religiose coleret. Nec multo post illic adhuc Epiphania quoque ex Ecclesiæ Constitutione sancta habita, celebravit.* Postea ad Chosroen accessit, & Suaniam Regi Lazorum alias subjectam Romanis reddi postulavit. Sed Chosroes jam Constitutis nihil addere voluit, de Suanis cum contemptu locutus, *Suanos juga Caucasi habitare, esse latrones, prædarum abactores, & quorumcumque gravium, & immanium scelerum patra-*

patratores subjunxit Chosroes : Hodie præterierunt decem anni, ex quo Suaniam occupavimus: Legatos sæpius a vobis excepimus, & nullam unquam mentionem de Suania fecistis. Nihil itaque Petrus de Suania obtinuit; sed tamen utraque Regna bellum deposuerunt. *Nec multo post Petrus cum Byzantium rediisset, mortuus est*, inquit Alexander; anno sequenti scilicet, ut habet Theophanes Kal. Septembris.

JESU CHR. AN. 562.

JESU CHRISTI AN. 562. JOANNIS PAPÆ 3. JUSTINIANI IMP. 36.

1. Annus Christi adest 562. postcoss. Basilii XXI. signatus, quo Santonense concilium in Galliis celebratum est, cui Leontius Burdigalensis Episcopus secundæ Aquitaniæ præfuit, eoque Heraclius presbyter Episcopus Santonensis creatus est, remoto Emerio, eo quod Clotharii jussu absque Metropolitani consensu ordinatus fuerat; at Emerius præcepto Chariberti Regis paulo post, invitis Episcopis, in Burdigalensem sedem restitutus est, ut narrat Gregorius Turonensis. *Leontius, congregatis provinciæ suæ Episcopis, Emerium apud Santonas ab Episcopatu depulit, asserens non canonice fuisse hoc honore donatum. Decretum enim regis Clotharii habuerat, ut absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo ejecto, consilium fecere in Heraclium tunc Burdegalensis Ecclesiæ presbyterum, quem Episcopum ordinarunt*, cumque ad Charibertum Francorum Regem miserunt, ut ordinationis suæ confirmationem obtineret: *At Rex fremens, eum a suis conspectibus extrahi jussit, & plaustro spinis suppleto imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putasne, quod non est desuper quisquam de filiis Clotharii Regis, qui Patris facta custodiat, quod hi Episcopum, quem voluntas Regis elegit, absque nostro judicio projecerunt? Et statim electis viris religiosis, Episcopum loco restituit, dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis a Leontio mille aureis, reliquos juxta possibilitatem damnet Episcopos, & sic Patris est ultus injuriam.* Hæc quidem tyrannice Rex. Quomodo autem idem Rex impie agens, invadens res Ecclesiarum, divina ultione percussus interiit, suo loco dicemus.

Santonense concilium Emericum Burdigalensem Episc. deponit, & Heraclium ordinat.
Greg. Turon. lib. 4. hist. cap. 26.

Charibertus Rex tyrannice agit in Episc.

2. Ratio temporis exigit, ut de Aurelio Cassiodoro pauca

De computo Paschali Au-

Jesu Chr. an. 562. Aurelii Cassiodori.

pauca dicamus, qui hoc anno Paschalem computum edidit, quo rationem docuit, numerandi indictiones, epactas, numerum aureum, ac annos bissextiles: *Si nosse vis, quoties annus est ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi: computa triginta sex per quindecim, fiunt quingenti quadraginta, his semper adde duodecim, & fiunt quinquaginta duo: adde & Indictiones anni cujus volueris, ut puta, decimam vicies semel post Consulatum Basilii Junioris: sunt quingenti sexaginta duo &c.* ac paulo post: *Si vis scire quota est Indictio, ut puta vicies semel post Consulatum Basilii Junioris: sume ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, idest, quingentos sexaginta duos: his semper adjice tria; fiunt quingenti sexagintaquinque. Hæc partire per quindecim; remanent decem: decima est Indictio.* Hæc ipse, præsentem designans annum. Quod si æræ christianæ initium a consulatu Lentuli & Messalini, qui Julianus 43. fuit, uti Baronio placuit, jam non anni 562. forent numerandi, sed 565. Annum nonagesimum tertium superaverat Cassiodorus, cum computum suum edidit, & liquet ex ipsius de orthogrophia libro, quo in præfatione habet: *Ad amantissimos orthografos discutiendos anno ætatis meæ 93. Domino adjuvante perveni*, quo tempore Paschalem computum nondum in lucem ediderat.

Cassiodori vitæ breviarium.

3. Quo autem anno obierit, deficientibus veterum monumentis, incertum est; non injucundum tamen erit tanti viri vitæ breviarium, ac operum indicem attexere, ne qui suum seculum mirifice illustravit, ipse obscurus prætereatur, aut sepeliatur inglorius. Natus itaque est Cassiodorus Clarissimis parentibus Scillacii, quæ urbs Brutiorum tum erat primaria, cujus amenissimum situm ipse describit: sub Odoacre Herulorum Rege in Italia Regnante, primos in Republica honores obtinuerat, sed Odoacre a Theodonio Gothorum Rege devicto, ad Vitigem usque, novis semper honoribus auctus fuit, Brutiorum scilicet præfectura, pluries vero quœstor, Palatii comes, Præfectus prætorio, demum anno 514. consul fuit. His itaque honoribus ad nauseam usque exsatiatus, anno ætatis suæ 70. circiter contulit se in solitudinem, exoptatum diu tranquillitatis portum quœrens, in monasterio, quod ipse ædificaverat prope Squillacium, Vivariense, sive Costellense dictum, quo loco duo veluti construxit monasteria, pro cœnobitis scilicet, ac pro Anachore-

Cassiod. de divinis lectionibus c. 29.

choretis, ficque duo indita nomina. De quorum ftructura, & amenitate hæc habet: *Si nos in monasterio Vivarienſi* (*ſicut credere dignum eſt*) *divina gratia ſuffragante, cœnobiorum conſuetudo competenter adjuvat, & aliquod ſublimius defectos animos optare contingat: habetis Montis Caſtelli ſecreta ſuavia, ut velut anachoritæ, præſtante Domino, eſſe poſſitis: ſunt enim ſemota & emicantia eremi loca, quando muris priſtinis ambientibus probantur incluſa.* A Vivariis vero piſcium Vivarienſe monaſterium eſſe dictum, alibi indicat: *Maria quoque nobis ita ſe ſubjacent, ut piſcationibus variis pateant, & captus piſcis, cum libuerit, vivariis poſſit includi. Fecimus illic, juvante Domino, grata receptacula, ubi ſub clauſtro fideli vagetur piſcium mulitudo, ita conſentanea montium ſpeluncis, ut nullatenus ſe ſentiat captum, cui libertas eſt eſcas ſumere, & per ſolitas ſe cavernas abſcondere.* Hæc de loco & nominibus monaſterii. Porro illud ita optime, civitatis inſtar, inſtituit, ut nihil Deo ſervientibus ex iis deeſſent, quæ Chriſtiano viro uſui eſſe poterant. De lucernis ex Archimedis officina ſumptis hæc addit: *Paravimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas lucernas conſervatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium, quæ, humano miniſterio ceſſante, prolixe cuſtodiant uberrimi luminis abundantiſſimam claritatem; ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur.* Et de horologiis iſta mox ſubjicit: *Sed nec horarum modulos paſſi ſumus ullatenus ignorare, qui ad magnas utilitates humani generis noſcuntur inventi. Quapropter horologium vobis, quod Solis claritas indicet, præparaſſe cognoſcor: alterum aquatile, quod die noctuque horarum jugiter indicet quantitatem: quia frequenter nonnullis diebus Solis claritas abeſſe cognoſcitur, miroque modo in terris aqua peragit, quod Solis flammeus vigor deſuper modulatus excurrit. Hæc ergo procurata ſunt, ut milites Chriſti certiſſimis ſignis admoniti, ad opus exercendum divinum, quaſi tubis clangentibus evocentur.* Hæc ipſe.

JESU CHR. AN. 562.

De monaſterio Vivarienſe a Caſſiodoro extructo.

De Lucernis, & Horologiis.

4. Præ omnibus, quæ vitam monaſticam excolentibus uſui, & eſſe utilitati poterant, bibliothecam conſtituit, quam in Commentario Inſtitutionis divinarum lectionum deſcripſit, eaque effecit, (quod in ejus præfatione profitetur) ut cum bellis pene tota turbata eſſet Italia, ob idque ad di-

De Caſſiodori bibliotheca.

Jesu Chr. An. 562. discendas litteras nullæ fere scholæ apertæ essent, ipse discere cupientibus, doctores veluti in cathedris constituerit, cum eorum scripta per novem (ut ipse testatur) distincta armaria ibidem collocavit. Consilium suum declarat his verbis: *Quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis: ad hoc divina charitate probor esse compulsus, ut ad vicem magistri, introductorios vobis libros istos, Domino præstante, confecerim, per quos (sicut æstimo) & scripturarum divinarum series, & sæcularium litterarum compendiosa notitia, Domini munere panderetur*. Post hæc, quid e singulis sit accipiendum libris, sic utiliter admonet: *In quibus non propriam doctrinam, sed priscorum dicta commendo, quæ posteris laudare fas est, & prædicare gloriosum. Quoniam quidquid de priscis sub laude Domini dicitur, odiosa jactantia non putatur*. Et paulo post, non propriam, sed antiquorum esse in divinis rebus sententiam sectandam, his verbis docet: *Quapropter dilectissimi fratres, indubitanter ascendamus ad divinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum, veluti per quamdam scalam visionis Jacob; ut eorum sensibus provecti, ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur. Ista enim fortasse scala Jacob, per quam Angeli ascendunt, atque descendunt; cui Dominus innititur, lapsis porrigens manum, & fessos ascendentium gressus sui contemplatione sustentans*. Hæc ipse: qui etiam quæ tyronem deceant, quæve provectioribus sint proponenda, magna habita discretione demonstrat.

Ab antiquis petenda doctrina.

Gen. 28.

De Mutiano.

5. Præter sanctorum Patrum varia scriptorum monumenta, recentiorum quoque scriptorum lucubrationes recenset, ut Dionysii exigui, Epiphanii, Bellatoris, Eugipii, Primasii. Meminit etiam Mutiani viri disertissimi, qui triginta quatuor homilias S. Joannis Chrisostomi in epistolam Pauli ad Hebræos latinitati donaverat. Hunc porro crediderim Mutianum fuisse, qui Quintæ Synodo subscribens, & Romanis Pontificibus in damnatione Trium Capitulorum conjunctus, Africanos obstinate nimis resistentes, & schismate se ab Ecclesia Catholica dividentes redarguerat, adversus quem Facundus Hermianensis Episcopus opusculum scripsit, cujus ante meminimus. Agit præterea Cassiodorus, dum relegit suam bibliothecam, de quodam Petro Abbate in Africa, cujus scripta recensens ait: *Petrus Abbas Tripolitanæ Provinciæ S. Pauli*

Pauli epistolas exemplis opusculorum S. Augustini subnotasse narratur, ut per os alienum sui cordis declaret arcanum, quae ita locis singulis competenter aptavit, ut hoc magis studio beati Augustini credas esse profectum. Mirum est enim sic alterum ex altero dilucidasse, ut nulla verborum suorum adjectione permixta, desiderium cordis proprii complesse videatur: qui vobis inter alios codices, divina gratia suffragante, de Africana parte mittendus est. Hæc de Petro Cassiodorus. Inter alios autem illustres viros, quorum ibidem Cassiodorus meminit, Eusebius cæcus est nemini notus, nisi qui commentarium illum legerit. De ipso enim hæc habet, cum de Didymo Alexandrino agit: *De Didymo quod ferebatur mihi pene impossibile videbatur esse, cum legerem, nisi de partibus Asiae quemdam ad nos venire Eusebium nomine contigisset. Qui se infantem quinque annorum, sic excaecatum esse narrabat, ut sinistrum ejus oculum excavatum orbis profundissimus indicaret; dexter vero globus vitreo colore confusus, sine videndi gratia instructuosis usibus volvebatur. Hic tantos auctores, tantos libros in memoriae suae bibliotheca condiderat, ut legentes probabiliter admoneret, in qua parte codicis, quod praedixerant, invenirent. Disciplinas omnes & animo retinebat, & expositione planissima lucidabat.* Et post alia de ejus lucubrationibus: *Quem tamen adhuc Novatianae pravitatis errore detentum, misericordia Domini suffragante, rectae fidei credimus illuminatione complendum; ut quem Scripturas suas animo fecit discere, jubeat Catholicae fidei integritate pollere.* Hæc Cassiodorus.

Jesu Chr. an. 562. De Petro Tripolitano.

De Eusebio Novatiano hæretico.

6. In libro de divinis lectionibus id mirum fortasse in Cassiodoro nonnullis erit, quod quatuor tantum Oecumenicas synodos laudet, de Quinta suis diebus habita, ne verbum habet, quinimmo veluti novitatum studiosos Constantinopolitanos Patres suggillat: *Sunt nonnulli*, inquit, *qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant, Chalcedonensis autem synodi testis est Codex encyclicus, qui ejus reverentiam tanta laude concelebrat, ut sanctae auctoritati merito judicet comparandum, quem Codicem encyclicum, idest totius orbis epistolarum a viro disertissimo Epiphanio fecimus in latinum de Graeco sermone converti.* Hæc ipse, per encyclicum Codicem, intelligens tomum illum epistolarum a quamplurimis

Cassiodorus quintæ synodi non meminit.

JESU CHR. AN. 562. rimis Episcopis, procurante Leone Imperatore, conscriptarum, quibus Chalcedonense concilium confirmabatur, de quibus suo loco egimus. Neminem tamen hæc movere debent, nec quidquam Cassiodori fidei, ac religioni detrahit ipsius de quinta synodo silentium; non enim de catholica fide, sed de personis in ea præcipue actum est, de scriptis scilicet Theodori, Ibæ, ac Theodoreti. Satis erat ad catholicæ fidei professionem quatuor Œcumenicas synodos profiteri, in quibus catholica dogmata adversus hæreticos confirmata sunt, qui Quintæ non subscribebant, dummodo a catholica communione non recederent, pro catholicis semper habiti sunt, ut ex S. Gregorio constat, qui aliquando quatuor tantum synodos professus est. Sed ad Cassiodorum redeamus, ejusque lucubrationes, quas in eadem bibliotheca collocavit, quove ordine scriptæ fuerint, ex ipso discamus. Scripsit perbreve chronicon usque ad annum Domini quingentesimum decimum nonum, Theodorico Rege petente: itemque de rebus Gothicis duodecim libros, ut ipse tradit in Variarum præfatione, quos Jordanus in compendium redegit. Variarum etiam epistolarum duodecim libros in eadem bibliotheca posuit asservandos. Mox vero scripsit librum de Anima, ut ipse in præfatione testatur: *Cum jam suscepti operis optato fine gauderem, meque duodecim voluminibus jactatum, quietis portus exciperet, ubi etsi non laudatus, certe liberatus adveneram; amicorum me suave collegium in salum rursus cogitationis exposuit: postulans, ut aliqua, quæ tam in libris sacris, quam in secularibus abstrusa compereram, de animæ substantia, vel de ejus virtutibus aperirem &c.*. Habet idipsum in undecimi libri Variarum præfatione. Porro ex dictis etiam illud apparet, tamdiu permansisse ipsum in secularibus curis, quamdiu vixere illi Gothorum Reges, quibus in amplissimis perfecturarum ordinibus militabat, usque ad Vitigem scilicet, inde vero seculo nuncium remisisse, atque monasterii captasse quietem: cum jam degustans spiritualis vitæ dulcedinem, cratere potatus sapientiæ, hoc ore promebat, styloque pingebat, quo erat plenus interius: nam in fine ejusdem opusculi: *Tibi denique Domino* (inquit) *nobilius est servire, quam mundi regna capessere; quando ex servis filii, ex impiis justi, de captivis reddimur absoluti &c.* Tunc temporis etiam, hortatu Summi Pontificis, Psalmos acce-

S. Greg. l. 3. epist. 33. & 37.

accepit interpretandos, ut ipse profitetur, cum ait in ipsius operis præfatione: *Repulsus aliquando in Ravennate urbe solicitudinibus, dignitatum & curis sæcularibus noxio sapore conditis, cum Psalterii cælestis animarum mella gustassem &c. In fine autem: Quo circa* (inquit) *Pater Apostolice, qui cælestes litteras sanctis monitis reddidisti, præstante Deo, tua imitatione provocatus, abyssus divinas ingrediar*. Ea scriptione absoluta, ad Salomonis parabolas stylum convertit; id enim ipse pollicitus fuerat, in fine ejusdem commentarii super Psalmos, ac in easdem Salomonis parabolas nonnulla adnotasse in prologo testatur. Quos autem post hæc ipse ediderit commentarios, audi ipsum eosdem hoc ordine referentem: *Jam tempus est, ut totius operis nostri conclusionem facere debeamus, ut melius in animo recondantur, quæ septenaria conclusione distincta sunt. Prima post commenta Psalterii, ubi, præstante Domino, conversionis meæ tempore primum studium laboris impendi. Secunda deinde post Institutiones quemadmodum divinæ & humanæ deberent intelligi lectiones, duobus libris* (ut opinor) *sufficienter impletis, ubi plus utilitatis invenies, quam decoris. Tertia post expositionem epistolæ, quæ scribitur ad Romanos, unde Pelagianæ hæreseos pravitates amovi, quod etiam in reliquo Commentario facere sequentes admonui. Quarta post Codicem, in qua artes Donati cum commentis suis, & librum de Etymologiis, & alium librum Sacerdotis de Schematibus, Domino præstante, collegi, ut instructi simplices fratres, ubi necesse fuerit, similia dicta sine confusione percipiant. Quinta post librum quoque titulorum, quem de divina Scriptura collectum, Memorialem volui nuncupari, ut breviter cuncta percurrant, qui legere prolixa fastidiunt. Sexta post complexiones in epistolis Apostolorum, & actibus Apostolorum, & Apocalypsi quasi brevissimas explanationes decursas. Septima ad amantissimos Orthographos discutiendos anno ætatis meæ nonagesimo tertio, Domino adjuvante, perveni*. Hæc ipse de suis scriptis hactenus editis.

JESU CHR. AN. 562.

Cassiodori elucubrationes.

7. In quibus omnibus sane admirari non desino doctissimi viri incredibilem animi dimissionem, facti (secundum Apostolum) omnia omnibus: etenim non quæ sua sunt quærens, sed aliorum, prima etiam rudimenta in decrepita senectute monachos veluti pueros docere voluit, puerorum velu-

Cassiodorii in senectute labores.

1. Cor. 9.

Jesu Chr. An. 562. veluti manum tenens, ac ad characteres recte formandos dncere non recusavit: in eorumdem enim fratrum utilitatem, plurimum se laboris insumpsisse testatur, nt secundum orthographiam jam librariorum incuria prætermissam, ad utilitatem legentium, sacros codices restitueret; nam audi ipsum, dum in præfatione Institutionis divinarum lectionum hæc ait: *Illud quoque credidimus commonendum, sanctum Hieronymum simplicium fratrum consideratione pellectum, in Prophetarum præfatione dixisse, propter eos qui distinctiones non didicerunt apud magistros secularium litterarum, colis & comatibus translationem suam, sicut hodie legitur, distinxisse. Quod nos talis viri auctoritate commoniti, sequendum esse judicavimus, ut cætera distinctionibus ordinentur &c.* Verum licet diligentissimis Notariis opus delegarit, ipse tamen plurimum laboris insumpsit, ut cunctos a se in bibliotheca positos codices cum aliis antiquis voluminibus sedulo legendo conferret. Sed quid postea? num hic finis ejus didascaliæ? minime gentium. Etenim post hæc, quos recte scribendi facultatem docuit, eosdem arte Grammatica reddere voluit diligenter excultos, dum eisdem de eadem Grammatica librum conscripsit: postea de Rethorica breve adjecit compendium, de Dialectica etiam copiosius volumen, nec non de Arithmetica, de Musica, de Geometria, & Astronomia, non evanescens quidem in philosophorum sententiis, sed de ea persecutus, quæ lectorem sobrium reddant ac pium; nam hæc habet in fine libri de Astronomia: *Nobis sufficit quantum in scripturis sacris legitur, tantum de hac arte, nempe astronomia, sentire: quia nimis indecorum est, hic humanam sequi sententiam, unde quantum nobis expedit, divinam noscimur habere doctrinam.* Hæc ipse, explosa penitus a Fidelium corde ea, quam judiciariam dicunt, Astronomia, eventa hominum præsignante. Ad postremum autem libellum addidit de Paschali computo, quem hoc ab eo anno esse elucubratum, & annorum numero post Basilii Consulatum designatò (ut dictum est) satis manifeste apparet: an autem post hæc aliquid scripserit, nobis ignotum; quantumque vitam duxerit, pariter incompertum est, sed prope centenarium ex hac vita migrasse, ex dictis possumus opinari. Quod autem ad reliquas superius non numeratas Cassiodori lucubrationes pertinet, ante duodecim libros Variarum,

Cass. in præf. Variar.

riarum, ipse testatur, se dixisse panegyricos Regibus, atque Reginis; insuper Ecclesiasticam historiam ex Socrate, Sozomeno, atque Theodoreto tripartitam contexuisse, iisdem auctoribus (ut ipse affirmat) ab Epiphanio in Latinum versis; addit de schematibus, & tropis libros duos, quos ante libros de Orthographia ediderat. Sic igitur, qui vegetiorem ætatem in optima regni gubernatione utiliter honorificeque consumpsit, nec in decrepita senectute, labores ad res divinas conversos, vel minimum intermittens in suo monasterio tandem sancto fine quievit, ad monasterii curam duobus præfectis Abbatibus viris sanctissimis, Chalcedonio scilicet, atque Geronio, quorum alter Vivariensibus cœnobitis, Castellensibus alter præesset ibidem junctis anachoretis. At de Cassiodoro satis. Qui plura cupit adeat Garetium monachum Congregationis S. Mauri, qui duobus tomis Cassiodori opera collegit, ac emendata edidit, una cum ejusdem Clarissimi Viri vita, ac dissertatione de ejusdem monachatu sub regula S. Benedicti.

JESU CHRISTI AN. 563. JOANNIS PAPÆ 4. JUSTINIANI IMP. 37.

Conjuratio adversus Justinianum mota detegitur.

1. Hoc Christi anno 563. postcoss. Basilii XXII., conjuratio adversus Justinianum ordita est, qua Belisarii fama, ac vita in discrimen adducta est, ut narrat Theophanes anno Incarnationis secund. Alex. 555., qui Kal. Septembris anni superioris incepit, ac cum labenti anno concurrit: *Hoc anno mense octobri popularis seditio in Pittaciis* (erat Pittacia tractus Urbis Constantinopoleos, ubi ad Leonis magni statuæ columnæ impositæ gradus, Cives querimonias deponebant, ac Libellos supplices, quos apparitores ad Imperatorem deferebant, qui statim responsum singulis dabat, ut videre est apud Ducangium lib. 2. Constantinop. Christianæ paragrapho 16. num. 70.) *excitata est: & in plurimos Imperator animadvertit. Mense vero Novembri ex diuturniore imbris penuria, magnus ubique aquarum defectus extitit, adeout ad aquarum receptacula rixæ pugnæque fuerint commissæ &c. Mense etiam Augusto, &c. mensis vero ejusdem die vigesimo quinto, Sabbato circa Vesperam* (ideoque an. 563. quo dies XXV. mensis Augusti in Sabbatum incidit) *de Imperatore inter-*

JESU CHR. AN. 563. *interficiendo, ubi sederet in palatio, quidam conjuraverunt*. Narrat postea, ex conjuratoribus unum rem ad Imperatorem nunciasse, & Sergium in Blachernarum ædem confugisse: eumque vi eductum, & examinatum declarasse Isacium argentarium, & Patricium Belisarium cum eo conjurationis hujusmodi participes fuisse: *Ac insuper argentarium Vitum, Paulumque Belisarii curatorem ejusdem fuisse conscios. Comprehensus igitur uterque, & Procopio Præfecto traditus insidias omnes detulit, & Patricium Belisarium accusavit. Confestim itaque in Belisarium Imperator exarsit. Tum vero Decembris die quinto Curiam convocavit Imperator, adducto secum etiam Sanctissimo Patriarcha Eutychio, eorumque confessionibus palam recitari jussis, Belisarius coram assistens, & auditor graviter indoluit, & in Imperatoris offensionem incurrit, qui militibus summissis domesticos ejus detinuit omnes, ipsum vero propria domo inclusum sub custodia servari præcepit*. Paulo post addit: *Julii mensis die decimo nono Patricius Belisarius prioribus cunctis Dignitatum honoribus restitututus, in gratiam quoque Imperatoris rediit*. Eadem leguntur in Miscellæ auctore, Zonara, aliisque, sed anno Imperii Justiniani 35., idest anno 561. sceleris auctores fuere Ablavius, & Marcellus pecuniarum venditores, atque Sergius, qui cum conjurationem Eusebio exconsuli, & Joanni Logothetæ exposuissent, ab iis res ad Imperatorem delata est. Quamobrem in vincula conjurationis rei conjecti, debitas perfidiæ pœnas dederunt, uno Belisario excepto, qui in gratiam Imperatoris rediit, cum se ab ea perfidia alienum fuisse probasset.

Belisarii obitus. *At hoc anno mense Martio indict. decima tertia Patricius Belisarius Bizantii moritur, facultatesque ejus omnes Imperialibus Marinæ ædibus, & ejus ærario addictæ*. Hic tandem viri clarissimi exitus, qui ob res bello, paceque gestas, eo gloriæ processerat, si Cedreno fides, ut ejus imagines cum hac inscriptione in nummis excusæ fuerint *Belisarius Romanorum decus*. Hæc de Belisario antiqui historici, unde historia, quæ vulgo fertur de Belisario exauctorato, ac excæcato ab Imperatore, qui obulum vicatim a plebe expetebat, merito rejicitur, utpote a Græculo Poeta undecimi sæculi Thzete tradita.

S. Nicetii ep. ad Clodosvindam Longobardorum Reginam. 2. Ad hæc tempora Nicetius Treviorum Episcopus ad Clodosvindam Clotharii Francorum Regis filiam, quæ Alboino

boino Longobardorum Regi nupserat, epistolam dedit, qua hortabatur eam, ut Alboinum maritum ad catholicam fidem perduceret, ac per tremendum Dei judicium admonet, ut epistolam viro suo exponat, in qua ex scripturæ locis Trinitatis Mysterium exponebat, additque Gothos frustra reliquias Apostolorum habere, quorum fidem non retinerent: *Ad duodecim discipulos, quos habuit Christus, veniamus, quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, & reliquias eorum furtim tollunt, sed nihil ibi habent, quia fidem eorum annullare præsumunt*. Provocat etiam Alboinum, ut dirigat ad Martini sepulchrum infinitis miraculis coruscans: *Hic si jubet ad Dominum Martinum per festivitatem suam, quam undecima die facit Novembèr, ipsos mittat, & ibi si audent aliquid præsumant, ubi cæcos hodie illuminari conspicimus, ubi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere*. Ne vero figmentis ea Gothi miracula apponerent; *Quid dicam*, ait, *cum inde illuminatos conspicimus, & ad propria Deo miserante sanos reverti videmus*? Et Clodosuindam exemplo Crothildis, quæ Clodoveum ad notitiam Christi perduxit, ut virum etiam fide imbuat hortatur; Populos, quibus Alboinus præerat, non tantum Longobardos, quod longas barbas nutrirent; sed etiam Gothos, quod origine Gothi essent, appellat Nicetius. Hi sedes antiquitus habuerunt in Scandinavia, teste Paulo Diacono lib. 1. cap. 2. . Est Scandinavia Peninsula, quæ Sueciam, Gothiam & Novergiam, Regiis titulis insignitas hodie complectitur. Scandinavia relicta, trajectoque mari Svevico, seu Baltico copiosa multitudo Gothorum migravit in Germaniam, ibique pars eorum gens Langobardorum nuncupari cœpit: ibi variæ sedes, diversaque eorum fortuna fuit, donec a Justiniano Augusto Noricum, & Pannoniam, ac pecuniam insuper maximam acceperunt, ut docet Procopius lib. 3. de Bello Goth. cap. 32. Pannonia autem, & Noricum tunc complectebantur has hodiernas regiones; Pannonia partem Hungariæ, Austriæ, Stiriæ, & Carniolæ; Noricum vero Carinthiam, partemque Austriæ, Stiriæ, Carniolæ Comitatus Tirolensis, & Bavariæ. Indeque in Italiam Longobardi venere, ut anno 567. videbimus. Alboinus tamen quamdiu vixit, in hæresi perseveravit, ac Arianus obiit.

JESU CHR. AN. 563.

Gregorius Turon. Episc S. Martini intercessione a morbo liberatur.

Greg. Turon. de mirac. S. Martini l. 1. c. 32. 33. &c.

3. Merito quidem ad fidei catholicæ veritatem comprobandam, Nicetius Alboinum Regem Arianæ sectæ addictum ad S. Martini sepulchrum provocabat; innumeris quippe ea ætate coruscabat miraculis, eaque Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus quatuor libris prosecutus est, ac se quoque hoc eodem anno ejus intercessione ab infirmitate convaluisse, his verbis adnotat: *Exactis his, quæ circa alios gesta sunt, aggredior, quæ circa me indignum virtus præsentis est operata patroni. Anno centesimo sexagesimo tertio post assumptionem Sancti ac prædicabilis viri B. Martini Antistitis, regente ecclesiam Turonensem S. Euphronio Episcopo anno septimo, secundo anno Sigeberti Gloriosissimi Regis* (labenti scilicet) *irrui in valetudinem cum pustulis malis & febre; negatoque usu potus & cibi, ita angebar, ut amissa omni spe vitæ præsentis, de solis sepulturæ necessariis cogitarem: obsederat enim me mors cum ardore, animam cupiens expellere de corpore. Tunc jam valde exanimis, invocato nomine beati Martini Antistitis, parumper convalui, & lento adhuc conanime iter incipio præparare: insederat enim animus, ut locum venerabilis sepulchri visitare deberem. Unde tanto desiderio affectus sum, ut ne vivere me optarem, si tardius direxissem.* Quare cum ægrotans iter suscepisset, & illuc pervenisset, tertiaque die, vigilias noctis ad sancti viri sepulchrum egisset, una cum Armentario clerico suo, qui sumpto veneno mentem perdiderat, uterque repente sanatus est, ut eodem loco idem Gregorius persequitur, eaque occasione multa alia miracula, quæ ibidem eodem fere tempore patrata sunt, commemorat, quæ exscribere longum esset.

S. Martini virtus toto Orbe perspicua.

4. Unde Venantius Fortunatus, his consentientia ad Childebertum Regem, atque Brunihildem Reginam, hæc de prodigiis, quæ ad Beati Martini sepulchrum fiebant, scribebat.

Qui modo de Galliis totum mire occupat orbem,
Et virtus pergit, quo pede nemo valet:
Qui velut alta Pharus lumen protendit ad Indos:
Quem Hispanus, Morus, Persa, Britannus amat:
Hunc Oriens, Occasus habet, hunc Africa, ut Arctos.

Mar-

Martini decus est, quæ loca Mundus habet
Quinque per Oceanum discurrit marginis undas,
Omnibus ut præstet circuit Orbis iter.

Atque ex his patet in ecclesia catholica, sanctorum intercessione, semper manasse veluti e fonte perenni miracula; quibus manifestissimis notis quisque licet mente stolidus cognoscere possit, ubi veritas permaneat sacrorum dogmatum, ac pariter intelligere hæreticos, atque schismaticos censendos esse, qui ab iis procul aberrant.

Reparatus Carthagin. Episcopus obiit.

5. E Vitæ miseriis labenti anno ereptus est Reparatus Carthaginensis Episcopus, quem anno 552. ob defensionem trium capitulorum in exilium Justinianus ejecerat: *Postcoss. Basilii anno XXIII.*, ait Victor Tunonensis, qui juxta ejusdem numerandi modum cum labenti concurrit, *Reparatus Archiepiscopus Carthaginensis ecclesiæ, exilio apud Enchuidam, gloriosa confessione transiit ad Dominum die 7. idus Januarii*. Exilium quoque hoc anno tulit Eustochius Hierosolymitanus, cujus in locum Macarius iterum revocatur, (hunc ut diximus anno 552. exulare coegerat Justinianus, eoque vivente Eustochius fuerat ordinatus,) unde Victor ad annum Imperatoris 37. *Eustochius Hierosolymitanus Episcopus, qui fuerat Macario superstite ordinatus, ejicitur, & rursum Macarius reformatur*. Victori suffragatur Evagrius, dum ait: *Macario Hierosolymitanæ ecclesiæ Sacerdotium possidente, atque in pristinam sedem restituto, cum post depositionem Eustochii, Origenem, Didymum, atque Evagrium damnasset, Justinianus scripsit id, quod Romani edictum vocant, in quo corpus Domini incorruptibile appellat*. Edictum illud anno 565. emissum fuit, ut ibidem dicturi sumus.

Macarius in sedem Hierosol. restituitur, & Eustochius ejicitur.

Evag. lib. 4. cap. 39.

JESU CHRITI AN. 564. JOANNIS III. PAPÆ 5. JUSTINAINI IMP. 38.

Justinianus in defensores trium capitul. adhuc sævit.

1. Hoc Christi anno 564. postcoss. Basilii XXIII. de ecclesiasticis gestis vix dicenda occurrunt, nam Joannis 3. Romani Pontificis gesta in obscuro sunt. Id unum adnotabimus Justinianum ad vitæ usque exitum, trium capitulorum defensores exagitasse, ac exiliis affecisse. Eo pertinent Victoris verba: *anno 38. Imperatoris ejusdem, Musicus,*

JESU CHR. AN. 564. *cus, Brumasius, Donatus, & Chrysonius Episcopi de Africa; & Victor, & Theodorus similiter ex Egypto ad urbem Regiam imperiali præcepto evocantur, qui dum eidem Justiniano Principi præsentes præsenti, & postea Eutychio regiæ urbis Episcopo altercanti, novæ superstitioni resistunt, ab invicem segregati, per monasteria ejusdem urbis custodiæ mittuntur.*

S. Gildas libellum de Britanniæ excidio componit. *Biblioth. PP. tom. 8.*

2. Hoc anno Gildas, sapiens dictus, aureum de Britanniæ excidio libellum in lucem emisit, in quo, quæ rerum Britannicarum facies a Victoria Badonica (de qua anno 520, egimus) usque ad hæc tempora exposuit. Opusculum suum in duas distinxit partes, quarum prima Reges quinque diversis insulæ regionibus dominantes arguit, secunda Episcopos, Sacerdotes, & Clericos. *Reges habet*, inquit, Britannia, *sed tyrannos, judices habet sed impios; sæpe prædantes, & concutientes innocentes, vindicantes, & protegentes, sed reos & latrones, quamplurimas conjuges habentes, sed scortantes; crebro jurantes & pejurantes, voventes, & continuo propemodum mentientes, belligerantes, sed civilia & injusta bella agentes, per patriam quidem fures magnopere insectantes, & eos qui secum ad mensam sedent, non solum amantes, sed & munerantes; eleemosinas largiter dantes, sed e regione immensum montem scelerum exagerantes, in sede arbitrii sedentes, sed raro recti judicii regulam quærentes, innoxios humilesque despicientes, sanguinarios, superbos, parricidas, commanipulares & adulteros, Dei inimicos &c.*. Hæc summa libertate Britanniæ Regibus exprobrat. Quorum deinde singulatim vitia enumerans execratur, ac luget Prophetarum exemplo, quorum minas sua oratione sæpe usurpat. Nec minori zelo ac ardore in Episcoporum, ac cleri vitia invehit, ad quos hæc habet:

Gildæ Invectiva in Reges & Sacerdotes.

Britannia habet Sacerdotes, sed nonnullos insipientes, quamplurimos ministros, sed multos impudentes, clericos, sed quosdam raptores, subdolos pastores, ut dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos. Quippe non commoda plebi providentes, sed proprii plenitudinem ventris quærentes, Ecclesiæ domos habentes, sed turpis lucri gratia eas adeuntes, populos docentes, sed præbendo interdum pessima exempla, vitia, malosque mores, raro sacrificantes, ac raro puro corde inter altaria stantes; plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes, præcepta Christi spernentes, & suas libidines votis

votis omnibus implere curantes, sedem Petri Apostoli immundis pedibus aliquos usurpantes, sed merito cupiditatis, in Judae traditoris pestilentem cathedram desidentes: saepius detrahentes, & raro vera dicentes, veritatem pro inimico odientes, & mendacii ac si charissimis fratribus faventes, justos, inopes, inanes, quasi angues torvis vultibus conspicantes, & sceleratos divites, absque ullo verecundiae respectu, sicut caelestes Angelos venerantes, egenis eleemosinam esse dandam summis labiis praedicantes, sed ipsi vel obolum non dantes, nefanda populi scelera tacentes, & suas injurias, quasi Christo irrogatas amplificantes, religiosam forte matrem, seu sorores domo pellentes, & externas velut secretiori ministerio familiares indecenter accipientes, vel potius vel vera dicam, licet inepta non tam mihi quam talia agentibus, humiliantes: Ecclesiasticos post haec gradus propensius quam regna caelorum ambientes, & tyrannico ritu, acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes, ad praecepta sanctorum, si aliquando dumtaxat audierint, quae ab illis saepissime audienda erant oscitantes ac stupidos, & ad ludicra, & ineptas secularium hominum fabulas, ac si inter vitae, mortisque pandant strenuos & intentos: pinguedinis gratia taurorum more, raucos, & ad illicita infeliciter promptos, vultus arroganter in altum habentes & sensus conscientia remordente ad ima vel Tartarum demersos, uno sane perdito denario moestos, & ad unum inquisitum laetos, in Apostolicis sanctionibus ob inscitiam vel peccatorum pondus, ora etiam scientium obturantes, hebetes ac mutos, & in flexibus mundi aliorum negotiorum mendacibus; Sacerdotio irruentes potius, vel illud pene omni pecunia redimentes, quam tractos, & in eodem veteri infaustoque intollerabilium piaculorum caeno, post sacerdotalem episcopatus, vel presbyterii sedem, qui nec ibidem saepe sederunt, utpote indigni, porcorum more volutantes, rapto tantum sacerdotali nomine, nec tamen tenore, vel Apostolica dignitate accepta; sed qui nondum ad integram fidem sunt, vel malorum poenitentiam idonei, quomodo ad quemlibet Ecclesiasticum, ut non dicam summum convenientes, & apti gradum, quem nonnisi sancti atque perfecti, & Apostolorum imitatores & ut magistri gentium verbis loquar, irreprehensibiles legitime, & absque magno sacrilegii crimine suscipiunt? Haec, aliaque plurima in Clericos habet, quae ibidem videri possunt.

Jesu Chr. an. 565. sunt. Hoc tantum Gildæ genuinum opus extat; nam alia quædam opuscula, ut Comedia *Aulularia* dicta, sicuti & prædictiones eidem falso adscribuntur. Obiit Gildas circa annum 570., ac inter sanctos colitur.

JESU CHRISTI AN. 565. JOANNIS III. PAPÆ 6. JUSTINI IMP. 1.

Justiniani Imp. obitus. 1. Quingentesimum sexagesimum quintum Christi annum ingredimur, postcoss. Basilii XXIV., quo Justinianus cum annos 38. mensem septem, & dies tredecim imperasset, idibus Novembris, seu die XXIV. mortuus est, teste Corippo hujus temporis poeta in carmine de Justini laudibus. Opportuna quidem tunc Justiniani Imp. mors contigit, ne diu superstes, totam iterum turbaret ecclesiam. Cum etenim Incorrupticolarum errorem adoptasset, eorum scilicet, qui ajebant Christi corpus incorruptibile fuisse, nec naturalibus perpessionibus subditum, eumdemque errorem ab Episcopis, vi etiam adhibita, subscribendum proponeret, dum in fidei quæstionibus tractandis, plus justo se se immiscebat, ac temerario ausu, Ozæ, aut Oziæ exemplo Sacerdotum officium usurpare præsumpsit, e vivis ereptus est. *Evag. lib. 4. cap. 39.* Lugubrem casum Evagrius his verbis narrat: *Eodem tempore Justinianus a recta Catholicorum dogmatum via deflectens, & tramitem ingressus, quem nec Apostoli, nec Patres vestigiis suis triverant, in spinas ac tribulos delapsus est. Quibus cum Ecclesiam quoque replere voluisset, voti sui compos fieri numquam potuit, cum Dominus regiam viam firmissimis septis muniisset, ne sicarii ac latrones in eam insilire possent, tamquam pariete inclinato, & maceria depulsa.*

Justinianus in hæresim labitur. 2. Deinde post aliqua: *Cum post depositionem Eustochii, Origenem, Didymum, atque Evagrium sub anathemate damnasset: Justinianus scripsit id quod Edictum vocant. In quo Corpus Domini incorruptibile appellat, & naturalium, atque inculpabilium affectionum capax fuisse negat; Dominum ante Passionem eodem modo comedisse dicens, quo post Passionem comedit, cum sacrosanctum ejus Corpus jam inde ex quo in utero formatum est, nullam conversionem aut mutationem, nec in voluntariis & naturalibus perpessionibus, nec post resurrectionem acceperit. Porro Justinianus omnes ubique Episcopos,*

scopos per vim cogere instituit, ut huic opinioni assentirentur. At contrarium omnino profitetur ecclesia catholica, assumptam scilicet a Deo carnem passionibus, absque peccato subjectam, ut tamen si voluisset, vel quando voluisset, ab eisdem se liberum reddere potuisset: quamobrem quæ erant in Carne Christi ejusmodi naturales affectiones, non passiones, sed propassiones Theologi orthodoxi dixerunt, nempe ut cum vellet ipse, tantum insurgerent, & si nollet, nequaquam ipsi dominarentur. In eam quidem de incorruptibilitate carnis Christi sententiam, ex nimio in Jesum Christum amore ivisse Justinianum, adnotat Nicephorus his verbis: *Itaque propter vehementem in Christum amorem, illius gratia multa etiam violenter fecit*. Falso tamen, ni dicam stulte, inter charitatis effectus hæresim Nicephorus recensuit. Nam qui in fide sunt radicati, quæ per charitatem operatur, violentas in alienam messem falces non immittunt. Si itaque Imperator, quæ de carne Christi credendo erant, ignorabat, a Romano Pontifice, ab Eutychio CP. Episcopo, ab Anastasio Antiocheno, a ceteris ecclesiæ pastoribus scire poterat, numquam vero debuit inconsulta Romana Sede, inconsultis Episcopis, de fide edicta conscribere. Qui enim ecclesiam spernit, Christum contemnit, juxta Salvatoris testimonium: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*. Neque in sola edicti promulgatione stetit Justiniani in tractandis fidei quæstionibus temeritas, sed Episcopos quoque ad ejusdem subscriptionem compellere, vi adhibita, præsumpsit. *Quibus opinionibus ut Sacerdotes, & Episcopi ubique assentirentur, compellere instituit. At omnes se Anastasii Episcopi Antiochiæ sententiam expectare respondendo, primum illius conatum repulerunt*, ait Evagrius.

JESU CHR. AN. 565.

3. Magni quidem nominis, tum ob eminentem vitæ sanctitatem, cum etiam ob eximiam viri doctrinam, in toto pene Oriente, tunc erat Anastasius Antiochenus Episcopus, de quo hæc narrat Evagrius: *Porro Anastasius vir fuit tum in divinis litteris admodum eruditus, tum in moribus, & in vivendi ratione accuratissimus: adeo ut res etiam levissimas observaret, nec a constantia & firmitate umquam deflecteret &c.. Hunc igitur, tamquam inexpugnabilem murum, omni machinarum genere oppugnare adortus est Justinianus, id scilicet secum ipse cogitans, se, si hoc propugnaculum subruisset*,

Quanti fuerit Anastasius apud Orientales.

Jesu Chr. An. 565. *ruisset, urbem posthæc nullo negotio capturum esse, & rectæ fidei doctrinam in servitutem redacturum; denique oves Christi captivas abducturum esse.* Assensus est petitioni Episcoporum Orthodoxorum Justinianus Imperator, sperans fore, ut datis ad eumdem Anastasium litteris, eum in eamdem quam ipse fovebat sententiam se perducturum, stulte credens eumdem Anastasium ex iis Episcopis esse, qui Imperatoris gratiam quibuslibet dogmatibus anteferret. Sed quam deceptus sit Imperator, Evagrius his verbis narrat: *Anastasius vero divina quadam animi celsitudine, adeo supra Imperatorem se se extulit, quippe qui fundatus esset supra firmam petram, ut missa ad Justinianum relatione, palam ei contradixerit, & manifestissime simul ac disertissime, in eadem relatione ei demonstraverit, Corpus Domini in perpessionibus naturalibus, & quæ in reprehensionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuisse; atque divinos Apostolos, & sanctos Patres sensisse, ac posteris tradidisse. Eadem quoque rescripsit ad Monachos primæ, ac secundæ Syriæ, qui ipsum consuluerant, cunctorum animos confirmans, & ad subeundum certamen præparans, & quotidie in Ecclesia recitans verba illa ab electionis vase prolata: Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, quamvis Angelus ex Cælo fuerit, anathema sit. Quæ cum universi animo perpenderent, paucis exceptis, exemplum ejus secuti sunt.*

Anastasius repugnat Imperatori.

Galat. 1. 8. 9.

4. Justinianus autem cum litteras Anastasii perlegisset, intellexissetque, violentia sibi agendum fore, si vellet turres ejusmodi expugnare; ne evanesceret, quod scripserat edictum, exilium omnibus Episcopis contradicentibus comminatur. Cum itaque & ipse Anastasius esset eadem ex causa subiturus exilium, ante profectionem suos armandos putavit ad prælium, data ad eos epistola, de qua hæc subdit Evagrius: *Scripta est etiam ab eodem Anastasio oratio ad Antiochenos, qua illis vale dicebat, cum accepisset Justinianum velle ipsum in exilium mittere. Quam quidem orationem merito quis admiretur, tum ob verborum elegantiam, tum ob copiam sententiarum, tum denique ob frequentia Sacræ Scripturæ testimonia, & ob historiam suis locis apte accomodatam.* Egregium tamen opus hactenus latere dolemus. Eutychius interea CP. Episcopus, ejusdem perfidiæ resistens, primus omnium ejus impetum tulit, atque in exilium ea de causa ejectus est, ut

Justinian. persecutionem instituit.

ut in ejus vita narrat Eusthasius. *Nescio quo auctore, & magistro cæpit Justinianus execrabilem ac detestandam, & perniciosam opinionem illam sub specie religionis probare, quæ Domini nostri Jesu Christi Corpus ex ipsa divinitatis conjunctione incorruptum asserebat: quæ quidem ut cancer serpens atque depascens, totum prope Orbem perdidisset, nisi noster Phinees antevertens restitisset. Sed quod huic morbo remedium adhibitum est? sanctorum Apostolorum, Prophetarum, atque Doctorum testimonia, & demonstrationes sunt multæ, quibus usus est ille ad pestiferum illum morbum opprimendum.* Hæc, & alia plura de disputatione, qua Eutychius redarguit Imperatorem; abduxissetque eum fortasse ab errore, in quem se se præcipitem dederat; nisi in eo veluti quibusdam vinculis obligatus fuisset quam arctissime, ab illis, qui ei assistebant hæresis ejus defensoribus Episcopis.

Eutychius CP. Episcopus Justiniani errori restitit, & in exilium ejicitur

5. Inter eos Julianus Hallicarnassi Episcopus eminebat, a quorum discipulis Imperatorem seductum fuisse narrat auctor fragmenti synodici his verbis: *Sed ob insidias Diaboli . . . post aliquantum temporis, ii qui Hallicarnasci hæresim tuebantur, Imperatori seducto persuadent, e Cælo, & omnino corruptionis expers esse corpus Domini nostri Jesu Christi.* Itaque sequitur vitæ auctor, *cum magnus hic vir* (Eutychius) *longa oratione Imperatori non esse id catholicæ ecclesiæ dogma comprobasset, animam suam* (*ut ait Ezechiel propheta*), *quæ ad propositum pertinerent explicans, servavit.* Imperator itaque: *Assumpta charta, in qua detestanda illa opinio, quod Domini corpus ex divinæ naturæ copulatione incorruptibile fuerit, continebatur, eam divino magnoque pugili Eutychio perlegisset, flagitabat, ut sententia & suffragio suo illam comprobaret. At ille, ut æquum erat, primum cohortationibus utens, negabat eam esse doctrinam Apostolorum: quamobrem se illi nec animo posse, nec verbis assentiri.* Ob quam rem malorum inventores, qui omnia facile audent, in unum congregati, Imperatori persuaserunt, ut virum omnibus ornatum virtutibus a sede exturbaret, in eaque alium constitueret, qui studiis, & opinionibus suis consentiret. Quod quidem & factum est. Nam cum Festus dies S. Timothei apud Hormisdæ regionem in novo Palatio celebraretur (Erat ibi Ecclesia S. Petri ab ipso Justiniano in suis ædibus structa, ut Procopius docet) & Sanctus Eutychius

Tom. 6. concil. pag. 511,

Ezech. 3.

Procop. l. 1. ædific. Justin. Imp.

JESU CHR. AN. 565. tychius rem divinam faceret: Tribunus militum, & satellites immanis feræ ministri Episcopatum invaserunt, comprehensis & distractis viris sancti familiaribus, qui contra illum testificarentur, ut quoquo modo illum non sine causa, ex Episcopatu ejectum fuisse ostenderent. At vir magnus cum eorum invasionem in Episcopatum; & quosdam e suorum numero illinc violenter abstractos, & in carcerem conjectos fuisse cognovisset, peracto sacrificio, distributaque sancta Communione, in sacrario mansit usque ad vesperam ante Altare; solitis vestibus, & superhumerali indutus, quod semper secum habebat, Deum obsecrans, ut Ecclesiam suam tranquillam, & recta dogmata conservaret. Cum autem fecisset obsecrandi finem: Sacerdotes, & Monachi, qui aderant hortati sunt eum, ut cibum caperet, quod & fecit. Cumque paululum quievisset, affuit cum gladiis & fustibus, multoque cum præsidio militari magna illa fera, qui Etherius appellabatur: atque sanctum virum nudum, & nihil habentem, in monasterium, quod Choracudim appellant, asportavit. Quo in loco cum uno die commoratus esset, & propter monasterii paupertatem male tractaretur; misericordia commoti (nam viri sancti virtutem adversarii quoque mirabantur) eum in Osiæ, idest, Sanctæ sic appellato Monasterio prope Chalcedonem collocarunt. Nec amplius quærentes, utrum jure, an injuria e sede fuisset ejectus, coacto post diem octavum conventu Episcoporum & Principum, virum sanctum, quem indicta causa ejecerant, in jus ut se defenderet, vocarunt, eo quod libellus adversus eum Conventui esset oblatus. Quid autem libellus contineret, non sine risu potest audiri: *Quod unctus esset*; *Quod aviculas comedisset*; *quod multas horas genibus flexis orasset*: & alia his similia, atque ut ab his criminibus se purgaret, eum accersiverunt. Sic igitur revocantur impie in Eutychium, quæ olim fuerant contra S. Joannem Chrisostomum, urgente Eudoxia, objecta crimina.

Quid contra Eutychium egerit Conciliabulum CP. *Concil. to. 6. pag. 511.*

6. Ubi autem de exilio Eutychii lata sententia est, continuo de successore eligendo actum est, delectusque fuit Joannes cognomento Scholasticus Apocrisarius Ecclesiæ Antiochenæ, homo plane servus gloriæ, & nundinator rerum sacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus est dignitatem. Nequid tamen absque umbra saltem judicialis formæ

formæ factum contra Canones videretur: ubi Joannes creatus est, jubetur citari Eutychius a Conciliabulo collecto Constantinopoli. At quid Eutychius egerit, Eustachius his verbis narrat: *Sed vir sanctus Episcopis, & principibus, qui confessus mandato nuncium attulerant: Ad quem* (inquit) *acceditis? ad quem me vocatis? Illi veritate coacti responderunt? Ad Dominum nostrum & Patrem. Quibus ipse rursus: Quis est* (inquit) *iste dominus, & pater vester? Venimus* (*inquiunt, tamquam occultis quibusdam verberibus vapularent*) *ad Patriarcham nostrum Dominum Eutychium. Patriarcha ego* (*inquit ille*) *Patriarcha Dei gratia sum, nec a me quisquam hominum tollet hanc dignitatem. Quis est ille, quem meo in loco collocastis? Quibus verbis cum illi respondere non possent, victi reverterunt ad eos, a quibus missi fuerant. Verum idem Conventus iterum & tertio contra Canones eum vocavit. Sed ille semper congruenter respondit: Si canonicum* (*inquiens*) *judicium constitutum est; detur mihi clarus meus, & ordo Patriarchatus, & veniam, defendamque me & accusatorum meorum utar testimonio. Hæc illi responsa cum accepissent, nihil consentaneum facientes, sententiam contra ipsum tulerunt ipsis Judicibus dignam.* Atque Eutychium in Insulam, quæ Principo dicitur, transtulerunt. Sed cum in illa insula tres hebdomadas sub militum custodia transegisset, rursus ab iisdem Judicibus decretum est, ut Amaseorum Metropolim peteret, maneretque in monasterio, quod ipse constituerat. Eutychii CPolitani Episcopi exemplum alii Patriarchæ, & Episcopi Orientales imitati sunt, qui una sententia Imperatoris opinioni subscribere recusarunt; ac imprimis Anastasius Antiochenus, qui eadem cum Eutychio, ne dicam graviora pertulit.

Eutychius Amaseam transfertur.

7. Atque Eutychium in exilio positum miracula edidisse Eusthasius peregrinationis, & exilii socius, commemorat; quæ sane ad sanctitatem demonstrandam, ac ad fidem catholicam confirmandam edita fuisse videntur. Ubi enim in Israeliticum populum Pharao insurrexit, per Moysen Deus miracula edidit; sic cum Justinianus Imperator Regia abutens potestate, in stabilienda hæresi totis nervis intenderet, ad indicandam, firmandamque catholicam veritatem, hæc voluit per Eutychium catholicæ fidei confessorem edi miracula; ut si ex ipsis Pharao non proficeret, neque Ægyptii emen-

Miracula fidei confirmandæ causa

Jesu Chr. an. 565. emendarentur, remanerent tamen in ecclesia de veritate catholicæ fidei perpetua monumenta. Inter plurima, quæ ibidem recenset Eusthasius de pictore a demone percusso, a sancto autem sanato, hæc narrat: *Juvenis quidam pingendi peritus eam in domo Chrysaphii piæ memoriæ in ipsa civitate Amasenorum exercebat. Hic aliquando veterem in pariete Veneris picturam delebat, ut historias pias reponeret. Volebat enim vir ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium sanctæ immaculatæque Dominæ nostræ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ. Cum igitur Pictor fœdam impudicæ Veneris historiam evertisset; dæmon qui illi inhærebat, artificis manum sic invasit, ut inflammata tumesceret, & gravi vulnere affecta, necessario amputanda videretur. Quare cum periculum aspiceret, utile capit consilium, & ad virum sanctum confugit, ut per ipsum a Deo auxilium impetret. At ille cum pro ipso Deum orasset, unxit oleo sancto dexteram ipsius manum, quæ inflammatione & ulcere laborabat: idque fecit tribus diebus, & manus ejus divino auxilio convaluit, atque alteri similis reddita est. Et quo in loco pictor vulnus acceperat, in eo memoriæ, & grati animi declarandi causa sancti viri depinxit imaginem; ut manus quæ curationis beneficium acceperat, medicum suum secundum Deum testaretur*; & post alia signa ab eodem edita, narrare prosequitur, quomodo Sanctus vir complures christianos Amaseam confugientes, devastante Chosroe eas provincias, ab urgente fame liberaverit.

De pictore miraculum.

Nicetius ad Justinianum scribit, ut ab errore revocaret.

8. Cum fama in Gallias perlatum est Justinianum Imp. hæresim fovere, Nicetius Trevirensis Episcopus litteras ad eum dedit, quibus eum ab ea revocare conatus est; inter cetera hæc præfatur: *Dulcis noster Justiniane, quis te sic decepit, quis ut talia prosequereris, suasit? Quis ut Christum purum hominem fatereris persuasit?*) Cum veris falsa, ut fieri solet fama vulgavit, quasi Justinianus ad Nestorianos defecerit): *Quis ut qui cor miserum non habebas ante, repente oppressit? Quis ut Patres, quos venerari debuistis, ad cædes, ad diversas cruces, mitteres, provocavit? quis ut illa, propter quæ Christus crucifixus est, & Apostoli omnes pertulerunt, destrueres, provocavit? Quis ut quod jam semel, bis, & tertio ab omnibus rectoribus Ecclesiæ condemnatum fuerat, vel adorares, commonuit; Nestorii, & Eutychis, ut diximus, jam*

jam anathematizata quotiens, atque quotiens secta, ut te ipse interimeres, quis imperavit? & iterum: *Dulcis & dulcis noster Justiniane rememorare, quæ promisisti cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti. Unum Filium manentem in duabus substantiis, cum Patre & Spiritu Sancto, non duos Christos testatus es. Cur excessisti, quid fecisti? quid tibi præparasti? Discute, & bene te prospice, &c.*; atque has litteras per Lactantium Presbyterum, qui ad loca sancta migravit, se misisse adnotat, atque multa commonendo, exhortando, & minitando addit; ac tandem, ut ecclesiæ excommunicationem timeret, his verbis admonet: *Nam notum tibi sit, quod tota Italia, integra Africa, Hispania, vel Gallia cuncta nomen tuum, cum de perditione tua plorant, anathematizant: etsi non quæ docuisti destruxeris, & publica voce clamaveris erravi, erravi, anathema Nestorio, anathema Eutycheti, cum ipsis te ad supplicia sempiterna tradidisti.* Hæc, aliaque Apostolica libertate ad Imperatorem Nicetius Trevirensis Episcopus. Quas tamen epistolas ad Justinianum pervenisse vix credimus, cum eodem anno vivere desierit: *Verum oratio illa haudquaquam publicata, eo quod Deus nobis prospiciens, res nostras in melius commutavit. Etenim Justinianus, dum adversus Anastasium, & Sacerdotes, qui cum illo erant, deportationis sententiam dictaret, invisibili plaga ictus, ex hac luce migravit, cum imperasset in universum annos octo ac triginta, & menses octo.* Ex quibus patet eum morte præventum, hæresis edictum non publicasse.

JESU CHR. AN. 565.

De anno quo obiit Justinianus.

9. Ceterum de anno Justiniani ultimo non una est eruditorum sententia, Marius Aventicensis, Joannes Abbas Blicariensis, auctor chronici Alexandrini, S. Isidorus de scriptoribus ecclesiasticis cap. 31., Victor Tunonensis insignis Chronologus, qui hoc anno in Regia urbe erat, Justiniani mortem indictione XV., ideoque sequenti anno collocant. *Quadragesimo Imperii sui anno Justinianus vitæ suscepit finem indictione XV.*; hinc Labbeus in chronico, Cointius, aliique recentiores in sequentem annum Justiniani obitum differunt. Quis enim coævis sive supparibus auctoribus, quales fuere Victor, & Blicariensis, fidem denegabit? Nihilominus Justini junioris, qui Justiniano successit, & sequentium Imperatorum chronologia, nos cogit ab ea sententia recedere, ac Justiniani obitum anno labenti alligare una cum doctissimis ac præstantissi-

Coint. annal. Franc. an. 565. Aleman in notis ad Procop. hist. arcan. Valesius notis in Evagr.

Jesu Chr. an. 565. tissimis chronologis, qui præfatos auctores in errorem lapsos fuisse contendunt, inter eos purpura eminet doctissimus Norisius, qui inter cetera monumenta, quibus suam confirmat sententiam, antiquissimam inscriptionem in Vaticano repertam refert, quam idem anno 1671. Romæ in Suburbio D. Petri, in cella ad lævam majoris aræ ecclesiæ S. Angeli parieti affixam legerat, in hunc modum: Dep. Est Boetius cl. P. oct. Kal. Nobr. indict. VI. imp. Dom. 2. Justino PP. Aug. ann. XII. Tiberio Const. Cæs. ann. III. Dep. est in pac. argentea mat. 55. XIII. Kal. Dec. qui 55. Boetius vixit ann. XI. m. IX. d. XXIII. & mat. ejus vixit ann. XXXVI. m. II. d. XII. Quare si die 25. Octobris indictionis undecimæ, nempe anno 577. labebatur annus XII. Justini Junioris, primus ejusdem Imperatoris annus incepit die 14. Novembris anno 565. Est aureum in marmore testimonium. Sed ex rescriptis Justini hoc ipsum evincitur. Extat sanctio ad Julianum P. Urbi de dissolvendo ex mutuo consensu matrimonio *Data XVIII. Kal. Octobr. Chalcedone Imp. Domino Nostro Justino PP. Augusto. Anno primo indictione quintadecima*. Non ergo eodem anno regnare potuit Justinianus, & Justinus; his addi potest auctoritas Evagrii, Cedreni, Zonaræ, aliorumque, qui currenti anno sui Imperii 39. ineunte, vel indict. XIV. Justinianum obiisse testantur.

Roma subterr. lib. 2. cap. 10.

De Justiniani moribus.

10. Qui mores Justiniano fuerint, annales satis exhibent, quos graphice his verbis Zonaras describit: *Fuit hic Imperator aditu facillimus, ad pœnam irrogandam æque promptus, atque ad crimina audienda, pecuniam & temere profudit, & per fas & nefas comparavit, aliam in ædificia, aliam ad exequenda consilia sua, aliam in rem bellicam, & contentiones eorum, qui voluntati ipsius adversabantur insumendo, ita factum est, ut cum pecunia semper egeret, eam rationibus parum honestis compararet, ac gratiam haberet iis, qui colligendi argenti vias ostenderent &c.* Immensam quidem auri summam ædificandis templis insumpsit, quibus non Regiam tantum urbem ornavit, sed & totum orbem, ut videre est apud Procopium in libro de ædificiis Justiniani; sed male parta ut plurimum male consumpsit, Evagrio teste: *Erat porro tam largus in pecunia eroganda, ut multa sancta & magnifica Templa in multis locis extrueret, aliaque sacra ædificia, quibus tum viri, tum mulieres & ætate tenera & exacta, tum qui*

Evag. lib. 4. cap.

Aliena pecunia erectæ Ecclesiæ a Justiniano.

qui variis morbis vexabantur sedulo curarentur, ædificaret: magnamque seorsum colligeret a suis pecuniarum vim, unde ista perficerentur, alia denique infinita exequerentur opera: quæ sane pia, Deoque accepta essent, si modo vel ille, vel alii, qui talia moliuntur, de suis ipsorum bonis efficienda curarent, suæque vitæ actiones vacuas a sceleris labe, tanquam hostiam Deo offerrent. Hæc ipse, qui paulo superius de ejusdem Imperatoris in pecunia a subditis corradenda cupiditate hæc addit: *In Justiniano vero tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis atque adeo absurda rerum alienarum appetitio; ut omnia subjectorum bona his qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures vero, immo innumerabiles, qui bona multa possidebant, causa falsa commentitiaque conficta, omnibus fortunis mulctavit. Quod si quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicujus bona adjiciens, consuetudinem se ullam cum eo, vel conjunctionem habuisse simularet: statim omnia jura ac leges, modo Justinianum turpis lucri socium constitueret, ejus causa eversa jacuerunt; facultatesque omnes illius, qui falso in crimen adductus erat, fuerunt in ejus domum translatæ*. Hæc Evagrius.

JESU CHR. AN. 565.

11. His similia, ne fœdiora dicam, ab ipso Procopio de Justiniano narrantur: laudaverat quidem in suis de bello Gothico, Vandalico, Persico, libris Justinianum, atque ad Cœlum usque, ob insignem pietatem, eumdem evexerat, in libris de Justiniani ædificiis; sed palinodiam recantans, ipsum, conjugemque ejus Theodoram, tam nigro lapillo notavit, eisque crimina eousque infanda adscripsit, ut laudator nimius æque, ac vituperator habeatur, quamplurima enim in historia arcana occurrunt, tam fœda, ut vix fidem inveniant. Quidquid sit de Justiniani moribus, id certum est, in ultima ætate in hæresim incorrupticolarum lapsum fuisse, ut omnes historici testantur. Qua de causa Evagrius æternis suppliciis addictum fuisse ait: *Hunc igitur in modum Justinianus eum cuncta tumultu, ac perturbationibus implevisset, & pro his factis congruam mercedem sub exitum vitæ retulisset, ad parata apud inferos supplicia migravit*. In his tamen certi quidquam definire non audemus, fieri enim potest eum ante mortem factorum suorum pœnituisse, uti refert

Justiniani memoria in ecclesia commendata.

Jesu Chr. An. 565.

fert Nicephorus, præcipue cum ejus memoria a Sanctissimis viris commendata fuerit, a sexta scilicet synodo, a S. Gregorio M., qui eumdem piæ memoriæ appellat; sed præ omnibus Justiniani pietatem laudibus celebravit Agatho Papa in epistola ad Heraclium, & Tiberium Imperatores, quibus de Justiniano hæc habet: *Et præ omnibus æmulator veræ, & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Justinianus Augustus, cujus fidei rectitudo quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum Rempublicam Christianam exaltavit. Et utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur, cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur, quorum unum, quod ad Zoilum Alexandrinum Præsulem adversus Acephalorum hæresim missum est pro Catholicæ fidei rectitudine, satisfacere sufficiens, cum hac nostræ humilitatis suggestione vestræ tranquillissimæ Christianitati dirigentes per præsentium latores offerimus &c.*. Et in alia rursus epistola ad eosdem Augustos, Roma ex Synodo centum vigintiquinque Episcoporum missa, ubi Theodosii magni, atque Marciani fidei Catholicæ præstantiam prædicavit, hæc de Justiniano mox infert, eum iis etiam præferens: *Sicut extremi quidem, præstantissimi tamen omnium magni illius Justiniani, cujus ut virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restauravit: cujus instar fortissimæ vestræ clementiæ principatus, virtutis quidem conatibus Rempublicam Christianam tuetur, & restaurat in melius, pietatisque studiis Catholicæ succurrit Ecclesiæ.*

Qua ratione Justinianus excusari possit.

12. Hactenus Agathonis Romani Pontificis de Justiniano præconia. Cum enim ut supra dictum est, morte præventus impietatis edictum non promulgaverit Justinianus, editisque legibus catholicæ fidei non semel patrocinatus fuerit; ex ejusdem scriptis laudari ab Agathone Papa meruit; cum præsertim Græcorum menæis die 2. Augusti ejus memoria recolatur, quod etiam Nicephorus confirmat, dum testatur CP. in templo Sophiæ, ac Ephesi in Ecclesia S. Joannis Apostoli, inter missarum celebritates ejus memoriam celebratam fuisse, & Odilbertus Mediolanensis Archiepiscopus epistola ad Carolum M. non dubitaverit Justinianum Constantino, Theodosio M., Marciano æquare. *Qui divino zelo commoti, ut Christianum populum ab omni erroris macula liberarent, divinitus inspirati, quæ meritis, & scen-*

& scientia præcellentes, David Sanctum immitantes &c. : *Qui etiam in magnifico monumento ab ipso lapide Sardio in Apostolorum Templo constructo, ad dexteram in ædem ingredienti partem sepultus est*, ait Nicephorus.

JESU CHR. AN. 565.

13. Justiniano Imp. successit Justinus. Duo porro Justini erant, ad quos Imperii hæreditas pertinere videbatur, ambo Justiniano nepotes, ex Nepote Germano unus, ex Vigilantia sorore alter, *cumque ambo seculari fastu, ac potentia inter se pares essent, & ad utrumque ex æquo Imperium propendere videretur, post multas disceptationes, id inter ipsos convenerat, ut is qui ad Imperium pervenisset, alteri proximum locum concederet*, ut testatur Evagrius; sed cum Justinus Germani filius tunc CPoli abesset, alter Justinus sive ex testamento Justiniani, sive ex Senatus electione Imperium occupavit. Erat hic, ut diximus, Vigilantiæ filius ac Dulcissimi, cui Justinianus Palatii curam delegaverat, quem Græci Curopalatem dicunt; conjux vero ejus Sophia. Ipsum Imperio destinatum fuisse Eutychius divinitus agnovit, teste Eusthasio in ejus vita: *Tribus circiter annis ante Imperium Justini futura prospicienti, & magno Pontifici patefactum fuit, ipsum imperaturum: qui nulla interposita mora, ut eum in Dei timore confirmaret, tutiusque vitam ejus ad pietatem incenderet, cum in Jucundianis quodam die senatus haberetur, in remotum quemdam locum Dei servus Justinum seduxit, quo quidem in loco fenestra erat (hoc enim signum, ut lapidum cumulus olim inter Jacob, & Laban testimonium fuit). Et audi, inquit, amplissime vir: Quamvis ego humilis sim servus & sacerdos Dei; significavit mihi Deus te post avunculum tuum fore Imperatorem. Quare vide, ne huc illuc occupationibus distrabaris: sed attende tibi, & operam da, ut dignus evadas, qui Dei perficias voluntatem. His auditis, Justinus gratias egit Deo, & viro magno respondit in hunc modum: Deus me dignum faciat, ut voluntati ejus obtemperem, meque gubernet, & regat arbitrio suo.*

Justinus senior Justiniano succedit.

Eutychii vita apud Bolland. die 6. April.

Quæ prædicta de futuro Imperatore.

14. Sed jam Justiniani funus prosequimur, cujus cadaver Sophia Justini uxor pretiosa contexuit veste, quæ Imperatoris gesta opere phrigio exhibebat, de quibus Corippus carmine in laudem Justini hæc cecinit.

Pompa funebris in funere Justiniani. *Corippus carm. p. 407. edit. Roman. an. 1777.*

Jesu Chr. an. 565.

Exequiis adjacet solito plus dona paternis,
Ireque contractas denso jubet agmine turbas,
Et tulit intextam pretioso murice vestem
Justinianorum series ubi tota laborum
Nexo puro insignita fuit, gemmisque corusca &c.

Antequam vero Justiniani cadaver efferretur, Imperii insignia Justinus accepit; quæ quidem nec recipere voluit, nisi consulto oratoque numine, & religionis officiis persolutis, ut idem auctor narrat his verbis.

Ipse autem procerum magnis oratibus actus
Non primum Imperii regalia signa recepit,
Ni sacrata prius supplex oracula poscens,
Effusis precibus Christo sua vota dicaret.
Ilicet Angelici pergens in limina Templi,
Imposuit pia thura focis, cerasque micantes
Obtulit, & supplex lacrymis ita cœpit obortis:
Omnipotens Princeps, &c.

Justinus a Joanne Episcopo coronatur

15. Expletis vero quæ solerent a proceribus exhiberi solemniis, a Patriarcha Joanne idem Justinus benedictionem accepit atque coronam: quod his aliis versibus idem poeta describit.

Postquam cuncta videt ritu peracta priorum,
Pontificum summus, plenaque ætate venustus
Astantem benedixit eum, cælique parentem
Exorans Dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput, summoque coronam
Imponens apici, &c.

Acclamationibus exceptis, ad populum orationem Justinus habuit, ante cujus exordium, frontem suam Crucis signo se Justinus signavit, nam subdit.

Signo Crucis se munit Justinus Imp.

Ipse coronatus solium conscendit avitum,
Atque Crucis faciens signum venerabile, sedit:
Erectaque manu, cuncto præsente Senatu,

Ore

Ore pio hæc orans ait: ſuper omnia regnans
Regna Deus, &c.

At non manu tantum ſignaſſe Crucis ſignum, ſed & ligno ſacratiſſimæ Dominicæ Crucis frontem exornaſſe, idem inferius docet, addens.

Egreditur cum luce ſua, frontemque ſerenam
Armavit ſancti faciens ſignacula ligni.

Poſt hæc autem, cum ad populum peroraſſet, atque ejus querelas lugubribus editas vocibus percepiſſet, quibus dolebat injuſte exactionibus vexatum fuiſſe a prædeceſſore; Juſtinus ſua unicuique reddenda præcepit, & æs alienum Juſtiniani diſſolvi juſſit. Hæc quidem profecto redarguunt Juſtiniani prædeceſſoris avaritiam, ac recitata ſuperius ex Evagrio ex pravo ea ſcribentis animo nequaquam prodiiſſe probant. Præter hæc etiam de cavendis delictis Juſtinum populum admonuiſſe, tradit auctor. Sed nec prætermiſit, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinebant; unde Evagrius, poſt plurima præcedentibus conſentientia, hæc addit: *At primum dat mandatum, ut omnes Epiſcopi, & Sacerdotes, qui ex omnibus locis in unum Conſtantinopoli convocati erant, ad ſuas ipſorum dimitterentur ſedes, uti conſuetos cultus Deo ſancte religioſeque adhiberent, monens ne quiſquam quod ad fidem pertineret novare moliretur. Atque iſtud quidem ejus factum in laude ponendum.* Hæc Evagrius.

16. Nunc quæ ad Juſtiniani Imp. funus ſpectant, quod poſtea curatum eſt, pauca quædam hic ex eodem Corippo cuncta exacte proſequente deſcribimus, utpote quæ ad Chriſtianum cultum pertinere noſcuntur, atque primum de multiplicibus luminaribus celebri pompa delatis, ait: Luminariis exornant funera.

. . . . Vaſa aurea mille,
Mille columnarum ſpecies, argentea mille,
Quæ ſuperimpoſitis implebant atria ceris,
Ordine cuncta ſuo, patrum ſic more parata.

Vaſa illa fuiſſe intelligas multiplicia inſtrumenta pretioſiorum diverſi generis candelabrorum ad portandos cereos fabrefactorum

Jesu Chr. An. 565. rum, quorum superius diversis in locis mentio facta est. Subdit vero de his quæ ferebantur condiendi causa cadaveris:

Unguentis conditur corpus Imperat.

Thura Sabæa cremant: flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo:
Centum aliæ species unguentaque mira feruntur
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Et inferius de præcedente populo, & psalmodia qua religiosam prosequebantur funeris pompam:

. . . . tota populus processit ab aula:
Mæstaque funereas accendunt agmina ceras.
Omnis in exequias sexus convenit, & ætas.
Quis memorare potest tantæ miracula pompæ?
Hinc Levitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.

At hæc satis ad insinuandam veterem Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem in celebritate funerum Fidelium defunctorum, per singula tempora usque in præsens religiosissime propagatam.

Pestis inguinaria Italiam vastat. *Paul. Diac. lib. 2. c. 4.*

17. Hic autem annus Italiæ lugubris fuit, non tam Imperatoris morte, quam inguinaria lue, quæ mortalium innumeros vita privavit: *Iisdem temporibus*, (ait Paulus Diaconus) *in Liguria provincia maxima pestilentia exorta est: Subito enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vestimenta; quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant. Post annum vero expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum, & aliis delicatioribus locis glandulæ in modum nucis, seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis æstus, itaut triduo homo extingueretur. Sin vero aliquis triduum transegisset, habebat spem vivendi. Erat ubique luctus, ubique lacrimæ. Nam (ut vulgi rumor habebat) fugientes cladem, aut vitantes relinquebant domos desertas habitatoribus, solis catulis eas servantibus, pecuaria sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore. Cerneres villas; & castra agminibus hominum repleta, postero die, universis fugientibus, in summa vastitate & silentio. Fugiebant filii, inse-*

insepulta parentum relinquentes cadavera. Si quem forte antiqua pietas perstringebat, ut vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus: & dum obsequebatur, perimebatur: dum offerre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadaver remanebat; ac tandem post plurima: *Et hæc quidem mala intra Italiam tantum usque ad fines Alemannorum, & Bajoariorum solis Romanis accidere. Inter hæc Justiniano Principe e vita decedente &c.* Jesu Chr. an. 565.

18. Ejusdem pestilentiæ meminit S. Gregorius Papa, miraque narrat verbis istis: *Ammonius mihi jam in monasterio positus narravit, quod in ea mortalitate, quæ Patricii Narsetis temporibus hanc urbem vehementer afflixit, in domo prædicti Valeriani puer armentarius fuit præcipue simplicitatis & humilitatis. Cum vero ejusdem advocati domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est, & usque ad mortem deductus. Qui subito sublatus a præsentibus, rediit, sibique dominum suum vocari fecit. Cui ait: Ego in cælo fui, & qui de hac domo mortui sunt, agnovi. Ille, ille, & ille mortui sunt. Tu vero ne timeas, quia in hoc tempore moriturus non es. Ut vero scias, quia me in Cælum fuisse, verum fateor: ecce accepi illic ut linguis hominum loquar: Numquid tibi incognitum fuit Græcam me linguam omnino non nosse? & tamen Græce loquar, ut cognoscas an verum sit, quod me linguas hominum accepisse testificor. Cui tum Græce Dominus suus locutus est, atque ille in eadem lingua respondit; ut cuncti qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Valeriani Narses spatharius Bulgar manebat; qui festine ad ægrum deductus, ei Bulgarica lingua locutus est: sed ita puer in Italia natus & nutritus, in eadem barbara locutione respondit, ac si fuisset ex eadem gente generatus. Mirati sunt omnes qui audiebant; atque ex duarum linguarum experimento, quas eum ante nescisse noverant, crediderunt de omnibus quæ probare minime valebat. Tunc per biduum mors ei dilata est; sed die tertio (quo occulto Dei judicio nescitur) manus & brachia, lacertosque suos dentibus laniavit, & ita de corpore exivit.* Hactenus de his Gregorius Papa. Prodigium de puero peste percusso.

19. Labentem annum conversio ad fidem catholicam gentis Pictonum in Britannia illustrem reddidit, quos Columba monachus ex Hibernia in Britanniam transiens, in fide Conversio Pictonum ad fidem catholicam.

JESU CHR. AN. 565. de erudivit. Hunc Columbanum ex vulgatis Bedæ Codicibus Baronius vocat; at eum Columbam meliores Codices appellant, quod nomen retinendum est, ut ab altero Columbano, qui etiam ex Hibernia in Brittaniam, indeque in Galliam, demum in Italiam profectus, Bobiense monasterium ædificavit, distinguatur, de quo plura inferius sæculo proximo. De Columbæ in Britanniam adventu Beda hæc narrat: *Anno Incarnationis Dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto (quo tempore gubernaculum Romani Imperii post Justinianum Justinus Junior accepit) venit de Hibernia presbyter, & Abbas habitu, & vita monachi insignis nomine Columba, in Britanniam prædicaturus verbum Dei provinciis Septentrionalium Pictonum, hoc est, eis qui arduis, atque horrentibus montium jugis ab Australibus eorum sunt regionibus sequestrati. Namque ipsi Australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore (ut perhibent) relicto errore idololatriæ fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nyma Episcopo reverendissimo, & sanctissimo viro de natione Brittonum, qui erat Romæ regulariter fidem, & mysteria veritatis edoctus: cujus sedem Episcopatus S. Martini Episcopi nomine, & Ecclesia insignem (ubi ipse etiam corpore cum pluribus Sanctis requiescit) jam nunc Anglorum gens obtinet: qui locus ad Provinciam Berniciorum pertinens vulgo vocatur ad candidam casam, eo quod ibi Ecclesiam de lapide, insolito Brittonibus more, fecerit. Venit autem in Britanniam Columba, regnante Pictis Bridio filio Meilochon Rege potentissimo, nono anno regni ejus; gentemque illam verbo, & exemplo ad fidem Christi convertit: unde & præfatam insulam ab eis in possessionem monasterii faciendi accepit; neque enim magna est, sed quasi familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum, quam Successores ejus usque hodie tenent, ubi ipse sepultus est, post annos circiter triginta duos, ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit.* Columbæ vitam exhibent Mabillonius, & Bollandistæ ad diem 9. Junii, quo die ejus memoria Martyrologio Rom. recolitur, eaque scimus eum ex nobilibus parentibus ortum, cum duodecim commilitonibus discipulis in Britanniam transfretasse, cum antea in Hibernia monasterium ædificasset: *Quod a copia arborum Darnach lingua Scotorum, hoc est campus roborum cognominatur. Ex quo utroque monasterio*, sequitur Beda,

Beda hist. l. 3. cap. 4.

S. Columba Abbas Pictonum Apostolus.

Mabill. sæcul. Bened. tom. 1.

Beda, *plurima exinde monasteria per discipulos ejus, & in Britannia, & in Hibernia propagata sunt, in quibus omnibus idem monasterium insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem presbyterum, cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Episcopus, sed presbyter extitit & monachus: de cujus vita, & verbis nonnulla a discipulis ejus feruntur scripta haberi*. Mortuus est S. Columba anno 597., vel 599.. Hoc etenim incertum est, ac aliquatenus ab ejusdem vitæ auctore dissidet Beda, sicuti etiam de anno adventus ejus in Britanniam, ut apud Bollandum, aut Usserium videre est; non enim diu in his immorari instituti nostri ratio patitur. Hoc unum cum Beda adnotare juvabit, Columbæ successores in festivitate Paschali celebranda dubios cyclos sequentes, utpote longe ultra Orbem positos, cum nemo Synodalia Paschatis observantiæ decreta porrexerit, varios & incertos fuisse, usque ad annum Dominicæ Incarnationis septingentesimum decimumsextum, per annos centumquinquaginta, cum ad eos Sacerdos Egbertus de natione Anglorum, qui in Hibernia diu exulaverat, advenit, a quo correcti sunt, & ad verum canonicumque Paschæ diem celebrandum edocti. Hactenus de Columbæ successoribus Beda, quorum de Paschate error in eo versabatur, ut non ea Dominica, qua decebat, una cum universali ecclesia celebrarent, utpote qui dubiis utebantur circulis, non vero ut Baronius tradit, quod luna XIV. Paschatis festum semper celebrarent.

Pictonum Christianorum error de die Paschatis celebrando.

20. Ad annum usque labentem 565. Victor Tunonensis chronicon suum perduxit, quod his verbis claudit, narrata Justini Junioris ad Imperium evectione: *Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine, usque ad Nativitatem D. N. J. Christi secundum carnem, quæ facta est 63. Augusti Octaviani Cæsaris Imperii anno, usque in annum Justini primum Principis Romani, qui Justiniani Imperio successit, anni 527.*. In monasterio CPoli morabatur Victor, a sua ecclesia Tunonensi ab Africa exul ob trium capitulorum defensionem. Hoc quoque anno CP. advenere Avarorum legati, ut solemnia munera, quæ a Justiniano acceperant, a Justino quoque exigerent. Describitur hæc legatio a Menan-

Victor Tunonensis chronicum suum absolvit.

Legatio Avarum ad Justinum.

JESU CHR. AN. 566. Tom. 1. hist. Bizant.

dro protectore, qui Agathiæ historiam prosecutus est, teste Photio, cujus tantum excerpta supersunt: *Tunc Abari voluntatis Imperatoris periculum facere statuerunt, siquidem ampliora munera caperent, quibus per Romanorum pusillanimitatem sua sibi compararent commoda*. Modo itaque precibus agebant, modo minas ingerebant. Sed Imperator tantum sui terrorem Legatis incussit, ut intellexerint, illum eorum superbiam minime toleraturum, neque quidquam eorum, quæ prius accipere consueverant, indulturum, aut impune posthac incursiones in Romanæ ditionis regiones facturos, ut fuse narrat Menander. Valesius in Notis ad ejus Excerpta observat, hanc Avarum Legationem introductam esse die VII. post inaugurationem Justini, teste Corippo in lib. 3.

Septima lux aderat &c. . . . . . . deinde.
Legatos Avarum jussos intrare Magister
Ante fores sacras divinæ nunciat Aulæ.
Orantes se se vestigia sacra videre
Clementis Domini: quos voce & mente benigna
Imperat acciri . . . . . .

Reliqua Corippi narratio cum Menandri historia prorsus congruit. Auditi itaque Legati sunt ab Imperatore die vigesima prima, aut vigesima secunda Mensis Novembris.

JESU CHRISTI AN. 566. JOANNIS 3. PAPÆ 7.
JUSTINI IMP. 2. COSS. JUSTINI AN. 1.

De Justini consulatu.

1. Quingentesimum sexagesimum sextum annum auspicamur, Justini Imperatoris consulatu illustrem. Ab anno 541. ad labentem, consulatum nemo inierat, hinc subsequentes anni postcoss. Basilii 1. 2. notati sunt, sicuti presentem notavit Marius *postcoss. Basilii anno XXV.*. Ut plebis benevolentiam Justinus captaret, consulatum quasi postliminio revocavit. Ea tamen lege, ut nemo privatorum ea dignitate ornaretur, sed a solis Imperatoribus. De Justini consulatu, festisque ea de causa celebratis, ac muneribus plebi populoque distributis, hæc in Justini laudem cecinit Corippus.

Non

Non solum optati jubeo spectacula Circi;
Præmia sed populis, & maxima dona parabo:
Ditabo plebes opibus, nomenque negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta novabo,
Gaudeat ut totus Justini munere mundus.
Dona Kalendarum properant vicina mearum:
Vos vestris adstate locis, properate, parate,
Promissaque die nostras sperate curules.
Expavit gaudens inopino nomine vulgus
Consulis audito: natus fragor, itque tumultus
Per lætos ingens, fremit undique murmur,
Ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.

Advenientibus igitur ipsis Kalendis Januariis Consulatum iniens Imp., donativum more majorum dedit, templumque petiit Deo acturus gratias more Christiano, non gentili, quo Romani olim consueverunt ascendere Capitolium. Sed audi ipsum Corippum:

. . . . . Hunc (Christum scilicet) mente fideli
Regnator Justinus amans, trabeatus ab aula
Egrediens templum primus sublime petivit;
Atque Deo grates solita pietate peregit.
Plurima votorum sacravit dona suorum,
Immensoque pium ditavit munere templum &c.

2. Hunc Justini consulatum ad sequentem annum differunt post Onuphrium eruditi Viri, quod etiam indicare videatur auctor chronici Alex., Marius, & Marcellini continuator. Sed a Baronii sententia, qui labenti potius anno Justini consulatum alligavit, non esse recedendum nos docent inter recentiores chronologi accuratissimi, idque confirmant non solum Corippi Poetæ auctoritate, qui Imperii sui initio Justinum consulatum inisse tradit, sed etiam id demonstrant antiquissimæ inscriptiones, quarum duas tantum exhibebimus; prima in Exquiliis eruta, ac a Fabretto edita pag. 553., & a Philippo a Turre Episcopo Ariensi in dissertatione Apologetica de nummo Anniæ Faustinæ explicata in hunc modum:

Quo anno Justinus consul fuerit.
Onuf. Fast. lib. 3. Pag. not. 1. an. 567. Basnag. an. 566.

Flora quæ vixit ann. V.
Dies. XXVIII. Dep. ſub Die
III. ID: AUG. IND. XV. P. C.
D. N. JUSTINI PP. AUG.
ANN. II.

Porro III. idus Auguſt. indict. XV. character eſt anni ſequentis 567., ſi ergo ſecundus poſtcoſſ. anno ſequenti erat, quiſnam primus, niſi præſens annus; alteram inſcriptionem nobis exhibet Muratorius Capuæ inventam anno 1689. his verbis:

Hic requievit in ſomno pacis
Juſtina Abbatiſſa Fundatrix
Sancti loci hujus, quæ vixit
Plus minus annos LXXXV. Depoſita
Sub die Kal. Novembrium
Imperante DD. NN. Juſtino PP. Aug.
Anno III. PC. ejuſdem indict. III.

Indictio tertia a Septembri anno 559. incepit; ſi itaque anno 569. tertius erat poſtcoſſ. Juſtini, primus poſtcoſſ. fuit annus 567., non ergo eo anno primum conſulatum iniit, ſed labenti 566.. At de Juſtini conſulatu ſatis.

Juſtini Imp. edictum de catholica fide ſervanda.

3. Ad ea potius, quæ novus Imperator geſſit, oratio tranſeat, cui in primis curæ fuit orthodoxam fidem integram ſervare, cumque turbatum Imperium animadvertiſſet, fidemque periclitari, ob novum incorruptibilitatis dogma a Juſtiniano invectum, propoſito edicto ab omnibus catholicam fidem ſervandam eſſe juſſit, atque circa fidem quæſtiones agitari prohibuit: *Primum vero edictum*, ait Evagrius, *promulgavit, quo univerſi qui ubique congregati erant Epiſcopi ad ſuas ſedes dimittebantur, ut conſueto more divino cultui inſervirent, nulla re circa fidem innovata, & hoc quidem ejus factum magnopere laudandum eſt*. Edicti vero ab eo vulgati hæc eſt inſcriptio: *In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri. Imp. Cæſar Flavianus Juſtinus, fidelis in Chriſto, manſuetus, Clemens Maximus &c.*. Deinde quæ circa Trinitatem, ejuſdemque unitatis, catholica fides doceat, exponit, quidve de Unigeniti filii Dei Incarnatione, idque tam

Evag. lib. 5. cap. 1.

tam dilucide, ut non Imperatorem, sed Theologum disertissimum potius loquentem quisque crediderit. Exposita demum fide catholica, edictum suum his verbis claudit: *Omnes vero qui aliter aut senserunt, aut sentiunt, anathematizamus, & a Sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia alienos judicamus. Cum igitur recta dogmata, quae a Sanctis Patribus tradita sunt nobis praedicentur, hortamur vos omnes, ut in unam eamdemque Catholicam & Apostolicam Ecclesiam conveniatis: imo potius rogamus. Neque enim piget, tametsi in regali fastigio constituti simus, hujusmodi verbis uti, pro consensu & adunatione omnium Christianorum, ut una ab omnibus glorificatio tribuatur Deo optimo maximo, & Servatori nostro Jesu Christo, &c.* JESU CHR. AN. 566.

4. His addit Evagrius: *Huic edicto omnes quidem consensum suum accomodarunt, rectam in eo fidem ac doctrinam promulgatam esse dicentes, nullus tamen ex membris Ecclesiae, quae discissa fuerant, ad pristinam rediit unitatem, propterea quod disertis verbis edixerat Imperator, ut firmus atque immotus Ecclesiarum status impofterum servaretur, sicut antea servatus fuerat*. Quinimmo ex male intellecto hoc Justini edicto Joannes Abbas monasterii Blicariensis, qui ab hoc anno, quo Victoris Tunnonensis chronicon desinit, suum exorditur, falso credidit Justinum eo edicto Synodi V. decreta perpetuo damnasse silentio; ait enim: *Justinus anno primo Regni sui ea, quae contra synodum Chalcedonensem fuerant commentata, destruxit*. Haec Blicariensis, qui Synodi V. hostis acerrimus fuit. Non tamen haec mens Justino fuit, sed tantum discordias sopire. Cum enim videret ob tria capitula Africam, atque occidentales provincias dissensionibus laceratas, Edictum illud fidei publicavit, in quo nullius Synodi mentionem faciens, quae credenda cuique essent proposuit; sed Tria Capitula non solum non nominavit, sed inter dogmata adiaphora numerandam esse eam quaestionem innuit in fine Edicti, dum ait, se illa credenda proposuisse, ut deinceps nemo ullo praetextu propter personas, aut syllabas rixetur; Theodori personam, itemque scripta Theodoreti, atque Ibae forte intellexit, nec non quaestionem nuperrime exortam de corpore Christi Corruptibili, vel Incorruptibili. Africani autem, cum mitius secum agere Justinum cernerent, neque in Edicto nominata Tria Capitula legerentur, publi-

Quid edicto suo Justinus profecerit.

JESU CHR. AN. 566. publicarunt revocata fuiſſe per Imperatorem acta Synodalia Quinti Concilii, utpote adverſus Synodum Chalcedonenſem geſta, & vicinos Hiſpanos hac ſiniſtra opinione imbuerunt, ut non ſolum laudata Blicarienſis verba indicant; ſed etiam S. Iſidorus in Chronico. Quapropter in Synodis Hiſpaniæ hoc, & ſequenti ſæculo celebratis, nulla Synodi V. mentio facta eſt, licet Hiſpani ob illam controverſiam ab Apoſtolicæ Sedis communione nunquam ſeſe ſeparaverint.

Juſtin. mores, ejus avaritia, & crudelitas.

5. Sunt hæc quidem ſua laude digna, ſi optimis quoque moribus Juſtinus fuiſſet; & quæ imperii ſui initio laudabiliter geſſit, turpi vita non fœdaſſet, ut teſtatur Evagrius: *Sed quod ad vitam ejus, ac mores attinet, mollis fuit, ac diſſolutus, & deliciis ac fœdis voluptatibus addictus. Ad hæc alienæ pecuniæ tam vehementi cupiditate flagrabat, ut iniqui quæſtus cauſa cuncta divenderet; ac ne in Sacerdotibus quidem divinum numen revereretur, quæ obviis quibuſque pretio vendebat, venalia hæc etiam publici proponens.* Hæc de Juſtini moribus, ac fœdiſſima avaritia. His ſceleſtiora de eodem addit, dum Juſtinum cognatum ſuum ſumma perfidia interfecit. *Cumque duobus contrariis vitiis, audacia ac ignavia implicatus teneretur, primum quidem Juſtinum cognatum ſuum ad ſe evocavit, qui in magna gloria apud omnes erat, tum ob peritiam rei militaris, tum ob reliquas quas geſſerat dignitates.* Hunc igitur Danubii ripa revocatum, ſummo cum honore excepit. Mox vero varias prætexens cauſas, ſatellitio privatum, Alexandriam quaſi civitatem adminiſtraturum miſit; at ibidem cum in lecto decumberet per Sicarios interfecit: *Nec prius Juſtinus Imperator, & conjux ejus Sophia furorem ſuum remiſerunt, aut conceptam adverſus Juſtinianum iram expleverunt, quam Juſtini caput vidiſſent, ac pedibus ſuis proculcaſſent.*

De Juſtini Imp. cognati cæde.

De Juſtini lege qua mutuo conſenſu diſſolvi matrimonia permittit. Mat. 6.19.

6. Deteriora ſunt, quæ adverſus eccleſiæ catholicæ de matrimonii indiſſolubilitate ſententiam evangelica lege firmatam: *Quod Deus conjuxit homo non ſeparet*, edita lege permiſit, ut mutuo ſcilicet conſenſu ſolvi poſſent. Data ea lex eſt ad Julianum Præfectum urbis *XVIII. Kal. Octobr. Chalcedone, Imperante D. N. Juſt. PP. Aug. anno primo indict. XV.* In ea Imperator enarratis nuptiarum bonis, quæ in privatos æque, ac in Rempublicam dimanant, unde optandum eſſet, ut in iis indiſſolubili vinculo omnes perſeverarent.

rent. Sed exorientibus quandoque inter conjuges simultatibus, ac odiis, plurimi dissolvendi conjugia facultatem petebant: *Desiderium eorum aliquando distulimus*, ait Justinus, *aliquando quidem monentes, aliquando vero minantes quiescere eos ab irrationabili circa invicem horrore, & ad unanimitatem properare, & melioris fieri voluntatis. Quoniam vero difficile est immutare semel detentos irrationabili passione, & horrore: forsitan enim contigit istis, & insidias aggredi adinvicem, & venenis, aliisque ad mortem agentibus uti; ita ut nec filios eis factos valere ad unam similemque tales voluntatem immiscere. Hæc igitur aliena nostris judicantes temporibus, in præsenti sacram constituimus legem, per quam sancimus licere (ut antiquitus) consensu conjugum solutiones nuptiarum fieri; non ultra vero obtinere constitutas pœnas constitutione nostri patris adversus eos, qui cum consensu Conjugii faciunt solutionem*. Hactenus Justini lex de solvendis mutuo consensu nuptiis, quæ numquam in ecclesia catholica vim habuit, cum Evangelio, ac perpetuæ traditioni adversaretur.

JESU CHR. AN. 566.

7. Quoad res Occidentales attinet, hoc anno in Italia *Sandoval Herulus tyrannidem assumpsit, & a Narseo Patricio interfectus est*, ut testatur Marius Aventicensis. Justiniano Sandoval, atque Narseti hactenus fidissimus fuerat; at regnandi cupiditate seductus, adversus Narsetem rebellaverat, sed infausto exitu, nam cito meritas Narseti pœnas dedit. De quibus hæc Paulus Diaconus: *Habuit nihilominus Narses certamen adversus Sinduald Breborum Regem, qui adhuc de Herulorum stirpe remanserat, quem secum in Italiam veniens, simul Odoacer adduxerat. Huic Narses primum fideliter adhærenti multa beneficia contulit, sed novissime superbe rebellantem, & regnare cupientem, bello superatum & captum, celsa de trabe suspendit*.

Sandoval adversus Imperatorem rebellis occiditur.

Paul. Diac. de gestis Longob. lib. 2. cap. 3.

8. In Galliis hoc anno, ut habet Cointius, vel sequenti, Turonense concilium secundum celebratum est, cui novem Episcopi subscripti leguntur, ex quibus Euphronius Turonensis synodi præses, Prætextatus Rothomagensis, Germanus Parisiensis, Domnulus Cœnomanensis, Felix Nannetensis, & Caleticus Carnotensis. Huic synodo Euphronius præses in hunc modum subscripsit: *Euphronius Turonicæ civitatis Episcopus, has constitutiones nostras relegi, ac subscripsi*.

Turonense concilium.

Coint. annal. Franc. an. 556.

Notavi

Jesu Chr. an. 566.

Notavi ſub die XV. Kal. Decemb. anno ſexto Regni Domini noſtri Chariberti. Sicque ad annum labentem hanc ſynodum pertinere indicant, qui ſextus Chariberti erat, ex cujus regionibus hi omnes Epiſcopi erant, a quo etiam ad ſynodum fuerant invitati, ut ipſi in præfatione teſtantur his verbis: *Chriſto auſpice, in Turonica civitate, juxta conniventiam glorioſiſſimi Domini noſtri Chariberti Regis annuentis, coadunati*. In ea canones 27. editi ſunt, quorum hoc eſt compendium.

De Turonenſis ſynodi canonibus.

Primus provincialem ſynodum bis in anno, aut ſaltem annis ſingulis celebrari ſtatuit, qui adeſſe recuſaverit, a Communione Coepiſcoporum ſuſpenditur ad proximam uſque Synodum. Canone ſecundo diſſidia inter Epiſcopos exorta ab electis, ab utraque parte Presbyteris, finienda eſſe ſtatuitur. Tertius prohibet, ne Corpus Domini inter ſacras imagines ſuper altari ponatur, ſed in loco digniori collocetur, ſub ipſa Cruce, quæ in meditullio Altaris poni conſuevit. Canon quartus Laicos juxta altare, in quo ſancta Myſteria celebrantur, inter Clericos ſtare vetat. Quintus decernit, ut unaquæque Civitas pauperes, & egenos incolas paſcat, ne per civitates alias vagentur. Sextus Epiſtolia, ideſt, litteras dimiſſorias a ſolis dandas Epiſcopis jubet. Septimus cavet, ne Epiſcopi Archipresbyterum, aut Abbatem ad nutum amoveant, abſque Compresbyterorum, & Abbatum conſilio. Octavus a Communione ſuſpendit Epiſcopum, qui excommunicatum ab alio ſciens ad Communionem ſuſceperit. Nonus Romanum, aut Britannum in Aremorica Epiſcopum ordinari vetat ſine Metropolitani, ideſt, Turonenſis Epiſcopi, & Comprovincialium voluntate. Decimus, Undecimus, Duodecimus, & Decimus tertius, Clericorum caſtitati, & famæ conſulunt: extraneas ſcilicet mulieres ejiciunt e domibus ſacrorum Miniſtrorum, ac violatores excommunicatione plectuntur, Epiſcopus vero qui conjugem habet, tamquam ſororem habeat, nec ſolus cum ea in domo, alibique habitet. Canon decimus quartus Sacerdotes, ac Monachos in eodem lecto ſimul quieſcere prohibet; aut Monachos binos in eadem cella, aut ſingulos in ſingulis; ſed omnes in communi Schola, ideſt, conclavi, jacere decernit, ut duobus vel tribus viciſſim legentibus, & excubantibus, non ſolum cuſtodia corporum, ſed & animarum profectus aſſidua lectione procuretur. Canon decimus quin-

Ad tertium canonem vide epiſt. Card. Bonæ *66. 67. 68.*

quintus Monachos vagos & apoſtatas coercet: Uxorem ducentes a communione pellendos, & ab illegitimo conſortio ſeparandos, etiam Judicis ſæcularis auxilio decernit. Decimus ſextus ab ſeptis Monaſterii mulieres arcet. Decimus ſeptimus ſtatuit de Jejuniis Monachorum, vel potius antiqua de illis ſtatuta confirmat; ut ſcilicet jejunent triduo Rogationum, tota hebdomada poſt Pentecoſtem: deinde uſque ad Kalendas Decembris ter in hebdomada, excepto menſe Auguſto, quo prandium ipſis conceditur propter quotidianas Miſſas Sanctorum: a Kalendis Decembris uſque ad Natale Domini: triduo in Kalendis Januarii, quo publicæ in Eccleſia ſupplicationes fiebant ad Gentilium ſuperſtitionem abolendam ac deteſtandam: poſt Epiphaniam ter in hebdomada, uſque ad Quadrageſimam.

JESU CHR. AN. 566.

9. Canon decimus octavus ordinem pſallendi, cum in Eccleſia Sancti Martini, tum in ceteris Provinciæ Turonicæ præſcribit: itaut quo longiores ſunt noctes plures Pſalmi ad Matutinum recitari debeant, duodecim æſtivo tempore; quatuordecim menſe Septembri; viginti quatuor menſe Octobri; viginti ſeptem menſe Novembri; a menſe Decembri uſque ad Paſcha, triginta. Quicumque vero minus quàm duodecim Pſalmos ad matutinum dixerit, jejunio uſque ad veſperam in pane & aqua condemnatur. Quàm pænitentiam ſubire ſi contempſerit, arcto jejunio hebdomada integra plectebatur. Hinc patet majores Clericos ad Officium divinum, etiam privatim perſolvendum fuiſſe coactos. Canon decimus nonus Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, qui cum Uxoribus ante ordinationem ductis continentiam non ſervant, a communione per annum ſuſpendit, ac a Clero in perpetuum removet, inter Lectores in Pſalentium Choro locum iis tantum tribuit. Canon vigeſimus eos, qui ſacras Virgines, aut continentiam profeſſas rapiunt, aut cum iis nubunt, coercet. Innititur hic Canon Decretis Innocentii I., Conciliorum Milevitani, Arelatenſis ſecundi, & Epaonenſis, & Legibus Imperatorum quas laudat. Canon vigeſimus primus adverſus inceſtas conjunctiones multa profert ex veteri Teſtamento, & ex legibus Romanis; & confirmat quidquid in Conciliis Epaonenſi, & Aurelianenſi I. ſuper ea re ſtatutum fuerat. Vigeſimus ſecundus animadvertit in eos, qui Gentilium more Kalendas Januarii colebant; qui in feſtivitate Cathedræ

Pſalmodiæ ratio varia pro tempore

Jesu Chr. An. 566.

S. Petri feralia sacra faciebant cum Ethnicis; & epulas ad defunctorum sepulchra deferebant, existimantes huiusinodi cibos ab animabus circa tumulos errantibus absumi; eos denique, qui ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca, Gentilium ritu convenientes sacra faciebant, a communione removet. Vigesimus tertius, non solum Ambrosianos, sed & aliorum auctorum probatos hymnos cani permittit. Vigesimus quartus, & Vigesimus quintus, rerum Ecclesiasticarum pervasores ac retentores feriunt: & sacrilegæ pervasionis reum, post tertiam de restitutione facienda commonitione, excommunicatione, & solemni maledictione percuti decernunt: ita ut universo Clero congregato, in illum pauperum necatorem, Psalmus centesimus octavus diceretur, ut veniat super eum maledictio, quæ super Judam venit, & non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur, & cælesti gladio feriatur. Canon Vigesimus sextus, Judices, aut Potentes, qui pauperes opprimunt, nec ab Episcopo admoniti se emendant, a communione excludit. Vigesimus septimus præmia pro Clericorum Ordinationibus ab Episcopis exigi vetat, quia id non solum sacrilegum, sed & hæreticum est. Simoniace autem Ordinantes, & Ordinatos, ab Ecclesia segregat usque ad Synodum. Præter recensitos canones, ejusdem synodi extat epistola ab iisdem Episcopis ad plebem missa, quam Sirmondus in lucem edidit, eaque hortantur populos, ut imminentem cladem avertere studeant, ideoque nuptialia vota differant, rerum omnium decimas persolvant, cum inimicis in gratiam redeant, mancipiorum etiam decimas offerant, & qui mancipiis carent, pro singulis filiis, singulos dent tremisses; incestas demum conjunctiones dissolvant.

Turon. synod. epistola ad plebem.

Radegundæ regulam synodus Turonensis confirmat. *Greg. Tur. lib. 9. c. 42.*

10. Ad eosdem quoque Episcopos Turonis congregatos, extat epistola a Beata Radegunde scripta, qua Episcopos rogat, ut institutam a se congregationem sub regula S. Cæsarii, suo patrocinio ac tutela confirment, ita ut perpetuam stabilitatem habere possit; cujus etiam Gregorius Turonensis meminit, dum narrat Radegundem pro ejusdem congregationis firmitate & securitate Episcoporum patrocinium imploraffe. Extatque adhuc Episcoporum epistola, qua regulam a B. Radegunde suis monialibus datam confirmant, præ-

præcipue ne earum aliqua, quæ eidem monasterio sociari meruerit, ad fecularia vota, & ad nuptias transire valeat sub anathematis pæna, usque dum separatione facta, tanti criminis competentem pænitentiam egisset.

Jesu Chr. an. 567.

JESU CHRISTI an. 567. Joannis 3. Papæ 8. Justini Imp. 3.

1. Insequens Christi annus 567. indict. XV. postcoss. Justini Augusti primus inscribitur, quo idem Imperator, ut plebis indignationem mitigaret, ob illatam Justino optimo clarissimoque viro necem, ut superiori anno diximus, de iniquis sceleratisque viris Ætherio, ac Addæo supplicium sumpsit. Narrantur hæc ab Evagrio his verbis: *Haud multo post* (ab illata Justino nece) *Ætherium, & Addæum viros ordinis Senatorii, qui apud Imperatorem Justinianum plurimum potuerant, Maiestatis crimine accusatos judicibus examinandos tradidit. Ex quibus, Ætherius quidem confessus est, se Imperatorem veneno interficere voluisse, ejusque facinoris, & omnium consiliorum suorum conscium, ac participem fuisse Addæum. Addæus vero, gravi cum jurejurando affirmavit, se earum rerum penitus ignarum esse; ambo tamen capite truncati sunt. Et Addæus quidem, cum jam caput ipsi amputandum esset, se hac quidem in re calumniam passum esse dixit, merito tamen se plecti a divina justitia, quæ omnia dispicit quæ geruntur. Se namque Theodorum Præfectum Prætorio magicis artibus interemisse. Ego vero, utrum hæc ita se habeant, certe affirmare non possum. Uterque tamen sceleratus fuit. Addæus quidem puerorum amori supra modum deditus. Ætherius vero nullum calumniandi genus prætermisit, sed omnium tam viventium, quam mortuorum bona diripuit nomine Imperialis domus, cujus curator erat regnante Justiniano. Atque hæc quidem istiusmodi exitum habuerunt.* Hæc Evagrius, quibus addi potest sacrilegium ab ipsis perpetratum, dum in Eutychium CP. episcopum manus injicere, ac in exilium ducere non dubitarunt, uti in Eutychii vita narrat Eusthasius: *Ea quidem die tertia mensis octobris, quæ erat Dominica. Qua quidem die, & illi qui viro Sancto insidias struxerant, atque in exilium ejecerant, Ætherius, & Addæus, quorum hic Urbis Præfectus erat, ille autem*

Addæus & Ætherius necit traduntur

Bolland. die 6. Apr. vita S. Eutychii.

JESU CHR. AN. 567. *tem Antiochiæ Curator, mortui sunt: & quemadmodum virum sanctum ejiciendum curaverant, ita ambo mercedem perceperunt. In hac igitur die vir optimus sedem recepit, atque Ecclesiam suam, & ipsi privati sunt vita, multis annis antequam ipse revocaretur.*

De Origine & nomine Longobardorum.

2. Ingens interea Barbarorum strepitus Italiæ finibus adstantium nostrum ad se stylum convertit. Victis Gothis, pulsisque Francis, vix respiraverat Italia, cum iterum in Barbarorum seu Longobardorum prædam, & ludibrium incidit, de cujus gentis origine, & gestis nonnulla adnotamus. Scandivaniam olim insulam incolebant Wilini Longobardi postea dicti, quod longam barbam ferrent, ut narrat Paulus Diaconus. Hi finibus suis egressi ducibus Arbor, & Ajone germanis, alias ad habitandum sedes invaserant, ac Regem sibi elegerunt, quorum primus Ajo fuit Agelmundi filius, Alboinus vero, qui hoc tempore Longobardis præerat, ex eorum numero decimus erat, qui victo Cunimundo Gepidarum Rege, eorum Regnum extinxit, ut vix Gepidarum nomen remanserit, quam de Gepidis victoriam circa hunc annum Longobardos obtinuisse probat Muratorius.

Paul. Diac. hist. Longob. lib. 1. c. 9.

Tom. 1. hist. Biz.

Murat. an. 566.

Narses Longobardos in Italiam vocat.

3. Eos autem ad Italiæ interitum a Narsete vocatos fuisse latini scriptores tradunt, eo quod a Justino Imperatore ab Italiæ præfectura amotus fuerat; unde Marius Aventicensis ad annum secundum Coss. Justini Junioris Aug. indict. I. *Narses ex Præposito & Patricio, post tantos prostratos tyrannos, idest Baduillam, (sive Totilam) & Tejam, & Buccelinum Ducem Francorum, nec non, & Sandovalem Erulum, Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi destruxerant, laudabiliter reparaverat, de ipsa Italia a suprascripto Augusto remotus est.* Lugubrem historiam fusiori stylo prosequitur Paulus Diaconus: *Deleta vel superata Narses omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo devictis, dum multum auri, sive argenti, seu ceterarum specierum divitias adquisivisset, magnam a Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit, qui contra eum Justino Augusto, & ejus Conjugi Sophiæ in hæc verba suggesserunt, dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire, quam Græcis, ubi Narses imperat Eunuchus, & nos servitio premit, & hoc*

Paul. Diac. lib. 1. c. 5.

& hoc noster piissimus Princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus, aut certe, & urbem Romam, & nos metipsos gentibus trademus. Cumque hoc Narses audiisset, hæc breviter retulit verba: si male feci cum Romanis, male inveniam. Tunc Augustus in tantum adversus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum mitteret Præfectum, qui Narsetis locum obtineret. Narses vero his cognitis valde pertimuit, & in tantum maxime ab eadem Sophia Augusta territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia Eunuchus erat, hæc fertur mandasse, ut cum puellis in gyneceo lanarum faceret pensa dividere. Ad quæ verba Narses dicitur hæc respondisse: Talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret, deponere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolitanam civitatem secedens, Legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans, ut pauperrima Pannoniæ Rura desererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis possidendam venirent: simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset illicere. Idem confirmat auctor brevissimi chronici, quod Manuscriptum servatur in bibliotheca Colbertina, quo auctor res ab exordio Mundi gestas ad Heraclii Imperium exponens, cum ad hæc tempora, seu ad Justini junioris Imperium pervenit, adnotat: *Narsis Patricius, postquam sub Justiniano Augusto Totilam Gothorum Regem in Italia superavit, Sophiæ Augustæ Justini conjugis minis perterritus Longobardos a Pannoniis invitavit, eosque in Italiam perduxit.* Ita Mellitus de verbo ad verbum, qui testatur se Opus suum absolvere anno Heraclii Imp. V. & IV. Sisebuti, anno scilicet Christi 614. aut insequenti: quem Hispanum fuisse, Sisebuti Regis mentio in tam parvo Chronico ostendit. Habemus itaque Auctore coævum, qui nihil scribit quod ab antiquioribus non ac ceperit. Codex ab octingentis circiter annis exaratus. Idem habet Isidorus Hispalensis Episcopus, Auctor etiam coætaneus in brevi suo Chronico nuper a Schelestrato ex Bibliotheca Urbino Vaticana publicato. Ad Italiam occupandam animum, exercitumque pararunt, quam anno sequenti ingressi sunt, ut narrat Paulus Diaconus. Inimicitias autem inter Senatum populumque Romanum, atque Narsetem

JESU CHR. AN. 567.

Jesu Chr. ann. 567. tem conflatas Anastasius commemorat, his verbis: *Ut cognovit Joannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem contra Narsetem Senatores misissent Romani, festinus venit Neapolim, cœpit eum Joannes Papa rogare, ut reverteretur Romam. Tunc Narses dixit ei: Dic sanctissime Papa, quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes ejus qui me misit; ut cognoscat Italia, quomodo totis viribus laboravi pro ea. Respondit Joannes Papa, dicens: Citius ego vadam, quam tu de hac terra egressus fueris. Reversus est ergo Narses cum Joanne sanctissimo Papa. Hinc sanctissimus Papa retinuit se in cœmiterio sanctorum Tiburtii & Valeriani, & habitavit ibi multum temporis, ut etiam Episcopos ibi consecraret. Narses vero ingressus Romam, non post multum temporis mortuus est, &c.*. Paulus quoque Diaconus Narsetem e Campania Romam rediisse, ac paulo post ibidem e vita excessisse narrat hoc, vel sequenti anno, cui etiam Agnellus in historia Ravennatensi subscribit. Narsetis autem cadaver loculo plumbeo clausum, una cum thesauris suis CP. delatum est.

Narsetis elogium. 4. Narses porro seu Narsetes, de quo loquimur, vir sane illustris fuit, tum pietate, cum bellica virtute: *Erat autem Narses*, ait Paulus Diac., *vir piissimus in religione catholicus, in pauperes munificus, in reparandis basilicis satis studiosus, vigiliis, & orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis, quam armis bellicis victoriam obtineret*. His vero addit Evagrius, Deiparam Virginem eum tanto studio coluisse, ut ab ipsa de prælii ineundi tempore admoneretur: *Porro qui cum Narsete familiariter versati sunt, eum supplicationibus, ac reliquis pietatis officiis, divinum numen, usque adeo coluisse, & debitum Deiparæ honorem tam studiose exhibuisse ajunt, ut illa tempus ei manifeste indicaret, quo pugna committenda esset, nec prius umquam prælium iniret Narses, quam signum ab illa accepisset*. Hæc de Narsete Evagrius, cujus famam Baronius vindicare conatur, ac inter fabulas ea recenset, quæ de prodita Longobardis Italia a Narsete narrat Varnefridus, seu Paulus Diaconus, eo potissimum argumento innixus, quod Narses CPolim hoc tempore reversus, apud Justinum Imp. in maximo honore, & familiaritate fuit, uti his versibus narrat Corippus.

Evag. lib. 4. cap. 24.

Narsetis honor in B. Virginem Mariam.

Armi-

Jesu Chr. an. 567.

Armiger interea Domini vestigia lustrans,
Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, & Augustam cultu præfulgurat Aulam.
Comptus cæsarie, formaque insignis & ore:
Aureus omnis erat, cultuque habituque modestus,

Et iterum de eodem Narsete.

Nec non ensipotens membrorum robore constans,
Aspectu mentis, non a gravitate benignus
Adstabat Narses, sedemque ornabat herilem.

Hæc de Narsete Corippus, ex quibus eum hoc tempore apud Justinum in honore fuisse patet, quæ sane ad Narsetem Italiæ proditorem convenire nequaquam possunt. Adnotandum tamen est, cum Pagio, & Petavio, aliisque, tres hac ætate Narsetes fuisse apud Justinianum Imp., & successorem ejus Justinum, de duobus primis hæc narrat Procopius: *Erat is Narses spado, & Sacrarum largitionum Comes &c. Justinus Dux Illyricorum, & Narses alter, qui ex Armeniis Persæ subditis ad Romanos transfugerat olim cum Aratio fratre.* Primus Italiæ præfecturam gessit, ac Gothicum Regnum occiso Totila evertit, ut supra diximus. Alter bello Persico periit, ut auctor est Procopius. Tertius demum is est, quem Corippus Justino carissimum fuisse narrat, ac forma, viribusque insignem, quæ sane Narseti Eunucho, annis, ac laboribus fracto convenire non possunt, quem etiam paulo post in Italia obiisse Anastasius, & Paulus Diaconus narrant. Hic vero Narsetes alter longo post tempore superstes fuit, ad quem extat S. Gregorii epistola, idemque, qui sub Mauritio Imperatore Dux militum fuit, & triginta circiter annis adhuc floruit, tantoque Persis terrori, ut Persarum infantes, audito Narsetis nomine, contremiscerent.

Procop. de bello Goth. lib. 2. cap. 3.

5. Hoc anno Justini Imperatoris secundo, Athanagildus Gothorum Rex in Hispania mortuus est, teste Blicariensi Abbate, *& Liuba pro eo in Regnum provehitur*, cui consentit Isidorus in chronico Gothorum, dum ejus mortem æra DCX. alligat, ac addit Athanagildum christianam fidem occulte tenuisse, eoque sublato, post quinque menses Liubæ seu Linvæ

Athanagildi Regis obitus

Jesu Chr. an. 567.

Brunichildis catholicæ fidei sociatur.

væ Narbone a Gothis Regnum delatum fuisse.

6. Femineam tantum prolem eamque geminam Athanagildus susceperat ex Gesuitha, seu Galsuinda, & Brunichildem, quæ Francorum Regibus Sigiberto, & Chilperico nupserunt; quæ a catholicis Sacerdotibus simulac in Gallias pervenerunt, rectis dogmatibus imbutæ, abjurata Ariana hæresi, ad catholicæ fidei professionem transierunt. Narrantur hæc, & celebrantur a Gregorio Turonensi, & Fortunato, qui de Sigeberti nuptiis cum Brunichilde hæc cecinit.

Catholico cultu decorata est optima conjux:
Ecclesiæ crevit, te faciente, domus.
Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc tibi conjunxit; hanc tibi quando dedit.

DeBrunichilde, & Geleſuintha sororibus.

7. Altera Athanagildi filia Galsuinda scilicet Chilperico, qui Svessione regnabat, nupsit. Promiserat Chilpericus se alias uxores sive concubinas relicturum, *sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum*, inquit Turonensis, nam post breve tempus Chilpericus pravis consiliis imbutus, eam insontem strangulari jussit, ut idem Gregorius testatur, unde Fortunatus, qui Galsuindæ ex Hispania in Gallias iter, & catholicæ fidei professionem, ac tandem mortem prosecutus est, non Epithalamium, sed lugubres elogos cecinit, atque inter cetera.

Toletus Geminas misit tibi Gallia turres:
Prima stante quidem, fracta secunda jacet.
Alta super colles speciosa cacumine pulchro
Flatibus infestis culmine lapsa ruit.
Sedibus in patriæ sua fundamenta relinquens,
Cardine mota suo, non stetit una diu.
De proprio migrata solo, nova mersit arena:
Exul & his terris, heu, peregrina jacet.

Et inferius de ejus in pauperes amore & fide catholica recens accepta, hæc iterum.

Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens, advena mater erat.

Quo-

Quoque magis possit regno superesse perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.
O Dolor insignis, quid differs tempora fletus,
Lugubresque vices plura loquendo taces?
Improba sors hominum, quæ improviso condita lapsu
Tot bona tam subito, sorte volante, voras.
Nam breve tempus habens, consorti nexa jugali,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu, volucri præventa sub ictu
Deficit, & verso lumine lumen obit.

Hoc tamen lucrata fuit Hispana virgo, ut ex Ariana Catholica redderetur, ac plane sancta moribus efficeretur. Quid autem acciderit ad ipsius sepulcrum, quod ejus sanctitatis indicium haud leve existimatum est, refert Gregorius, hæc narrans: *Post ejus obitum Deus virtutem magnam ostendit. Lychnus enim ille qui fune suspensus coram sepulcro ejus ardebat, nullo tangente, fune dirrupto, in pavimentum corruit; & fugiente ante eum duritie pavimenti, tamquam in aliquod molle elementum descendit, atque medius est suffusus, nec omnino contritus: quod non sine magno miraculo videntibus fuit:* eademque Fortunatus, dum de ipsius funere agit.

Miraculum ad sepulchrum Geleswinthæ.

Ducitur, ornatur, deponitur, undique fletur,
Conditur & tumulo sic peregrina suo.
Nascitur & subito rerum mirabile signum,
Dum pendens lychnus lucet in obsequium,
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arsit:
Nec vitrum saxis, nec perit ignis aquis.

Hactenus Fortunatus, qui plurima ibidem de his addit. *Rex autem Chilpericus*, ait Gregorius, cum eam mortuam deflesset, post paucos dies, Fredegundem *suscepit in matrimonio, post quod factum reputantes ejus fratres, quod sua emissione antedicta Regina fuerit interfecta, eum e Regno dejiciunt*, sed de his infra.

8. Ex Hispania in Gallias transimus, ubi hoc anno, Guntramni Regis sexto, Synodus Lugdunensis secunda celebrata est, cui Episcopi quatuordecim per seipsos, aut per lega-

De synodi Lugdun. ejusque canonibus.

JESU CHR. AN. 567. legatos adfuerunt; quorum primus Philippus Viennensis fuit, deinde Nicetius Lugdunensis. In ea sex canones editi sunt, quorum primo dissidia Episcoporum comprovincialium a Metropolitano finienda esse decernitur. Secundo, ut rata sint testamenta Episcoporum, Presbyterorum, & Clericorum inferioris ordinis in gratiam & commodum Ecclesiæ facta, etiamsi stricti juris apices observati in iis non fuerint: *Id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque Religiosiorum voluntas aut necessitate, aut simplicitate, aliquid a legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus, Deo propitio, custodiri*. Tertius Communione privat eos, qui captivos per vim & nefas adduxerunt, & retinent, nisi eos juxta Regis præceptum restituant. Quartus renovat canones prohibentes, ne excommunicati ab uno Episcopo, recipiantur ab aliis, donec ab eo fuerint absoluti. Quintus, quod præcedentium Episcoporum munificentia, Clericis, aut servientibus, sive de rebus Ecclesiæ ad usum, sive de propriis in proprietatem datum est, ab eorum successoribus revocari vetat. Sextus Litanias, sive Rogationes hebdomada prima Novembris ab omnibus Ecclesiis fieri jubet, sicut ante Ascensionem Domini.

Salonii ac Sagittarii causa cognoscitur. *Greg. Turon. lib. 5. c. 20.* 9. Præcipuam tamen hujus celebrandæ synodi causam dederunt Salonii Ebredunensis, ac Sagittarii Vapincensis Episcopi scelera. Quænam autem hæc fuerint, quove ordine eorum causa fuerit agitata, Gregorius Turonensis narrat. Hi etenim a S. Nicetio Lugdunensi Episcopo educati, diaconatus officium adepti fuerant, deinde Salonus Ebredunensis, Sagittarius vero Vapingensis Ecclesiæ sacerdotes ordinati sunt; at assumpto Episcopatu, cœperunt in cædibus, homicidiis, in adulteriis, diversisque sceleribus insano furore grassari: ita ut quodam tempore, celebrante Victore Tricassinorum Episcopo solemnitatem natalitii sui, emissa cohorte, cum gladiis & sagittis irruerent super eum: venientesque sciderunt vestimenta ejus, ministros ceciderunt, vasa & omnia ad apparatum prandii anferentes, relinquentes Episcopum cum grandi contumelia. Quod cum Rex Guntheramnus comperisset, congregari Synodum ad urbem Lugdunensem jussit; conjunctique Episcopi cum Nicetio discussis causis, de his sceleribus, de quibus accusabantur, convicti sunt,

eaque

eaque de causa, Episcopatus honore privati sunt : *At illi cum adhuc propitium sibi Regem nossent, ad eum accedunt, deplorantes se injuste remotos; sibique tradi licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accederent. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis, eos abire permisit. Qui accedentes, coram Papa Joanne exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille vero epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis prius illis, verbis multis, implevit.* Vides ne lector, quantam reverentiam exhibuerint Reges, atque Episcopi sententiæ Romani Pontificis, ut quamvis iidem videri potuissent injuste restituti, quos Synodus juste damnasset, parere tamen ipsi minime prætermiserint. Hæc de his quæ spectant ad Concilium Lugdunense hoc anno tempore Joannis Papæ celebratum. Porro de eisdem Episcopis hæc superius idem Gregorius, dum agit de bello Longobardorum adversus Burgundiones: *Fueruntque in hoc prœlio Salonius, & Sagittarius fratres, atque Episcopi, qui non cruce cœlesti muniti, sed galea atque lorica sæculari armati, multos manibus propriis (quod pejus est) interfecisse referuntur.* Hæc tunc primum monstra visa sunt, ut loricati Episcopi militarent, quorum exemplum deinde plurimi secuti sunt, ut videbimus infra.

Jesu Chr. an. 567.

Greg. hist. lib. 4. c. 37.

10. Hoc vel sequenti anno Charibertus Francorum Rex, qui Parisiis regnabat defunctus est, cum septem, aut octo annos regnasset, Chariberti Regis pietatem, prudentiam, fidem, patientiam multis laudibus celebrat Fortunatus, quarum aliquas tenuisse non negamus; at multis etiam vitiis obrutum fuisse scimus, ac præsertim immoderata libidine, qua factum est, ut spreta Ingoberda uxore, alias plurimas, easque viles feminas sibi copulaverit, qua de causa a S. Germano Parisiensi Episcopo excommunicatus fuit, ut narrat Gregorius Turonensis: *Habuit & aliam puellam opilionis filiam, nomine Theodogildem, de qua, ut fertur, filium habuisse, qui ut processit ex alvo, protinus delatus est ad sepulchrum. Post hæc Marcovefam Merofledis sororem conjugio copulavit. Pro qua causa a sancto Germano Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cum eam Rex relinquere nollet, percussa Dei judicio obiit: nec multo post, & ipse Rex post eam decessit Charibertus.* Hæc de Chariberti Regis incestis nu-

Chariberti Regis obitus

Greg. Turon. hist. lib. 4. cap. 20.

Jesu Chr. an. 568. nuptiis, & excommunicatione, cum qua ultimum clausisse diem verosimile est. Narrat alibi idem Gregorius eumdem Charibertum ecclesiæ bona usurpasse, eoque defuncto in tres partes Francorum Regnum divisum est a fratribus Sigeberto, Chilperico & Guntramno: de qua divisione legendus Cointius anno 567. num. 41.

Greg. Tur. de miraculis S. Martini l. 1. cap. 29.

JESU CHRISTI AN. 568. JOANNIS PAPÆ 9.
JUSTINI IMP. 4. ALBOINI LONGOBARDORUM REGIS 1.

Longobardi in Italiam irruunt.

1. Sequitur Christi annus 568., quo Alboinus Longobardorum Rex, cum exercitu, in Italiam irruit, ut communiter chronologi scribunt, paucis exceptis, qui Marii Aventicensis auctoritate ducti, ad sequentem annum Alboini irruptionem in Italiam differunt, quos Paulus Diaconus errasse demonstrat, de Alboini in Italiam transitu hæc scribens: *Habitaverunt in Pannonia annis quadraginta duobus*; (ex quo sub Audoino Rege anno 527. eadem potiti fuerant) *de qua egressi sunt mense Aprili per indictionem primam, alio die post Sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem, ipsis Kal. Aprilibus fuit, cum jam a Domini incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti*. Annus itaque, & indictio prima, & Paschale festum præsentem annum designant. Pauli sententiam confirmat S. Gregorius Papa, qui hisce diebus vivebat, dum ad Constantinam Augustam anno 595. sub indictione 3. scribebat, *viginti jam & septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Longobardorum gladios vivimus*. Nam si ab annis 595. 27. detrahas, ad annum 568. devenies; & iterum ad Phocam Imperatorem anno 603. tertiæ indict. scribens, labenti anno Alboinum in Italiam irrepsisse indicat, dum ait: *Qualiter enim, & quantis Longobardorum incursionibus, ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis supplere vocibus suggestionis valemus*. Cum vero dicit Gregorius se in urbe inter Longobardorum gladios vixisse, intelligi nequaquam debet ex quo Longobardi Romam venerunt, (licet occupare non potuerint) sed a tempore, quo in Italiam transierunt.

Cum Longobardis alii barbari sociantur.

2. Cum Alboino Longobardorum Rege aliæ plurimæ barbarorum turmæ in hac Italica expeditione, tanquam ad certam

certam prædam fociatæ funt, ait Paulus Diaconus: *Alboinum tunc multos secum ex diversis gentibus, quas vel alii Reges, vel ipse ceperat, ad Italiam adduxisse. Unde in hodiernum usque diem populos in his, quos habitant vicos, Gipedas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Suevos, & aliis hujuscemodi nominibus appellamus.* Italorum autem animos, vel folum Longobardorum nomen exterrere poterat, quorum barbariem alias experti fuerant, cum eorum manum adverfus Gothos pugnaturus Narfès duxerat, ita ut fupra diximus, neceffarium fuerit ut eos muneribus donatos quam citiffime ad propria dimitteret, quod intolerabilis effet eorum in Italia commoratio, dum cuncta prædis, incendiis, & libidinum putore mifcebant. Si itaque cum Romanis militantes, tam immania fcelera perpetrarunt; quid putandum eofdem jam hoftes, in Romanum folum irrumpentes? cum præfertim nullus effet, qui illis, arma objiciendo, refifteret. Profecturus itaque in Italiam Alboinus, cum ad certam prædam iret, una cum exercitu, mulieres, liberos, ceteramque fuppellectilem fecum duxit, ac nemine adverfante in Italiam pervenit; cum vero Aquilejam appropinquaret, *Beatus Paulus* Patriarcha, Longobardorum barbariem metuens, *ex Aquileja ad Grados insulam confugit*, ait Paulus Diaconus, *secumque omnem suæ thesaurum ecclesiæ deportavit*. Felicem tamen Tervifianum Epifcopum benigniter excepit. *Cum ad fluvium Alpen venisset Alboin, ibi ei Felix Episcopus Tervisanæ ecclesiæ occurrit. Cui Rex, ut erat largissimus, omnes suæ Ecclesiæ facultates postulanti concessit, & per suum Pragmaticum postulata firmavit*. Rapido victoriæ curfu complures dictioni suæ urbes Alboinus fubjecit: *Vincentiam, Veronam, & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio, & Montesilicis, & Mantua, cepit. Liguriam petens, tertio nonas Septembris, sub temporibus Honorati Archiepiscopi Mediolanum ingressus est. De hinc universas Liguriæ civitates, præter has, quæ in littore maris sunt positæ, cepit.* Unde Longobardicum in Italia Regnum fundavit, quod annos 205. perduravit, ad annum fcilicet 774. quo Defiderius, capta a Carolo magno Ticinenfi Urbe, in Gallias perductus eft.

Jesu Chr. an. 568. Paul. Diac. lib. 2, c. 12.

Longobardorum peffimi mores.

Alboin Rex benigne excepitFelicem Epifcopum.

3. Egregium Sophiæ Auguftæ facinus narrat Cedrenus, cum omnia debitorum nomina ipfa diffolvit: *Tertio anno Sophia*

Sophiæ Auguftæ liberalitas.

Jesu Chr. an. 569. *Sophia Augusta, accitis omnibus, qui ære alieno obstricti erant, debita eorum creditoribus dissolvit, & pignora suis auctoribus reddidit.* Eademque auctor Miscellæ. Pauperum etiam clamores, ac querelæ sæpe ad ipsum Imperatorem delatæ fuerant contra potentes, a quibus opprimebantur. Quamobrem, ut idem Cedrenus narrat, cum quidam ex Senatoribus urbis Præfecturam petiisset, ac potestatem quotiescumque vellet, Imperatorem adeundi impetrasset, tanta severitate adversus potentiores etiam usus est, ut eorum unum ex Imperatoris mensa abductum, eo quod per vim & calumniam viduæ cujusdam bona usurpasset, per urbem asino impositum verberibus affici, ejusque bona viduæ reddi jussit, qua usus severitate effecit, ut intra mensem quieta omnia CPoli essent; nec ullæ amplius ad Imperatorem querelæ defferrentur; ut pluribus idem auctor narrat.

Justinus Imp. salva vult privilegia Ecclesiæ Bizacenæ

4. Hoc etiam anno Bizacenæ Ecclesiæ privilegia ab ejusdem Ecclesiæ Episcopo rogatus confirmavit Justinus Imp. edita constitutione Kal. Maii CPoli vulgata; qua sicuti privilegia privatis hominibus concessa intacta servanda esse ajebat, multo magis quæ sacrosanctis ecclesiis tributa fuerant, intacta custodiri necessarium esse dixit. Cum itaque Sperindeus Bizacenæ Ecclesiæ Episcopus, & Africæ Primas, per Evasium Diaconum suum ab Imperatore petiisset, ut privilegia ecclesiæ suæ, vel Africanis olim data intacta servarentur; ac præcipue, ne clericorum causæ, vel accusationes, apud seculares judices agitarentur, sed Episcoporum judicio reservarentur, & ut liberum sibi, ceterisque Africæ Episcopis esset legatos suos ad Imperatorem mittere, quoties cumque ecclesiarum causa id postularet; postulationibus Bizaceni Episcopi satisfecit Imperator, ut ex ejusdem constitutione tunc edita patet; atque his de gestis hujus anni finem facimus.

JESU CHRITI AN. 569. JOANNIS 3. PAPÆ 10.
JUSTINI IMP. 5. ALBOINI LONGOBARDORUM REGIS AN. 2.

Leovigildus a Liuba in Regno sociatur.

1. Anno quingentesimo sexagesimo nono Justini Imperatoris quinto, postcoss. ejusdem tertio, Liuba Rex Gothorum in Hispania, fratrem suum Leovigildum Regno sociavit. Leovigildus vero eodem anno Gotsuitham Athanagildi viduam

duam thalamo suo sociavit: *Anno tertio Justini*, ait Joannes Blicariensis, *Leovigildus germanus, Liubani Regis, superstite fratre in Regnum citerioris Hispaniæ constituitur; Gesuitham relictam Athanaildi in conjugium accipit, & provinciam Gothorum, quæ jam pro rebellione diversorum fuerat diminuta, mirabiliter ad pristinos revocat terminos*. Blicariensis hunc annum cum tertio Justini conjungit, quia ejus Imperium anno 566. exorditur, alioquin quartus, & quintus Justini est; Leovigildum autem in Ariana perfidia usque ad vitæ exitum perseverasse, ac catholicos vexasse narrat Isidorus sub æra 508., his verbis: *Iniquæ perfidiæ furore repletus, in catholicos persecutione commota, plurimos Episcoporum exilio relegavit, Ecclesiarum reditus, & privilegia tulit, multos quoque terroribus suis in Arianam hæresim & pestilentiam impulit, plerosque sine persecutione illectos auro rebusque decepit. Ausus quin etiam inter cætera hæresis suæ contagia rebaptizare Catholicos, & non solum ex plebe, sed etiam ex Sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum, quem de Episcopo Apostatam fecit, & tanquam a Cœlo in inferna projecit. Existit autem quibusdam suorum perniciosus. Nam vi cupiditatis & livoris quoscumque potentes ac nobiles vidit, aut capite damnavit, aut opibus ablatis proscripsit. Ærarium quoque ac fiscum primus iste auxit, primusque inter suos Regali veste opertus in solio resedit. Nam ante eum, & habitus & consessus omnis ut genti, ita & Regibus erat.*

Apollinaris Episc. Alex. obitus.

2. Eodem tempore, quo Leovigildus catholicos, ut diximus, divexabat, Ariomirus sive Theodomirus alter in Hispania Rex, postquam ex Ariana hæresi ad catholicam fidem, opera ac studio S. Martini Dumiensis Episcopi, ut supra diximus transierat, catholicæ fidei, ac ecclesiasticæ disciplinæ promovendæ studio, Synodum Luci hoc anno celebrari præcepit, de qua hæc acta referunt. *Tempore Svevorum sub æra 670. die Kal. Januarii Theodomirus, princeps idem Suevorum, concilium in civitate Luco fieri præcepit, ad confirmandam fidem catholicam, vel pro diversis Ecclesiæ causis. Postquam peregerunt quidquid se concilio ingerebat, direxit idem rex epistolam suam ad episcopos, qui ibidem erant congregati, continentem hæc: Cupio, sanctissimi Patres, ut provida auctoritate decernatis in provincia regni nostri, quia in*

De Lucensi synodo in Gallecia. *Tom. 6. concil. pag. 556.*

Jesu Chr. an. 569.

in tota Gallæciæ regione spatiosa satis diæceses a paucis Episcopis tenentur; ita ut aliquantæ Ecclesiæ per singulos annos vix possint a suo Episcopo visitari: insuper tantæ provinciæ unus tantummodo Metropolitanus episcopus est, & de extremis quibusque parochiis longum est singulis annis ad concilium convenire. Dum hanc epistolam episcopi legèrunt, elegerunt in synodo, ut sedes Lucensis esset Metropolitana, sicut & Brachara: quia ibi erat terminus de confinitimis Episcopis, & ad ipsum locum Lucensem grandis semper erat conjunctio Svevorum: etiam in ipso concilio alias sedes elegerunt, ubi Episcopi ordinarentur. Sicque post hæc pro unaquaque cathedra diæceses, & parochias diviserunt, ne inter Episcopos contentio aliquatenus fieret; id est. Post hæc sequitur divisio provinciarum, earumque sedium, una cum suis suffraganeis, quæ videri potest in conciliorum collectione.

Garamantes christianæ fidei sociantur

3. Quoad res Orientales pertinet, hoc anno Garamantes Christi fidem susceperunt, ut narrat Blicariensis: *Anno tertio Justini Imperatoris Garamantes per legatos, paci Romano populo, & fidei christianæ sociari desiderantes poscunt, qui statim utrumque impetrant. Mauritanorum gens his temporibus fidem recepit.* Sic regnum Christi miris modis amplificabatur. Hæc sub secunda indictione a Blicariensi notantur, sed qui Justini quartus dici debuit annus, non tertius. Sub eodem quarto Justini anno idem Blicariensis victoriam de Avaris per Tiberium relatam recenset, *Justinus Imp.*, ait, *per Tiberium excubitorum comitem in Thracia bellum gerenti barbarorum ingerit, & victor Tiberius CP. redit*, cujus victoriæ mentio fit a Corippo, dum Justini laudes suis versibus celebravit:

Illa Colulti modis Avarum gens dura capillis,
Horribilis visu, crudisque asperrima bellis,
Imperio subjecta tuo servire parata,
In media supplex defusis crinibus aula
Exorat pacem, nec fidere millibus audet
Tot numerosa suis Romana lacessere signa &c.

At de his satis.

Leovigildi nuptiæ cum Gothsuinda.

4. Hoc ipso anno Apollinaris Alexandrinus Episcopus,

pus, qui pulso ob tria capitula Zoilo, anno 551. in ejus locum successerat, postquam eam rexit ecclesiam per annos decem & novem, ultimum diem obiit. Alexandrinam quidem ecclesiam Apollinaris injuria occupaverat, cum Zoilus in exilium ob tria capitula pulsus esset; nihilominus temporis progressu inter legitimos Episcopos habitus est, & in synodo quinta receptus, de quo rem sane miram narrat Sophronius, de mortuo ad vitam revocato, quem Apollinaris Alex. Episcopus Episcopum ordinavit. Rem gestam Zosimi relatione didicerat: *Die quadam, cum sederet Joannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens, abii ad Anachoretas. Qui ut viderunt me turbatum & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, Abba Zosime? mortuus est frater? Dico: Ita sane, mortuus est: Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra jacentem, dicunt mihi: Noli contristari, Abba Zosime: adest divinum adjutorium. Vocantesque fratrem, dixerunt: Frater Joannes, surge: quia senex te opus habet: Continuoque surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam, & invenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zosime, vade in sina. Deus vult tibi committere Ecclesiam Babylonis. Continuo itaque recessimus nos. Cumque venissemus sina, Abbas misit me, & duos alios in ministerium Alexandriam: tenensque nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos, unum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me vero in Babylonem misit.* Hæc de facta ab Apollinare ordinatione Episcoporum. Porro idem Zosimus abdicavit se postea Episcopatu, & in suum monasterium reversus est, ut idem Auctor testatur.

Jesu Chr. an. 569.

Apollinaris Alex. Episc. obiit.

JESU CHRISTI AN. 570. JOANNIS PAPÆ II.
JUSTINI IMP. 6. ALBOINI LONGOBARDORUM REG. AN. 3.

I. Septuagesimus supra quingentesimum annus Christi adest, postcoss. Justini tertius, quo Longobardi post occupatam anno superiori Veneticam provinciam, totam fere Italiam summa facilitate tenuerunt; cumque Ticinum obsiderent;

Italia Longobardorum irruptione, & lue afflicta.

Jesu Chr. an. 570. Paul. Diac. lib. 2. c. 25.

derent: *Alboinus invasit omnia usque ad Thusciam præter Romam, & Ravennam, vel aliqua Castella, quæ erant in littore maris constituta. Nec erat tunc virtus Romanis, ut resistere possent; quia pestilentia, quæ sub Narse facta est, plurimos in Liguria, & Venetiis extinxerat, & post annum, quem diximus fuisse ubertatis, fames nimia ingens Italiam vastabat*. Marius quoque gravissimas Italiæ calamitates sub tertia indictione recenset. *Anno quarto consulatus Justini indict. tertia, morbus validus cum profluvio ventris, & variola Italiam, Galliamque afflixit, & animalia bubula per loca subscripta maxime interierunt*; Paulus vero: *Alboin Liguriam introiens indictione tertia sub temporibus Honorati Archiepiscopi Mediolanensis ingressus est. Deinde universas Liguriæ civitates, præter eas, quæ in littore maris positæ sunt, cepit. Honoratus vero Archiepiscopus Mediolanum deserens ad Genuensem urbem confugit. Paulinus vero Patriarcha Aquilejensis undecim annis sacerdotio functus, ex hac luce subtractus est, regendamque ecclesiam Probino reliquit.*

De Patriarchatu Aquilejensi.

2. Cum vero hic primum de Patriarchatu Aquilejæ mentio occurrat, unde istiusmodi inauditum hactenus in Italia nomen emerserit, in qua præter Romanum Pontificem, nemo hactenus eo titulo insignitus fuerat, accuratius disquirendum est, atque in primis adnotandum, Patriarchæ nomen e Sinagoga in ecclesiam transiisse, sicuti enim Judæorum Primates Patriarchas dicebant, quorum mentio fit in lege Arcadii, & Honorii, ubi de iis, quos Apostolos dicebant, *ad exigendum aurum, atque argentum* a *Patriarcha certo tempore dirigi mittebatur*, hinc Christianæ legis Præsulibus id nomen inditum fuit. Ex antiquiori tamen ecclesiæ disciplina, tres tantum Patriarchæ fuere, qui nulli alteri subjecti, amplissimas diœceses administrabant, Romanus scilicet Pontifex, Alexandrinus, & Antiochenus; quibus Imperatorum favore CP. Episcopus est additus. Quintus denique Patriarcha dictus fuit Hierosolymitanus Episcopus. Nicolaus Papa medio seculo nono ad Bulgaros scribebat: *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ*, & cum respondisset tres esse Romanum scilicet, & Alexandrinum, & Antiochenum, addit: *Quia CP. nova Roma dicta est, favore Principum potius quam ratione, Patriarcha ejus Pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem Præsul, licet & ipse*

Cod. Theod. lib. 16. c. 14.

ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicænam synodum honorandus sit, salva tamen metropoli propria dignitate. Quinque itaque nomine & re fuere in ecclesia Patriarchæ, quorum exemplo postea factum est, ut qui in quolibet Regno primas sedes tenerent, a quibuslibet honoris gratia Patriarchæ dicerentur. Sic in Galliis Lugdunensis Metropolita in synodo II. Matisconensi Patriarcha est appellatus; in Hispania Toletanus Episcopus, in Anglia Cantuariensis; eodem modo cum Aquilejensis Præsul amplissimæ Diœcesi præesset, a provincialibus Patriarchæ titulum obtinuit, nemo tamen horum re, & privilegiis Patriarcharum fruebantur, quippe qui omnes Romano Pontifici, totius occidentis Patriarchæ subjiciebantur. Itaque de re nulla quæstio esse potest, de nomine tantum manet, num scilicet ante schisma ob tria capitulá conflatum eo honore insignitus fuerit Aquilejensis Præsul, vel potius ex schismate initium habuerit. Salmasius putat Metropolitas eos omnes esse, qui primam totius regionis sedem obtinebant; cumque totius Venetiæ Metropolis esset Aquileja, *hinc Aquilejensis Episcopus Patriarcha semper nuncupatus est*. Sed Salmasium falli certum est, innumerisque argumentis & exemplis Norisius demonstrat.

3. Demarcha vero de Patriarchatu Aquilejensi agens ait, Episcopum Aquilejensem, licet nullos sub se Metropolitas haberet, appellatum esse Patriarcham, eo quod Reges Gothorum, Episcopos Regni Italici Patriarcharum nomine ornarent, quemadmodum testatur Epistola Athalarici Italiæ Regis ad Joannem Papam apud Cassiodorum lib. IX. Epistolarum, Epistola XV.. Quare Elias Episcopus Aquilejensis, qui post aliquot annos ab excidio Gothorum in schisma delapsus est ob Tria Capitula, una cum reliquis Istriæ Provinciæ Episcopis, liberum sibi existimavit, ejus nominis usum retinere, quod Litteræ Regiæ Metropolitanis Italiæ Ecclesiis dederant, & quo usus fuerat Paulinus ejus decessor anno 560. præcipue quod hujuscemodi titulus ad suam Autocephaliam, qua schismatis tempore potiebatur, multum conferret: quæ sane opinio sua probabilitate non caret, præcipue cum Patriarchæ nomen eodem ferme sensu accipiatur, ac Metropolitani, quo jure Aquilejensis Episcopus absque controversia fruebatur. Henricus Palladius alia via ad Patriarchatum Aquilejensem stabiliendum incedit, con-

Demarcha differt. de Primatibus numer. 20. sequentibus.

Pallad. hist. Forojul. l. 5.

JESU CHR. AN. 570.

contenditque ea prærogativa eum Episcopum ornatum fuisse ab ipso Marco Petri discipulo, qui illuc primus evangelium prædicavit, & sicuti Alexandrinam ecclesiam ab eo fundatam Patriarchico decoravit honore, potiori jure Aquilejensis ecclesia, utpote primogenita, decoranda fuit, cui sententiæ Ughellus subscribit. At hæc fabulæ potius sunt, non argumenta ad demonstrandam Aquilejensis Patriarchatus originem, ne dicere velimus, quotquot a D. Petro, vel ejus discipulis fundatæ sunt ecclesiæ, Patriarchico honore fuisse insignitas, quod absurdissimum esse nemo non videt. Cum igitur nullo argumento antiquitas Patriarchatus Aquilejensis demonstretur Baronii opinio ceteris præferenda videtur, qua ejusdem tituli originem ex schismate ob tria capitula conflato repetendam esse putat, atque in Baronii opinionem subscribunt clarissimi, & eruditissimi viri Lupus, Bollandus, Norisius de synodo quinta, ubi in ejusdem quæstionis elucidationem plura lector inveniet; vide etiam clarissimum P. Derubeis Ordinis prædicatorum, ubi monumenta ecclesiæ Aquilejensis illustrat.

Ughellus to. 5. Itali sacræ

Noris. de syn. 5. c. 10.

Bolland. die 8. Febr. vita S. Honorati. Lupus comment. in syn. 5. c. 6.

Liuba Gothorum Rex, & Theodomirus Svevorum in Hispania moriuntur.

4. Hoc anno Liuba Gothorum in Hispania Rex, anno regni sui tertio mortuus est, sicque Leovigildus ejus germanus universo potitus est Regno. Unde Blicariensis ad annum Justini quartum refert Theodomirum Svevorum Regem catholicum ac pium, filio Ariamiro sive Miro, quem precibus S. Martini ex diuturno atque gravissimo morbo sanum acceperat, una cum pietate Regnum pariter reliquisse: de quo Gregorius Turonensis, rudi licet stylo, hæc narrat: *Et quia Florentiani Majoris memoriam fecimus; quid ab eo didicerim, nefas puto taceri. Tempore quodam causa Legationis Galleciam] adiit, atque ad Mironis Regis præsentiam accedens negotia patefecit injuncta. Erat enim eo tempore Miro Rex in civitate illa, in qua decessor ejus basilicam S. Martini ædificaverat, sicut in libro primo hujus operis exposuimus. Ante hujus ædis porticum vitium camera extensa per traduces dependentibus uvis quasi picta vernabat. Sub hac enim erat semita, quæ ad sacras ædis valvas peditem deducebat. Cumque Rex sub hac præteriens camera hoc templum adiret, dixit suis: Cavete ne contingatis unum ex his botrionibus, ne forte offensam Sancti ejus incurratis: omnia enim quæ in hoc habentur atrio, ipsi sacrata sunt. Hoc audiens unus puerorum, ait intra se. Utrum sint hæc huic sancto consecrata.*

Greg. Turon. mirac. S. Martini lib. 4. cap. 7.

crata, an non, ignoro; unum scio, quia deliberatio animi mei est de his vesci. Et statim injecta manu, caudam botrionis cœpit incidere; protinusque dextera ejus adhærens cameræ, arente lacerto, diriguit. Erat autem mimus Regis, qui ei per verba jocularia lætitiam erat solitus excitare: sed non eum adjuvit cachinnus aliquis, neque præstigium artis suæ; sed cogente dolore, voces dare cœpit, ac dicere: succurrite, viri, misero; subvenite oppresso, relevate appensum, & S. Antistitis Martini virtutem deprecamini: quia tali exitu crucior, tali plaga affligor, tali incisione disjungor. Egressus quoque Rex, cum ea, quæ acta fuerant didicisset, tanto furore contra puerum est accensus, ut ejus manum vellet incidere, si a suis prohibitus non fuisset. Dicentibus tamen præterea famulis: Noli, Rex, judicio Dei tuam adjungere ultionem, ne forte injuriam, quam minaris puero, in te retorqueas. Tunc ille compunctus corde, ingressus basilicam, prostratus coram sancto altari, cum lacrymis preces fudit ad Dominum, nec antea a pavimento surrexit, quam flumen oculorum hujus paginam delicti deleret. Quo a vinculo, quo nexus fuerat, absoluto, ac in basilicam ingresso, Rex elevatur e solo: & sic recipiens incolumem famulum, palatium repetivit. Testatur autem Major præfatus, hoc se ab ipsius Regis relatione, sicut actum narravimus, cognovisse. Hucusque Gregorius. Hisce Deus miraculis recens credentem Regem voluit admonuisse, quod non sine divina ultione peccant, qui vel minimum quidpiam e rebus Ecclesiæ auferunt, quæ vel servientium usui, vel pauperum alimoniis sunt destinatæ. Quomodo autem idem Rex, paterno exemplo duo Concilia, Bracharense videlicet, atque Lucense congregaverit, suo loco dicemus.

Anastasius Antiochiæ Episcopus in exilium pulsus.

5. Ex Occidente in Orientem transimus, ubi hoc anno Anastasius Antiochenus Episcopus in exilium ejectus est, cum annos XI. ab anno scilicet 559. quo ordinatus fuerat, ad labentem, eam ecclesiam administrasset. Duplici de causa Justini Imperatoris bilem in se commoverat Anastasius, cum etenim Joannes CP. Episcopus Joannem Alexandrinum Episcopum anno superiori ordinasset, eaque de causa ad Anastasium, ut moris erat, synodicas epistolas scripsisset; Anastasius ordinatum æque ac ordinatorem durissimis verbis redarguit Joannem CP. Episcopum, eo quod Euty-

chi-

JESU CHR. AN. 570. chio legitimo Patriarcha in exilium pulso, CPolitanam sedem ipse occupasset, Joannem alterum Alex. Episcopum ordinatum, eo quod ab illegitimo Episcopo, ut ipse dicebat, se ordinari passus fuisset: *Eodem anno*, ait Teophanes, *Magnus Anastasius Episcopus Antiochiæ, cum in responsione sua ad synodicas epistolas reprehendisset Joannem CP. Episcopum, qui Joannem Alexandriæ Episcopum ordinaverat, & eum, qui ab illo fuerat ordinatus, simul perstrinxisset, pulsus est e suo Episcopatu ob indignationem Justini, & in ejus locum Gregorius monachus, & Bizantiorum monasterii Apocrisarius promotus*. Alteram causam, cur Justinus in Anastasium commotus fuerat, eam fuisse ait Evagrius, quod sacram pecuniam in superfluos usus profudisset, tum quod ipsi convitiatus esset. *Nam cum interrogatus fuisset Anastasius, cur adeo perfuse sacram pecuniam dilapidaret, diserte responderat, ne a Justino, communi peste ac pernicie generis humani diriperetur &c.*. In ejus locum Gregorius ordinatus est, quem Evagrius multis exornat laudibus, utpote qui ab ineunte ætate in disciplina monastica exercitatus, ad summos gradus pervenerat, & Monasterii Byzantiorum tunc præfectus, in quo monasticum vivendi genus primum amplexus fuerat. Postea vero Justini jussu, Monachis etiam Sinæ montis præfectus fuit. Quo in loco obsessus ab Arabibus, quos Scenitas vocant, gravissima subierat pericula. Ad Antiochenam vero sedem evectus, multa ac mira gessit, itaut omnibus acceptissimus esset: *Quippe qui*, ut post plurima subdit Evagrius, *& aspectu esset admirabilis, & in colloquiis ob leporem jucundissimus: ad rem confestim intelligendam acutus, si quisquam alius; & ad agendam promptissimus, ad optimum consilium eligendum, & ad judicandum, tum de suis, tum de alienis negotiis, solertissimus. Itaque tot ac tantas res perfecit, cum nihil umquam in crastinum differret &c.* Hæc & alia de Gregorio Evagrius.

Christiani incolæ majoris Armeniæ Justini Imp. auxilium implorant. *Evag. lib. 5. cap. 7.*

6. Eodem tempore, quo Gregorius Antiochenus Episcopus est ordinatus, cum christiani, qui majorem Armeniam incolebant, a Chosroe Persarum Rege fidei christianæ causa dira paterentur, Justini Imp. auxilium, legatione missa, postularunt, ut narrat Evagrius ad annum primum Pontificatus Gregorii. Cum itaque majoris Armeniæ Christiani a Persis graviter vexarentur, præcipue: *Clam Legatos*, ait Evagrius, *ad Justi-*

Justinum miserunt, rogantes ut Romanorum ditioni subjicerentur, quo libere absque ullo impedimento, divini cultus cæremonias peragerent. Quam Legationem cum admisisset Justinus, & conditiones quasdam scriptis proditas approbasset, gravique jurejurando confirmasset, Armenii præfectos suos necarunt, & universi Romano Imperio se se adjunxerunt, una cum finitimis, quos sibi sociaverant, tam ejusdem gentis, quam alienigenis, Duce Vardane, qui apud ipsos genere ac dignitate, & rei militaris peritia eminebat. His de rebus cum Chosroes conquestus esset, Justinus Legatos ejus cum hoc responso dimisit, terminatam esse pacem, quæ inter ipsos facta fuerat, nec fieri posse, ut Christiani Christianos belli tempore ad se confugientes rejicerent. Et hæc quidem respondit Justinus. Nec tamen se ad bellum gerendum paravit: sed consuetis deliciis immersus, libidinibus suis cuncta postponenda esse ducebat. Eadem narrantur a Blicariensi Abbate, ad annum Justini primum, quæ labenti facta sunt: *Armeniorum gens*, ait, *& Iberorum, qui a prædicatione Apostolorum Christi susceperunt fidem, dum a Chosroe Persarum Imperatore ad culturam idolorum compellerentur, renuentes tam impiam jussionem, Romanis se cum provinciis suis tradiderunt, quæ res inter Romanos, & Persas pacis fœdera rupit.* Porro justam hanc defectionis causam fuisse ostendunt pacta inita anno 561. Justinianum inter, & Chosroen, in quibus nominatim de religione christiana servanda cautum fuerat. Eadem habet Theophanes Bizantius in excerptis de legationibus, sed pluribus Menander Protector, qui legationem a Chosroe ad Justinum anno sequenti ea de causa missam refert; quæ cum irrita fuerit, hinc bellum Romanos inter, & Persas exortum est, quod Romanæ Reipubblicæ infelicissimum fuit, ut sequentibus annis videbimus.

JESU CHR. AN. 571.

Armeni ad Romanos transeunt.

Tom. 1. hist. Bizant.

JESU CHRISTI AN. 571. JOANNIS 3. PAPÆ 12. JUSTINI IMP. 7. ALBOINI LONGOBARDORUM REG. AN. 4.

1. Annus Christi quingentesimus septuagesimus primus postcoss. Justini quintus, indict. 4. Italiæ, ac Galliæ infaustus fuit ob luem inguinariam, de qua Marius ad annum Justini quintum indict. 4. hæc habet: *Infanda infirmitas, atque glandula, cujus nomen est pustula, innumerabilem populum devastavit in supradictis regionibus*; ideft in Galliis, & Italia. Hanc

Lues in Italia, & Gallia sævit.

Jesu Chr. An. 571. *Basnag. an.* 571. 1.

Hanc luem cum altera, quæ Italiam anno 565. afflixit, confundit Basnagius, ac sexennii Procronismo Baronium arguit. Ex Paulo tamen Diacono constat Basnagium falli, ac unam ab altera distinguendam esse. Prima enim Italiam tantum vexavit, ac eo tempore sæviit, quo Justinianus vivere desiit, eamque S. Gregorius, qui hisce diebus Romanam Præturam sive Præfecturam exercebat, fuisse asserit temporibus Narsetis, ideoque inguinaria lues, de qua Marius ad annum Justini quintum indict. 4. agit, diversa omnino fuit ab altera, de qua Paulus Diaconus; hoc enim anno, nec Justinianus, imperabat, neque Narses Italiæ præfecturam gerebat. Insuper ea Italiæ limites non excessit; hæc vero per Galliæ provincias quoque grassata est. Cujus sæpe meminit Gregorius Turonensis, dum aliquot urbes Sanctorum precibus ab eo morbo immunes fuisse refert, ac inprimis Beati Remigii protectione, ad cujus sepulchrum Rhemenses cives confugerant, orationibus, hymnisque intenti, ac cereis lychnisque accensis cum pallam ex ejusdem sepulchro ablatam per urbem circumduxissent, obtinuerunt, ut ab morbo, & periculo liberarentur, ut ibidem videre est.

S. Nicetius liberat Treverenses ab inguinaria.

2. Quomodo autem Treverensis etiam civitas ab eadem ingruente tunc lue fuerit liberata per S. Nicetium hoc tempore ejus loci Episcopum, narrat in libello, quo ejusdem Sancti res gestas prosecutus est, his verbis: *Cum lues inguinaria Trevericum populum in circuitu civitatis valde vastaret, & Sacerdos Dei pro ovibus commissis Domini misericordiam imploraret assidue; factus est sonus de nocte magnus tanquam tonitruum validum super pontem amnis, itaut putaretur urbs ipsa absorberi. Cumque omnis populus exterritus in lectulis resedisset, lethiferum sibi interitum operiens; audita est in medio vox una ceteris clarior, dicens: Et quid hic, o socii, faciemus? Ad unam enim portam Eucharius sacerdos observat, ad aliam Maximinus excubat, in medio versatur Nicetius: nihil hic ultra prævalere possumus, nisi sinamus hanc urbem eorum tuitioni. Hac audita voce, statim morbus quievit, nullusque ab eo ultra defunctus est. Unde non ambigitur, virtute memorati Antistitis fuisse defensam.* Hæc Gregorius de eadem agens inguinaria lue. Quomodo etiam precibus S. Galli Episcopi populus Avernensis sit liberatus, idem auctor pluribus prosequitur ibidem videnda. De gestis in ecclesia vix hoc anno dicen-

Greg. hist. Fr. lib. 4. cap. 5. & in Vita S. Galli.

S. Gallus liberat Arvernenses ab inguinaria lue.

dicenda supersunt, quo Macarius secundus Hierosolymitanus Episcopus vita functus est, & Joannem successorem habuit, qui eam sedem per annos 24. tenuit usque ad annum 595.

JESU CHR. AN. 572. Macarius Hierosolym. Episc. obiit Joannes succedit.

3. Hoc etiam anno bellum Romanos inter & Persas inceptum est, quod per annos viginti, ad annum usque 591. prorogatum est, ut narrat Theophilatus. Nil tamen memoria dignum hoc anno gestum est; unde ad sequentem oratio dilabitur.

De bello Persico. *Theophylatus lib. 3. cap. 8.*

JESU CHRITI AN. 572. JOANNIS 3. PAPÆ 13.
JUSTINI IMP. 8. ALBOINI LONGOBARDORUM REGIS 5.

Alboinus Ticino potitur.

1. Quingentesimus septuagesimus secundus Christi annus sequitur postcoss. Justini sextus, quo Alboinus Longobardorum Rex, post triennalem Ticinensis urbis obsidionem, ea tandem potitus est, uti Paulus Diaconus narrat: *Ticinensis civitas per tres annos & aliquot menses obsidionem perferens, tandem se Alboino tradidit, & obsidentibus Longobardis. In quam cum Alboinus per portam, quæ dicitur Sancti Joannis, ab Orientali urbis parte introiret, equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus stimulatus, quamvis bine inde a stratorio verberibus cæsus, non poterat elevari. Tunc quidam de Longobardis ita Regem allocutus est: Memento Domine Rex, quale votum vovisti: Frange tam dirum votum, & ingredieris in urbem. Vere enim Christianus est populus in hac Civitate. Siquidem Alboinus voverat, quod universum populum, qui se dedere noluerat, gladio extingueret. Qui postquam tale votum disrumpens, veniam promisit; mox equo surgente, civitatem ingressus, in sua promissione permansit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theodoricus construxerat corruens, post tantam miseriam, de spe jam fidens, cœpit animum ad meliora futura levare.* Hæc Paulus Diaconus, ac subdit Alboinum insidiis uxoris, postquam annos tres, menses sex in Italia regnasset, obiisse; at unde initium duxerit Italici Regni ab Alboino suscepti, scilicet an ab ejus in Italiam ingressu, an ab occupato Mediolano, ignoratur. Unde de anno Alboini ultimo diffident inter se veteres, ac recensiores historici. Alii enim anno superiori eum obiisse scribunt, alii anno sequenti, aut etiam anno 574. Sigeberti, & Hermanni in fusiori chronico aucto-

JESU CHR. AN. 572. ritate ducti. In re dubia, tres annos cum sex mensibus, quibus Alboinus Italicum Regnum tenuit, ab eo tempore, quo Liguriam cum Mediolano occupavit, ac Ticinum obsidere cœpit, auspicamur; ac Alboini mortem cum labenti anno alligamus, una cum Mario Aventicensi. Tragicum Alboini obitum non aliis, quam Pauli Diaconi verbis exponi potest, ut & Alboini feritas, & uxoris eius perfidia patere possit.

Alboinus Rex Conjugis insidiis occiditur. Paul. Diac. cap. 28.

2. *Causa autem interfectionis ejus hujusmodi fuit. Cum in convivio ultra quam oportuerat, apud Veronam lætus resideret, cum poculo, quod de capite Chunimundi Regis sui soceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam ut cum Patre suo lætanter biberet invitavit. Hoc ne cui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor: ego hoc poculum vidi in quodam die festo Ratichis Principis, ut illud convivis suis ostentaret, manu tenentis. Igitur Rosimunda (id erat uxori Alboini Regis nomen) ubi rem animadvertit, altum concipit in corde dolorem, quem compescere non valens, mox in mariti necem, patris cædem vindicatura exarsit; consiliumque mox cum Helmige, qui Regis Scilpor, idest Armiger & collactaneus erat, ut Regem interficeret iniit. Qui Reginæ suasit, ut Peredeum, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium ascisceret. Cum vero Peredeus Reginæ suadenti tantum nefas consensum adhibere nollet; illa se nocttu in lectulo suæ vestiariæ, cum qua Peredeus stupri consuetudinem habuerat, supposuit: ubi Peredeus inscius fraudis cum Regina concubuit. Cumque illa, patrato jam scelere, ab eo quæreret quam se esse existimaret: & ipse nomen suæ amicæ, quam esse putabat, nominasset: Regina subjunxit: Nequaquam est ut putas, sed ego Rosimunda. Certe nunc, Peredee, rem talem perpetrasti, quod aut tu Alboinum interficies, aut ipse te suo gladio extinguet. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & quod sponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus assensit. Tunc Rosimunda, dum se Alboinus in meridie sopori dedisset; magnum in palatio silentium fieri præcipiens, omnia alia arma subtrahens, spatham illius ad lectuli caput, ne tolli, aut evaginari posset, fortiter colligavit, & juxta consilium initum, Peredeum, & Helmigem interfectores, omni bestia crudelior, introduxit. Alboinus subito de sopore experrectus, malum quod imminebat intelligens; manum citus ad spatham porrexit, quam strictius ligatam*

gatam, cum trahere non valeret, apprehenso scabello suppedaneo, se per aliquod tempus defendit. Sed heu, proh dolor! vir bellicosissimus & summæ audaciæ, nihil contra hostem prævalens, quasi unus de inermibus interfectus est, uniusque muliercula consilio periit, qui per tot hostium strages in bello fortunatissimus extitit. Hic finis Regis Longobardorum, qui invasit Italiam, & tot malorum, quæ sunt subsecuta, primus extitit auctor. Subdit vero Paulus diaconus de fuga Rosimundæ ad Romanos Ravennam, cum Helmige, simulque cum Longobardorum Regis thesauro.

Rosimundæ Reginæ, & Helmigis obitus.

3. Sed quæ utrumque sint consecuta mala Rosimundam, & Helmigem, ab eodem sic breviter accipe: *Tunc Longinus Præfectus erat is missus ab Imperatore Hexarchus, morabaturque Ravennæ, suadere cœpit Rosimundæ, ut Helmigem interficeret, & ipsius se nuptiis copularet. Illa ut erat ad omnem nequitiam facilis, cum affectaret Ravennatium dominam fieri, ad tantum facinus perpetrandum assensum præbuit: atque dum Hemilgis se in balneo abluerat egredienti mortis poculum, quod salutare asseruit, propinavit. Ille ubi sensit se mortis poculum bibisse, Rosimundam (evaginato gladio super eam) quod reliquum erat bibere coegit. Sicque omnipotentis Dei judicio Regis interfectores nequissimi uno momento perierunt.* Hucusque Paulus: quibus vidisti repræsentatam de Rege, atque Regina tragædiam: ita plane agente Deo vindice, ut qui innoxios populos crudeli cæde depascerent, in se ipsos suam ipsorum sævitiam retorquerent. Successit post Alboinum Clephis Rex, tenuitque Regnum annum unum, & menses quinque, qui vix memoria dignum quidquam egit.

Clephis Rex Longobardorum.

Synodus Bracharensis secunda.

4. Hoc anno Bracharensis synodus secunda celebrata est; anno secundo Regis Mironis (qui anno 570 Svevorum Regnum, mortuo Theodomiro Patre seu Ariamiro, adeptus fuerat) in cujus præfatione sic legitur: *Regnante Domino Jesu Christo æra 610. anno secundo Regis Mironis, die Kal. Juniarum*, (in aliis Codicibus legitur Januariarum, vel Majarum). Ei interfuere Martinus Bracharensis tunc Metropolita, qui ex Dumiensi ad eam ecclesiam translatus, synodo præfuit, & Ditigisius Lucensis ecclesiæ Metropolita, cum aliis decem Episcopis, qui cum præfati Regis jussu in Metropolitana Bracharensi convenissent, eos Martinus ad ec-

JESU CHR. AN. 572. clesiæ disciplinam instaurandam hortatus est, eoque monente superioris concilii Bracharensis canones, & epistola lecta est. Deinde ex epistola Petri Apostoli ea ad pastores verba lecta sunt, quibus eos admonet: *Seniores obsecro consenior, pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, nec ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo, ut cum apparuerit princeps Pastorum, recipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.* Canones deinde decem conditi sunt, quorum primo cautum est, ut Episcopi Diœceses excurrentes, discutiant Clericos quomodo baptismi, vel missarum, aliaque ecclesiæ officia peragerent, ac officia sua ignorantes edoceant. 2. Nullus Episcoporum ambulantium per Diœceses, præter honorem Cathedræ suæ, idest, duos solidos aliquid aliud per Ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi requirat, quæ luminariis Ecclesiæ destinatur. 3. Pro ordinationibus munera nulla accipiantur 4. Pro balsamo, quod benedictum pro baptismo per Ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur. 5. Pro Ecclesiarum consecratione nil muneris Præsules a Fundatoribus requirant, oblatum tamen non respuant. Ecclesiam non dedicent, nisi dotis chartula firmetur. 6. Basilicam eo consilio extructam, ut quidquid de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat ædificator, nullus Præsulum consecret. 7. Quod pro baptismo voluntarie offertur, a Clericis accipiatur; nullum vero pignus violenter tollatur, quia pauperes hoc timentes, filios suos a baptismo retrahunt. 8. Qui Clericum fornicationis accusat, absque duobus, vel tribus testibus, excommunicatione plectatur. 9. Superventurum anni Pascha, quoto Cal. die, vel quota luna debeat celebrari, a Metropolitano nuncietur. Quod Clerici breviculo subnotantes, Natalis festo, astanti populo post lectionem Evangelicam nuncient, ut introitum Quadragesimæ nullus ignoret: in cujus principio convenientes in unum vicinæ Ecclesiæ per triduum cum Psalmis per Sanctorum Basilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio die celebratis, hora nona, sive decima, Missis, præcipiant Quadragesimæ servare jejunia. 10. Ex Priscillianistarum errore presbyteri aliqui non jejuni missas pro mortuis celebrabant: *Ideoque si quis presbyter post hoc edictum nostrum, non*

Epist. 1. Petri cap. 5.

Missæ pro mortuis.

non jejunus, sed quocumque jam cibo percepto, oblationem consecraverit, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur Episcopo. Hactenus synodi Bracharensis canones, eaque se quatuor tantum Œcumenicas synodos recipere testantur, quinta prætermissa, quæ in Hispania nullam adhuc auctoritatem obtinuerat.

JESU CHR. AN. 572.

Martini Bracharensis Episcopi vitæ breviarium & opera.

5. Martinus Bracharensis synodi Præses natus erat in Pannonia, non vero in Italia, ut scribit Dupinius, unde Venantius:

Pannoniæ ut perhibent veniens e parte Quirinis
Est magis effectus Gallisueba salus.

Idipsum ejus epitaphium confirmat,

Pannoniis genitus, Galliciæ in præmium &c.

Cujus vitæ breviarium Isidorus in suo de scriptoribus ecclesiasticis commentario his verbis exhibet. Martinus Dumiensis monasterii Sanctissimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans, in Galliciam venit, ibique conversis ab Ariana impietate ad fidem Suevorum populis, regulam fidei, & sanctæ religionis constituit, Ecclesias informavit, Monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit.... Floruit regnante Theodemiro Rege Suevorum, temporibus illis, quibus Justinianus in Republica, & Athanagildus Hispanus imperium tenuere. Ad annum usque 581. vitam extendit suam, ut ex Gregorio Turonensi colligitur, qui Martini obitum in anno Childeberti quinto collocat. De cujus gestis, & obitu hæc adnotat Gregorius Turonensis. Hoc tempore & B. Martinus Gallicìensis Episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum. Nam hic Pannoniæ ortus fuit, & exinde ad visitanda loca sancta in orientem properans, in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur. Exinde Galliciam venit, ubi cum B. Martini reliquiæ portarentur, Episcopus ordinatur. In quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migravit ad Dominum.

Greg. Turon lib. 5. c. 37.

Martini Bracharensis Episcopi opuscula.

6. Inter ecclesiasticos scriptores adscribi meruit, nam præter carmina quædam, quorum Gregorius Turonensis meminit, extant ejusdem breves soluta oratione tra-

Jesu Chr. an. 573.

tractatus; prior de quatuor virtutibus, posterior de moribus. Ex Synodis Capitula octoginta quatuor confecit, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ usui essent. Octo & quinquaginta ad Episcopos, reliqua ad Laicos pertinent. Opus Nitigesio Lucensi Præsuli nuncupavit: Domino beatissimo atque Apostolicæ Sedis honore suscipiendo in Christo fratri, Nitigesio Episcopo, vel universo Concilio Lucensis Ecclesiæ Martinus Episcopus. Consilium auctoris utilitasque operis hæc Præfationis verba docent: Visum est, ut cum omni diligentia & ea, quæ per translatores obscurius dicta sunt, & ea, quæ per Scriptores sunt immutata, simplicius, & emendatius restaurem. Quoad res Orientales attinet, narrat Theophanes: *Hoc anno mensis octobris die sexto, adversa valetudine jactatus fuit Imperator. In proprium vero fratrem Badurium ira incitatus, extremis eum affecit contumeliis.* Erat Badurius Comes stabuli, cumque hæc ægre tulisset Sophia Justini uxor, a fratre veniam petiit Imperator, ut ad annum Justini octavum narrat auctor Miscellæ.

Justini gesta.

JESU CHRISTI an. 573. Joannis 3. Papæ 1. Justini Imp. 9. a Clephi Longob. Reg. s an. 1.

Joannis 3. Papæ obitus epist. eidem suppositæ.

1. Anno 573. indict. VI. Joannes tertius Romanus Pontifex postquam sedisset annos duodecim, menses undecim, & dies 26., vel 27. mortuus est, & in basilica B. Petri tertio idus Julii sepultus fuit. Ejus nomine duæ inscribuntur epistolæ, quarum una ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ data dicitur, Eoaldo Viennensi Episcopo altera, hanc ut genuinam recitat Baronius, rejicit ut adulteram alteram; at utramque ad suppositas Isidori mercatoris merces rejicimus. Quoad primam invictis argumentis id Baronius, Binniusque demonstrant; data quippe dicitur *Justino & Narsete Coss.* quorum nomine nullus annus notatus fuit. Alterum falsitatis indicium in eo est, quod Linum, & Cletum Romanos Pontifices, ad Coepiscoporum gradum dejiciat, quod sane antiquis ignotum fuit. Epistola altera Viennensi Episcopo inscripta, sine temporis nota, narrat larvatus Joannes Papa, diversum quidem Missæ ordinem apud Alexandrinam, Hierosolymitanam, Ephesinam, & Romanam ecclesiam in usu fuisse; at Romanum ritum a Viennensi ecclesia servandum esse jubet. Deinde

Deinde pallium una cum capillis S. Pauli Eoaldo Viennensi Episcopo se misisse narrat; extatque integra tomo sexto conciliorum Labbei pag. 606. Post Joannis obitum cessavit Episcopatus menses decem, dies tres, hinc Benedicti ordinatio anno sequenti contigit. Jesu Chr. an. 573.

2. Dum adhuc Joannes Papa viveret, quinimmo antequam in Italiam irrumperent Longobardi, Constantius Aquinas Episcopus defunctus est, quem prophetiæ spiritu claruisse narrat Gregorius: *Cujus inter multa hoc ferunt religiosi veracesque viri, qui præsentes fuerunt, quod in die obitus sui, cum a circumstantibus Civibus, utpote discessurus, Pater tam amabilis amarissime plangeretur; eum flendo requisierunt, dicentes: Quem post te Patrem habebimus? Quibus ipse Pater per prophetiæ spiritum respondit, dicens: Post Constantium Mulionem, post Mulionem Fullonem. O tu Aquina, & hos habes. Quibus Prophetiæ verbis editis, vitæ spiritum exhalavit extremum. Quo defuncto, ejus Ecclesiæ pastoralem suscepit curam Andreas diaconus illius; qui quondam in stabulis itinerum cursum servaverat equorum. Atque hoc ex hac vita subducto, ad Episcopatus ordinem Jovinus uccersitus est, qui in eadem civitate fullo fuerat. Quo adhuc superstite, itu cuncti habitatores civitatis illius, & barbarorum gladiis, & pestilentiæ immanitate vastati sunt, ut post mortem illius, ne quis Episcopus fieret, inveniri potuisset. Sic itaque completa est viri Dei sententia, quatenus post discessum duorum se sequentium, ejus Ecclesiæ pastorem minime haberet.* Hucusque Gregorius: quæ quidem cum sub Joanne Papa contigisse dicat, nec quoto ejus Pontificatus anno fint facta, referat, hic ad finem rerum gestarum ejusdem Pontificis collocavimus.

De obitu Constantii Episc. Aquinatis.

Longobardorum incursione plures Ecclesiæ desolatæ.

3. Labenti anno Laurentius junior Mediolanensis ecclesiæ Episcopus creatus est, qui ut in communionem catholicam reciperetur, ad Apostolicam Sedem libellum scripsit, quo se schismaticos aversari, & in causa trium capitulorum Romanæ ecclesiæ sententiam sequi testatus est. Quo libello complures Senatores Romæ subscripserunt, inter eos Gregorius, qui paucis ab hinc annis Romanus Pontifex est ordinatus, dum hoc tempore Urbanam gereret Præturam, de quibus idem Gregorius ad Constantium, Laurentii in ea sede successorem hæc habet: *Si quid de tribus capitulis in quocumque vel verbo, vel scripto nominatum est, bene fraternitas*

Laurentius junior Episcop. Mediol. creatur.

tas tua reminiscitur, quamvis decessor fraternitatis tuae Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicae remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt; inter quos, ego quoque, tunc urbanam Praeturam gerens, pariter subscripsi. An autem hanc suam de fide catholica cautionem, qua inter cetera tria capitula se aversari profitebatur, Laurentius ad Joannem, qui hoc anno (ut diximus) obiit, miserit, an ad Benedictum ejus successorem anno sequenti, prorsus ignoramus. Id tamen certum est, eum anno 592. obiisse. Quem etiam hoc eodem anno in Mediolanensem Episcopum ordinatum fuisse probat Mabillonius ex vetustissimo Mediolanensium Archiepiscoporum catalogo ex Ambrosiana bibliotheca edito, quo haec leguntur: *Laurentius sedit annos XIX. menses septem, obiit XII. Kal. Septemb. sepultus est in Genua ad Sanctum Syrum, vixit annis LXXXIV.* Atque haec diligentius adnotanda erant, cum Laurentii ordinatione tamquam face chronologica utantur passim eruditi viri ad dirigenda gesta Sancti Gregorii usque ad Pontificatum. De clarissimi itaque viri gestis acturis, adnotare juvabit, ejusdem vitam a Joanne Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono, post trecentos fere ab ejusdem obitu annos, primum exornatam fuisse, quam Joanni Pontifici, qui nono labente seculo Pontificatum tenuit, inscripsisse scimus. Alia extat brevior ejusdem Pontificis vita Paulo Diacono a clarissimis viris passim inscripta; eamdemque ex ipsius S. Gregorii scriptis, & epistolis summa diligentia, & eruditione exornarunt Maurini editores operum tanti Pontificis. Italice vero anno 1758. iterum in lucem edidit Franciscus a Puteo Veronensis, ac nostrae Congregationis Presbyter, ecclesiasticis litteris excolendis aprime addictus, ex quibus praecipue, quae ad annales illustrandos pertinent, data occasione excribemus.

De Gregorii origine & studiis.

4. Itaque de Gregorii gestis acturi usque ad hunc annum, quo urbanam exercebat Praeturam, de ejusdem origine, institutione, ac studiis pauca praemittimus, quem ex Senatoria familia genitum, patre Gordiano, & Silvia scimus pietate ac virtutibus praeclaris, itaut, ecclesiasticis etiam tabulis inter Sanctos Silviae nomen inscriptum sit. Inter majores suos Felicem Rom. Pontificem, hujus nominis quartum (ut ait Joannes Diaconus) Atavum suum idem Gregorius recenset. Inter amitas vero, idest Patris sui sorores, Tar-

Tarsillam, Emilianam, atque Gordianam commemorat; quarum duæ primæ in sancto virginitatis proposito, & bonis operibus intentæ perseverarunt, tertia vero, post sororum ad Deum transitum, abjecto virginitatis proposito, nubens, ad secularem vitam transiit. Sancte itaque, & inter sanctos educatus Gregorius optimam institutionem habuit, atque litteris excultus, & juris prudentia, Ecclesiæ, ac Reipublicæ muneribus exercendis dignus evadens, annumque agens 35. circiter Urbanam præturam gessit; diu tamen in his detineri non potuit, nam: *Devotus Deo ab adolescentia, ex rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit: septimum intra Urbis Romæ muros instituit: quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit, cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogavit, & qui ante serico contextus, ac gemmis micantibus solitus erat per Urbem procedere trabeatus, nunc vili contextus vestitu, ad Altaris Dominici ministerium consecratur, septimusque Levita ad adjutorium Papæ asciscitur. Tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis erat, ut infirmato stomacho vix consistere posset. Litteris grammaticis, dialecticisque, ac Rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus.* Ait Gregorius Turonensis.

S. Gregorius monasticam vitam amplectitur. *Greg. in Præf. Moralium.*

5. Qua ratione ex seculi pompis, & ex urbana Prætura ad monachalem transierit vitam, in Præfatione ad libros Moralium his verbis exponit, ad Leandrum Hispalensem Episcopum scribens: *Postquam cælesti sum desiderio afflatus, secularem habitum contemnere melius putavi. Aperiebatur mihi tunc de æternitatis amore, quod quærerem, sed insolita me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus, præsenti mundo, quasi specie tenus deservire; cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed (quod est gravius) mente retineret. Quæ tandem cuncta solicite fugiens, portam monasterii petii, & relictis quæ mundi sunt (ut frustra tunc credidi) ex hujusmodi naufragio nudus evasi.* Ædificatis jam in Sicilia sex monasteriis, septimum in paternis ædibus ædificavit ad Clivum Scauri, quod S. Andreæ dicebatur, postea ab ipso Gregorio nomen, quod hactenus retinet, habuit. Quo anno abdicata prætura urbana, monachum in-

Jesu Chr. an. 573. in fuerit, etsi certo statui non possit, verosimile tamen est, uno aut altero ab hinc anno id contigisse, quem diu in monasterio fuisse, non semel idem Gregorius his verbis testatur: *Diu mecum est in hac urbe in meo monasterio conversatus*, de Eleutherio scribebat, & de Mariano alibi: *Diu mecum in monasterio conversatus*. Si itaque diu in monasterio fuit Gregorius, antequam anno 580. inde avulsus ac CPolim missus, ut Romani Pontificis vices gereret, & Apocrisarii munere fungeretur, ut suo loco dicturi sumus, circa annum 573. ad monasticam vitam eum transiisse dicendum est, de quibus plura in Gregorii vita a Maurinis edita capite tertio, & quarto videri possunt.

Quam regulam S. Gregorius professus fuerit.

6. Quam regulam professus sit Gregorius, ac suo monasterio S. Andreæ tradiderit, an scilicet eam, quam S. Benedictus dictaverat, vel quam Æquitius in Valeria provincia Abbas servaverat, in incerto est. Benedictini quidem inter suos Gregorium inscribunt, ac Benedictinam regulam adoptasse scribunt; at Baronius, Gallonius, aliique Æquitii regulam eum elegisse contendunt, & sane non ex Cassinatibus, vel Sublacensibus monachis Abbatem suo monasterio elegit, sed Valentionem ex provincia Valeria, ubi Æquitii regula passim in usu erat. His adde non semel S. Gregorium suis monachis ea jubere, quæ cum Benedictina regula conciliari vix possunt. Exemplo sint ea, quæ in sua ad Anthemium epistola de novitiorum ætate adnotat, quos ante annos XVIII. in monasterio recipiendos non esse jubet: *Quia dura est in insulis Congregatio monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus*. At ea ætate minores Benedicti regula suscipiebat, capite 37.: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantium, tamen & regulæ auctoritas eis prospiciat*. Præterea ad Novitiorum probationem biennium Gregorius assignat: *Monasteriis omnibus fraternitas vestra interdicat districtius, ut eos, quos ad convertendum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare*. Benedicti autem regula vix probationis annum a Novitiis requirebat; nam capite 58. hæc leguntur: *Post sex mensium circulum, Novitio relegatur regula, ut sciat ad quid ingrediatur, etsi adhuc stat post IV. menses iterum legatur*, etsi

Gallonius de Monach. S. Greg.
Basnag. annali an. 581.

Greg. lib. 1. epist. 50.

etsi habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione. Quibus argumentis aut rationibus Benedictinæ regulæ defensores hisce objectionibus respondeant, nostrum non est per plura persequi, nec tamquam judices in hac ab eruditissimis viris agitata quæstione sedere volumus, apud Baronium, Gallonium, Mabillonium quæcumque pro utraque parte afferri solent, lector facile inveniet. Nos interea ex Sancto Gregorio Romano ad alterum Gregorium, Turonensem scilicet, stylum convertimus. JESU CHR. AN. 573.

7. Hoc anno Gregorius Turonensis Episcopus est ordinatus, ac Euphronio successit, qui eam ecclesiam per annos 17. sanctissime administraverat, cujus laudes non uno loco celebrat Fortunatus, ejusque memoria die quarta Augusti ab ecclesia celebratur. Ordinationis suæ annum his verbis designat ipse Gregorius: *Sigeberto gloriosissimo Rege duodecimo anno Regnante post excessum S. Euphronii, non meo merito, cum sim conscientia teterrimus, & peccatis obrutus, sed tribuente fideli Deo, qui vocat ea, quæ non sunt, onus Episcopale indignus accepi*. Sigebertus autem Regnum anno 561. exorsus fuerat, ideoque ejusdem annus duodecimus cum labenti 573. concurrebat. In Arvernensi provincia Patre Florentio, matre Armentaria genitus erat Gregorius, cujus egregias virtutes cum nobilitate conjunctas Fortunatus celebravit; sub Patruo Gallo & Avito Arvernensi Episcopo litteris, & pietate navavit operam, Monachalem deinde disciplinam amplexus, cum plurimum in ea profecisset, post Euphronii obitum, ab Ægidio Rhemensi Episcopo Turonensi ecclesiæ præficitur, cujus Episcopatus initia his versibus celebravit Fortunatus.

Euphronii Turon. Episcop. obitus, cui succedit Gregorius.

Fortun. carm. lib. 5.

Plaudite felices populi nova vota tenentes,
Præsulis adventu reddite vota Deo.
Hoc puer exortus celebret, hoc curva senectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, urbis amator:
Munere pastoris lætificentur oves.
Sollicitis oculis, quem prospera vota petebant,
Venisse aspiciant, gaudia festa colant.
Jura sacerdotis merito reverenter adeptus
Nomine Gregorius pastor in urbe Gregis &c.

Hh 2 8. Quid

JESU CHR. AN. 573.

Greg. Turon de mirac. S. Martini l. 2. cap. 1. De miraculis S Martini lib. 2. cap 1.

8. Quid autem ei contigerit mense secundo a die ordinationis ejus, idem ipse his verbis narrat. *Mense secundo ordinationis meæ, cum issem in Urbem, incurri dyssenteriam cum febre valida, & taliter angi cœpi, ut imminente morte, vivere omnino desperarem &c.*, cum itaque nulla spes superesset: *Vocavi*, inquit, *armentarium archiatrum, & dico ei: Omne ingenium artificii tui impendisti, pigmentorum omnium vim probasti, sed nihil proficit. Perituro ex sæculo unum restat quod facias: magnam tibi thiriacam ostendam: pulverem de sacratissimi Domini Martini sepulcro exhibe, & exinde inibi facito potionem; quod si hoc non valuerit, amissa sunt omnia evadendi præsidia. Tunc misso Diacono ad antedictum beati Præsulis tumulum, de sacrosancto pulvere exhibuit, dilutumque mihi porrigunt ad bibendum. Quo hausto, mox omni dolore sedato, sanitatem recepi de tumulo: in quo tam præsens fuit beneficium, ut cum datum fuerit hora tertia, incolumis procederem ad convivium ipsa die hora sexta.* Hæc ipse de pulvere sacro; idemque inferius ex pulvere eodem alios curatos fuisse tradit, sicut ex cereolis ad sepulchrum sancti incendi solitis. Audi vero quæ de velo, ligno-que cancelli sepulchri ejusdem sancti se miracula sensisse testatur. *Nuperrimo autem tempore (inquit) ventris dolorem incurri: & licet non usquequaque dabat solutionem, tamen doloris malum in illis intraneorum flexuosis recessibus bacchabatur. Adhibui, fateor, sæpius balnea, atque res calidas super ipsas alvi torturas ligari faciebam: sed nihil mederi poterant infirmitati. Sexta enim dies illuxerat, quod magis ac magis dolor invalescebat: cum mihi venit in mentem, ante paucos annos (sicut in libro secundo hujus operis continetur scriptum) me ab hoc dolore sancti virtute fuisse sanatum, accessi haud temerarius ad locum sepulcri, projectusque solo orationem fudi, atque secretius a pendentibus velis uno sub vestimento injecto filo, crucis ab hoc signaculum depinxi. Propitius dolore sedato, sanus abscessi.* Iterum de se ipso hæc addit. *Quodam vero tempore lingua mihi graviter obriguerat, ita ut plerumque dum loqui vellem, balbutire me faceret: quod non mihi sine improperio erat. Accessi autem ad tumulum sancti, ac per lignum cancelli linguam impeditam traxi. Protinus tumore composito, convalui. Intumuerat enim valde, & totum palati impleverat antrum. Deinde post*

Greg. Turon. mirac. S. Martini lib. 4. cap. 1., & 2.

post diem tertium labium mihi exilire graviter cœpit. *Accessi iterum quærere sanitatem ad tumulum: tactusque a dependentibus velis, protinus stetit venæ pulsus*. Hæc Gregorius de his, quæ ipse expertus fuerat. Quibus quis non magnopere Dei potentiam prædicet in sanctis suis, dum non ex anima tantum in cælo beata, aut ex corpore humi sepulto, sed etiam ex pulvere circa sepulcra Sanctorum consperso, exque velorum contactu, lignisque cancelli Fideles hauriant sanitatem? At de his satis, quæ de Gregorio dicenda supersunt, inferius reservamus. Jesu Chr. an. 573.

9. Labentem annum non solum S. Gregorii ordinatio illustrem reddidit, sed etiam synodus Parisiensis quarta, cujus apud Gregorium Turonensem tantum mentio occurrit his verbis. *Cum autem contentio inter Gunthramnum, & Sigebertum Reges verteretur, Gunthramnus Rex apud Parisios omnes Episcopos Regni sui congregat*. Cui Episcopi 32. interfuere, non 29. ut habet Dupinius, quorum plurimi sanctitate floruere: habita ea est *in Basilica S. Petri, sub die tertio idus septembris, indictione sexta*, ad quem locum notant eruditi diversum fuisse indictionum initium apud Romanos, Gallos, Germanos, & Anglos. Primi indictionis numerum Kal. Septemb. mutabant, ceteri octavo Kal. Octobris idest die 24. mensis Septembris: nil mirum itaque si idibus septembris sextam adhuc indictionem numerarunt Galli, quæ apud Romanos septima erat. Ea etiam synodo de ordinatione Promoti in Dunensem Episcopum actum est, quem Ægidius Remensis Episcopus extra suam Diæcesim ordinaverat. Synodo itaque libellum supplicem ea de causa Pappolus Carnotensis Præsul obtulit, quo hæc habentur: *Post aliquot dies presbiter quidam Promotus nomine inlicita præsumptione parochiam meam cui vocabulum est Duno, quasi sub nomine Episcopatus visus est pervasisse*. Rogabat ergo, ut hæc irrita declararentur, cujus causam cum cognovisset Synodus, Ægidio scripsit, ut Promotum ad se vocatum retineret, sciretque quod si Presbiter ille in Dunensi Ecclesia deinceps auderet residere, altaria benedicere, infantes confirmare, Pappulo resistere, perpetuo quidem anathemate percussus fuisset, quicumque vero de plebe post vulgatum edictum Promoti benedictionem accepisset, Ecclesiæ consortio carebit: Epistolam quoque Sigeberto dederunt, ne Canonum

Synodus Parisiensis 4.

Dupin. sæcul. 6. pag. 508.

Promotus Episcopatu ejicitur.

Jesu Chr. an. 573. num violationem auctoritate sua defenderet. Episcopis tamen non annuit Sigebertus, apud quem Promotus gratia plurimum valebat, ac ad Regis usque obitum Episcopali munere functus est, ut testatum faciunt verba Gregorii: *Promotus, qui in Dunensi Castro, ordinante Sigeberto Rege, Episcopus fuerat institutus, & post mortem Regis amotus fuerat, eo quod Castrum illud esset Diœcesis Carnotenæ*. Interfectus est vero Sigebertus anno 575.

Greg. lib. 7. cap. 17.

10. Nunc pauca de dissidiis Chilperici, ac Sigeberti Francorum Regum addimus, quorum causa eorum Frater Gunthramnus arbiter intercessit, & sui Regni Episcopos, ut hæc dissidia componerent, congregavit, sed irrito conatu, nam teste Gregorio: *Ut bellum civile in majore pernicitate cresceret, eos audire* (Episcopos scilicet) *peccatis facientibus distulerunt*. Et cum armis cœpissent, armis perfecerunt; quot autem strages editæ sint, postquam Chilpericus per filium Gundebaldum prope Pictavium Sigebertum vicit, Gregorius sic narrat: *Sed & Turonicam regionem maxima parte incendit, & nisi ad tempus manus dedissent, totam continuo debellasset. Commoto autem exercitu, Lemovicinum, Cadurcinum, Cadurcium, vel reliquas illorum provincias pervadit, vastat, evertit, Ecclesias incendit, ministeria detrahit, Clericos interficit, Monasteria virorum dejicit, puellas deludit, & cuncta devastat, fuitque illo in tempore pejor in Ecclesiis gemitus, quam tempore persecutionis Diocletiani*. Hæc deplorans Gregorius mox exclamat in depravatos corruptosque mores Francorum Regum, de quibus (si Gunthramnum excipias, qui ab eo ut pius celebratur) aptari ea jure possunt, quæ insignis Poeta cecinit.

Sed & illa propago
Contemptrix Superum, sævæque avidissima cædis, & violenta fuit &c.

Recurramus, ait Gregorius, *ad illud quod parentes eorum egerunt, & isti perpetrant. Illi post prædicationem sacerdotum de fanis ad Ecclesias sunt conversi; isti quotidie de Ecclesiis prædas detrahunt: Illi sacerdotes Domini ex toto corde venerati sunt & audierunt: isti non solum non audiunt, sed etiam persequuntur. Illi Ecclesias, & monasteria ditaverunt*

runt? isti eas diruunt & subvertunt. Hæc & alia plura Gregorius, quæ longum esset exscribere. Jesu Chr. an. 574.

JESU CHRISTI AN. 574. BENEDICTI PAPÆ I. JUSTIN. IMP. 10. CLEPHI LONGOB. REGIS 2.

1. Septuagesimum quartum supra quingentesimum Christi annum ingredimur, ob varias clades Orientali, ac Occidentali Imperio illatas infaustum, quo Benedictus Papæ primus Romanus Pontifex est ordinatus, postquam Romana Sedes ob Joannis obitum, de quo anno proximo egimus, per menses decem, & dies aliquot, viduata remansisset. Benedictus porro a Græcis Bonosus est appellatus, de quo Anastasius hæc adnonat: *Benedictus natione Romanus ex Patre Bonifacio, sedit annos quatuor, menses decem, dies quindecim. Ejusdem tempore gens Longobardorum invasit totam Italiam, similique & fames nimia, ut etiam multitudo castrorum se traderet Longobardis, ut temperare posset inopiam famis. Quod cum cognovisset Justinus piissimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame, & mortalitate, misit in Ægyptum, & oneravit naves frumento, & transmisit Romam, & sic misertus est Deus Italiæ*. Tandiu autem novi Pontificis ordinatio dilata est, tum ob Longobardorum per totam Italiam incursiones, cum etiam, quia expectandus fuit, ex inolito jam abusu, Justini Imperatoris consensus, antequam novus Pontifex consecraretur.

Benedicti Papæ I. ordinatio.

Evag. lib. 5. cap. 11.

2. Clephis interea hoc anno sive Clebus, qui superiori anno Alboino successerat, postquam regnasset *annum unum & sex menses a servo* occisus est. De Clepho nil memoria dignum historici referunt, præter ipsius crudelitatem, ita ut nobilium plurimos morte affecerit. Unde Marius in Chronico *anno VII. Coss. Justini Jun. Aug.* indict. VI. Dux Longobardorum nomine Cleb, genti ipsius Rex est ordinatus, & plures Seniores, & mediocres ab ipso interfecti sunt. De ejus autem morte idem auctor ad hunc annum subdit: *anno VIII. . . . indict. VII. Clebus Rex Longobardorum a puero suo interfectus est*. Eo mortuo interregnum per annos decem fuit, interim triginta sex Duces partiti sunt sibi, quas in Italia occupaverant civitates. De Clephi morte & decennali Aristocratia audiatur Paulus Diaconus: *Longobardi apud*

Clephi Regis Longob. obitus.

Paul. Diac. ut sup.

JESU CHR. AN. 574. Triginta sex Duces Italiam partiuntur.

apud Italiam omnes communi consilio Cleph nobilissimum de suis virum in urbe Ticinensium sibi Regem statuerunt: Hic multos Romanorum potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbavit. Iste cum annum unum, & sex menses cum Massana sua conjuge Regnum obtinuisset, a puero de suo obsequio gladio jugulatus est. Post Clebi mortem Longobardi per annos decem Regem non habentes, sub Ducibus fuerunt. Unusquisque enim Ducum suam Civitatem obtinebat. Laban Ticinum, VVailari Bergamum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Gisulfus Forum Julii. Sed & alii extra hos in suis urbibus triginta Duces fuerunt.... Per hos Longobardorum Duces, septimo anno ab adventu Albuin, & totius gentis, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, Civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & a Longobardis subjugata est. Hactenus Paulus, qui hæc a Gregorio Turonensi desumpsit, nam ubi dixit Alboinum cum suis Longobardis Italiam petiisse, subjungit: *Quam regionem ingressi maxime per septem annos pervagantes, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, in suam redigunt potestatem.*

Greg. Turon. lib. 4. c. 35.

De persecutione Longobardorum.

3. Septennis hujus Aristocratiæ Italiæ tam infaustæ, ob innumeras acceptas Clades, initium Gregorius sumit a Longobardorum ingressu in Italiam. At verosimilius est sub Ducibus præcipue hæc facta fuisse. Vidimus enim supra Alboinum ad conciliandos sibi Italorum animos benignum se præbuisse; præcipue in Felicem Tarvisanæ ecclesiæ Episcopum. In hac itaque Longobardorum persecutione paulisper immoremur, ac primo cujus numinis cultores Longobardi essent videamus, quos christianos fuisse, sed Arianos non obscure Procopius indicat. Verum etsi non omnes, quamplurimos tamen adhuc Idololatras, & idolorum cultores fuisse, multa, quæ de ipsis a S. Gregorio Papa in Dialogis conscribuntur, ostendunt: unde hac ex parte sævior illis inerat adversus Christianos immanitas, & major in loca Sancta despectus, ut plane, quæ ante hac a barbaris passa Italia esset, tolerabilia videri potuissent. Ceterum eos etiam, qui inter ipsos erant Christiani, fuisse secta Arianos, Gregorius testatur, dum in Dialogis agit de Longobardorum Episcopo quodam Ariano. Eos autem temporis decursu ad Catholicam

Procop. de bello Goth. lib. 2.
Greg. in Evang. homil. 1. & dial. lib. 3. cap. 26. 28.

licam fidem conversos fuisse infra videbimus. Quod vero ad persecutionem ab eis concitatam spectat, S. Gregorius inter ecclesiæ persecutiones, has quoque a Longobardis tunc illatas ecclesiis Italiæ vexationes his verbis commemorat: *Sunt etiam portæ Inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, (nempe Longobardorum Populus) numquid non omnes istæ portæ inferi &c.?* Sed hujusmodi portæ inferi non prævaluerunt adversus Romanam Ecclesiam, neque adversus ipsam quidem Urbem, qua potiri unquam datum est Longobardis, ut Gregorius his verbis in epistola ad Rusticanam Patriciam testatur: *Si vero gladios Italiæ & bella formidatis: solicite debetis aspicere, quanta beati Petri Apostolorum Principis in hac Urbe protectio est, in qua sine magnitudine populi, sine adjutoriis militum, tot annos inter gladios illæsi, Deo auctore, servamur.* Hæc Gregorius tempore sui Pontificatus. Ceterum ut ingruentes ejusmodi possent abigere hostes, muneribus interdum Romani Pontifices eos avertebant ab Urbe; nam ad Constantinam Augustam hæc scribit: *Viginti autem jam, & septem annos ducimus, quod in hac Urbe inter Longobardorum gladios vivimus: quibus quam multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt.* Verum in Urbem licet non sint ingressi, in suburbana tamen omnia, quæ potuerunt damna intulerunt, ac ædificia, quæ constructa erant in sanctorum martyrum cœmeteriis, destruxerunt, ac demoliti sunt. Testatur id Paulus Romanus Pontifex in suo Constituto de erectione Ecclesiæ sanctorum Stephani, & Silvestri Romanorum Pontificum, cujus hæc sunt verba, ubi de cœmeteriis loquitur: *Igitur cum per evoluta annorum spatia, diversa Sanctorum Christi Martyrum, atque Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ Urbis sita Cœmeteria, neglecta antiquitus satis manerent diruta; contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes martyrum sepulcra, & impie devastantes, quorumdam Sanctorum secum depopulata auferentes deportaverunt Corpora. Et eo tempore omnino desidiose atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor. Nam (& quod dictu nefas est) etiam & diversa animalia in aliquantis*

Roma quæ passa a Longobardis.

Cœmeteria a Longobardis diruta.

JESU CH. AN. 574. *eisdem sanctorum cœmeteriis aditum habebant, & illic eorum existebant septa bovilia, in quibus fœtoris egerebant squallorem &c.*; ex quibus accidit, ut ad avertenda animalia in cœmeteriis stabulantia, eorum complurium fuerint aditus omnino clausi, ex quo & illud gravius accidit damnum, ut etiam ipsorum memoria omnino perierit: contigit vero sæpe diebus nostris, a vinitoribus, vel a fossoribus arenam fossilem eruderantibus aliquod detegi cœmeterium.

Longobardorum res haud exacte conscriptæ.

4. Quoniam vero, non sicut res Gothicas Procopius, ita Paulus per singulos annos grassationes Longobardorum prosecutus est, sed quamplurima prætermisisse constat, utpote qui, post ducentos & amplius annos, suam de Longobardis historiam scripsit, tempore videlicet Caroli Magni Imperatoris; neque antiquorum aliquis invenitur, qui in eo argumento versatus sit, si unum Gregorium excipias, qui de eorum persecutione suis scriptis quamplurima adnotavit, qui etiam eo certior atque exploratior, simulque fidelior haberi debet, cum præsertim res sua ætate gestas commemorat in libris dialogorum, cujusmodi ea sunt, quæ de Sancto Cerbonio Populonii Episcopo lib. 3. cap. 11. enarrat, aut libro 3. cap. 26. de Menna in provincia Samnii solitario, ad quem cum Longohardi advenissent, eorumque unus injuriam facere præsumpsisset, continuo per malignum spiritum vexatus est, ut eum imposterum ipsi Longobardi & timerent, & venerarentur. Gloriosior adhuc fuit triumphus, de Ariana perfidia erectus, cum Longobardorum Episcopus Arianus in urbe Spoletina catholicorum ecclesiam vi invadere præsumpsit; nam vix ecclesiæ limina perfidus homo attigit, cæcus repente evasit, atque alienis manibus ad suum habitaculum redire coactus est, ut cap. 29. ejusdem libri narrat. Cetera quæ de Sanctulo capite 37. ejusdem libri refert, etsi multa & mira, brevitatis studio præterimus, sicuti quæ libro quarto cap. 21. & 23., alibique passim, ibidem, vel apud Baronium videnda.

De Cassinensi monasterio S. Benedicti prædictio. *Greg. dial. lib. 2. c. 17.*

5. De excidio autem Cassinensis monasterii, cujus ruinam Benedictus Abbas prædixerat, hæc refert. *Vir quidam nobilis Theoprobus nomine ejusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conversus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die ejus cellam fuisset ingressus, hunc amarissime flentem reperit. Cum-*

Cumque diu subsisteret, ejusque non finiri lacrymas videret, (nec tamen vir Dei consueverat orando plangere, sed mœrendo) quænam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei illico respondit: Omne hoc monasterium, quod construxi, & cuncta quæ fratribus præparavi, omnipotentis Dei judicio Gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, ut mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cujus vocem tunc Theoprobus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modo a Longobardorum gente ejus monasterium scimus. Nocturno enim tempore, quiescentibus fratribus, nuper illuc Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem tenere potuerunt. Sed implevit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res Gentibus traderet, animas custodiret. Hæc Gregorius. Porro eosdem monachos inde pulsos Romam commigrasse, idem alibi tradit, Abbatesque numerat, qui ad ea usque tempora eidem monasterio præfuerunt, traditumque his fuisse Lateranense cœnobium incolendum affirmat.

JESU CHR. AN. 574.

Greg. dial. lib. 2. in prin.

6. Orientale vero Imperium Avarorum, Persarumque irruptionibus concussum est. De Avaris hæc narrat Theophanes: *Hoc anno in provincias Danubio conterminas grassati sunt Avares, quo cognito, Tiberium excubitorum Comitem adversus eos misit Imperator: Pugna cum Avaribus commissa, Tiberius ex improviso ab hostibus oppressus superatur, multisque e suis desideratis revertitur.* Eadem narrantur ab Evagrio, qui addit, Romanos milites barbarorum quidem aspectum sustinere vix potuisse, Tiberium vero pene ab hostibus captum, nisi divina providentia, præter omnium opinionem, eum e periculo eripuisset: de Avarorum victoriis agit Menander Protector, ubi legationem Avarorum Principis ad Justinum fusius describit, qua petebat, ut annuæ auri præstationes sibi penderentur, ac Sirmium sibi traderetur, cujus legatum Justinus contempsit, ac Tiberium adversus eos misit.

Avari in Rom. Imperium irruunt

Menand. hist. Biz. tom. 1. pag. 115. & 154.

7. De Persarum vero incursionibus pluribus agunt Evagrius, Theophilactus, aliique. Evagrius itaque narrata capite octavo Nisibis obsidione, quam cum obtinere non potuisset Marcianus Romanorum militum Dux, militari præfectura a Justino Imp. exutus est; interea Chosroes cum exercitu adveniens, non solum Nisibim a periculo liberavit, Ro-

Persæ Syriam devastant.

JESU CHR. AN. 574.

Romanosque inde ejecit, sed Antiochiam usque pergens; totam vastavit Siriam, etsi a Gregorio Antiocheno Episcopo ut caveret, admonitus fuisset Justinus. *Nam cum Episcopus Nisibis ei esset amicissimus, utpote qui maximis muneribus ab illo affectus fuisset, & alioqui contumeliam Persarum erga Christianos, quam perpetuo passi fuerant Christiani, molesto animo ferret, cuperetque, ut urbs sua in ditionem Romanorum veniret: quaecumque in hostico fiebant, ad Gregorii notitiam perferenda curabat, cuncta suo tempore significans. Quae quidem Gregorius continuo retulit ad Justinum, celerrimam Chosrois irruptionem nuntians. At Justinus, cum in consuetis voluptatibus assidue volutaretur, Gregorii litteras despexit, neque iis fidem habere voluit.* Unde de conscribendo exercitu, aut de bello parando nequidem cogitavit.

De expugnatione Apameae & Daras.

8. Nihilominus praeter expectationem Antiochia repulsus Adaarmanes post incensam urbem, quae olim quidem Heraclea, postea vero Galgalice noncupata est, Apameam deinde certis conditionibus occupavit, iisque violatis urbem incendit, bonisque omnibus direptis abscessit, cives omnes cum Episcopo eorum, & Provinciae Praefecto secum ducens, ac ad Chosroen rediit, in Darae expugnatione intentum: *Hoc modo Chosroes hyberno tempore urbem illam vi cepit, Joanne Timostrati filio, qui Urbi praeerat, parum de ea sollicito, immo vero eam prodente. Utrumque enim dicitur. Obsederat autem Urbem illam Chosroes quinque & amplius menses, nemine eam defendente. Cum igitur universos ex urbe eduxisset, immensum hominum multitudinem, & quosdam ex iis crudeliter illic mactasset, reliquos vero vivos servasset, urbem quidem, utpote opportune sitam, praesidio imposito munivit: ipse vero in regionem suam reversus est.*

Justinus Tiberium adoptat, & Caesarem dicit.

9. Cum haec accepisset Justinus, mente pene excidit, ac regendo Imperio impar effectus, Sophiae hortatu Tiberium adoptavit, ac Caesarem declaravit, Imperii curam in eum transferens. Is vero misso ad Chosroen Trojano ordinis Senatorii, pacem ab eo humillimis litteris petiit, quas Sophia Justini uxor scripsit, quasi ipsa Romani Imperii administrationem gereret; cui annuens Chosroes, cum in Romanorum ditionem jamjam invasurus esset, *trium annorum inducias pactus est in Orientis partibus. Cautum tamen, ne*

Arme-

Armenia simili conditione frueretur: quod bellum illic geri posset, nemine Orientales partes lacessente; ait Evagrius. Menander vero Protector addit, quadraginta quinque aureorum millibus triennales inducias a Romanis redemptas fuisse. Quo autem tempore ad Cæsaream dignitatem promotus est Tiberius, Orationem ad eum direxit Justinus, qua saluberrima ad eum de regendo Imperio consilia dedit, inter cetera: *Ne te in errorem inducat vestis tuæ magnificentia, nec pompa rerum, quæ sub aspectum cadunt. Quibus ego in fraudem inductus, imprudens extremis me suppliciis obnoxium reddidi. Sed tu errata mea corrigito, omni cum lenitate ac mansuetudine Rempublicam regens. Tum Magistratus digito demonstrans: Cave, inquit, ne his credas. Hi enim in hunc, quem vides statum me deduxerunt. Adjecit etiam ejusdem modi alia, quæ summam admirationem omnibus incusserunt, & immensam lacrymarum copiam elicuerunt.*

Tiberii mores & anni. *Evag. lib. 5. c. 11. & 13.*

10. De Tiberii autem Cæsaris corporis præstantia, & moribus adnotat Evagrius, eum oriundum ex Thracia corporis mole maxima, & proceritate staturæ venustissimum tamen omnium mortalium fuisse. Animo autem lenis, & qui primo statim intuitu cunctos comiter exciperet. Summas esse divitias existimabat, largiri omnibus, & erogare non ad necessitatem solum sublevandam, verum usque ad affluentiam. Neque enim quidnam accipere deberent poscentes considerabat, sed quid Imperatorem Romanum dare deceret. Aurum porro adulterinum censebat, quod cum lacrymis Provincialium collectum esset: *Quam ob rem unius anni tributum collatoribus remisit: & possessiones, quæ ab Adaarmane vastatæ fuerant, tributaria functione relevavit, non pro modo detrimenti, quod passæ fuerant, sed multo uberius atque prolixius. Remissæ sunt etiam magistratibus illegitimæ munerum oblationes, quibus antea Imperatores subditos suos illis vendere consueverant. Constitutiones quoque his de rebus scripsit, posterorum securitati prospiciens.*

Samaritæ in S. Immagines debachantur.

11. Imperante Justino Samaritæ rursus turbas excitarunt, ac gravissima scelera in sanctum templum, ac in Jesu Christi immaginem, ejusque Matris perpetrarunt; de quibus extat epistola querelarum plena ad Justinum Imperatorem data a S. Simone Stylita juniore, quæ in secunda synodo Ni-

JESU CHR. AN. 574. Nicæna lecta fuit, cujus hæc est inscriptio: *Beati Symonis Stylitæ, qui in admirando monte vixit, epistola ad Justinum Juniorem Imperatorem. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut omnibus diebus miseræ vitæ meæ satis ex corde fleam? Tanta enim, vestra serenitate & pietate regnante, tanta scelera & impietates ab impiis & execrandis Samaritanis in sanctum templum, quod devota tua majestas extrui jussit, designata sunt, qualia nunquam sunt audita &c.* Eaque Imperatorem rogat, ut tantam eorum temeritatem coerceret, debitæque pœnæ tanti facinoris reos subjiceret; deinde post plurima: *Nam cum videamus pias leges vestras, eos qui imaginem, aut statuam Imperatoris ignominia afficiunt, extremo & justo mortis supplicio plectere; qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem Domini nostri, ejusque matrem nefando facinore grassati sunt?* Videant recentiores Iconoclastæ (Calvinianos dico, & Luteranos,) quibus auctoribus gloriari possunt, dum in sacras imagines sacrilegas manus sæpius immitti non erubuerunt. Videant inquam, & confundantur. Hujus epistolæ auctorem Symeonem Stylitam juniorem fuisse negat Allatius, eo quod Simeon *Imperatoris aures divinas noncupaverit*; quod denique ad vindictam Imperatoris iram excitaverit, quam cohibere potius debuisset; at tanti hæc momenti non sunt, ut Nicænæ Synodi secundæ Œcumenicæ fidem negemus, dum hoc opus Simeoni Stylitæ juniori adscribit.

Allatius Diatriba de Simeonibus.

Justini Imp. sanctio contra Samaritanos.

12. Justinus ea accepta epistola, constitutionem adversus eos vulgavit, quæ alia non est, quam Novella 144. Justiniano Imperatori ab ejus Novellarum collectore perperam tributa. In ea Justinus privilegia Samaritanis a Justiniano Novella 129. anno 541. concessa revocat: *Unde*, inquit, *& sacra illa forma per indulgentiam ipsis a patre nostro concessa, quæ legis vicem obtinens, largitur ipsis, ut hæreditatem pariter adire, & transmittere, item legatis honorari, & legata relinquere possint, imposterum vacabit, neque prorsus ullam firmitatem habebit.* In præfatione ejusdem Constitutionis adnotat Justinus: *Sæpenumero tam piissimus Princeps Pater noster, quam etiam nos ipsi studio habuimus, ut Samaritanorum hæresim ad meliorem frugem perduceremus.* Non itaque hæc Constitutio a Justiniano data, sicuti Novella 129., sed a Justino, qui ab eo adoptatus fuerat, quem ideo

ideo Justinus patrem suum appellat. Hoc recte vidit Baronius, & ante eum alii; sed nullus hactenus annum, quo ea promulgata est, invenire potuit: itaque hoc anno hæc narravimus, qui Imperii Justini ultimus aliquo modo dici potest, nam etsi quadriennio adhuc superstes fuit, summa tamen rerum apud Tiberium fuit, cum ipse infirmus corpore & mente posthac fuerit. Jasu Chr. an. 574.

13. Sed ad Simeonem redimus, de quo plura Evagrius, cum eo amicitiæ vinculo conjunctus. Quanam autem occasione ex monasterio, unde a teneris unguiculis educatus fuerat, columnæ habitator evaserit, sic narrat: *Columnam autem conscendit hujusmodi ex causa. Cum esset admodum tenera adhuc ætate, ludens & saltans per montis juga oberrabat. Cumque in Pardum incidisset, zonam collo ejus injecit, & belluam innatæ feritatis oblitam, quasi loro trahens, ad monasterium suum deduxit. Quod contemplatus magister ejus, qui in columna vitam agebat, puerum interrogavit, quidnam hoc esset? Ille felem esse respondit, quem vulgo cattam nominant. Atque ex hoc facto conjecturam capiens, qualis quantusque Symeon in virtutis studio futurus esset, in columnam eum admisit. Qua in columna, & in altera quæ est in summo montis vertice, octo ac sexaginta exegit annos: omni gratiæ genere donatus. Quippe qui & Dæmones abigeret, & morbos ac languores omnes sanaret, & futura perinde, ac præsentia prævideret. Gregorio certe prædixit, eum mortem quidem ipsius visurum non esse: quæ vero post mortem futura essent, ignoraturum. Cumque ego amissis liberis meis in varias cogitationes deducerer, & apud me quærerem, quid causæ esset, cur Gentilibus quibus multi sunt liberi, idem non evenerat: Quamvis nemini prorsus cogitationem hanc aperuissem, ille tamen cogitationes animi mei introspiciens, scripsit ad me, ut ab his cogitationibus abstinerem, quippe quæ haudquaquam placerent Deo. Idem cum uxori cujusdam ex meis amanuensibus post partum lac obstructum esset, & infans in summo discrimine versaretur, contacta viri dextra, præcepit, ut eam conjugis suæ mamillis imponeret. Quo facto, statim lac quasi ex quodam fonte prosiliit, adeo ut totam mulieris vestem madefaceret. Sed & puerum quemdam nocte intempesta a comitibus itineris per oblivionem relictum in via, leo humeris suis impositum ad Symeonis monasterium vexit. Ministri* De vita & miraculis S. Simeonis Stylitæ junioris.

ſtri deinde Symeonis egreſſi, puerum qui a Leone cuſtodiebatur introduxerunt. Multa quoque alia memoriam omnem ſuperantia idem vir geſſit, quæ & linguam diſertam, & otium, & peculiare opus deſiderant. Quæ quidem omnium pene mortalium ſermone celebrantur. Omnium enim nationum homines, non Romani ſolum, verum etiam barbari, ad eum ventitabant, & quæcumque poſtulaverant, impetrabant. Pro cibo autem ac potu ei fuere rami cujuſdam fruticiis, qui in eo monte naſcitur. Hæc Evagrius de Symeone obiter, dum ejus ad Cælum tranſitum refert,

JESU CHRITI AN. 575. BENEDICTI PAPÆ 2.
JUSTINI JUNIORIS IMP. 11. TIBERII CONSTANT. CÆS. 2.

Longobardi Gallias ingreſſi eas vaſtant.

1. Chriſti annus 575. volvitur, quo Longobardi etſi Italorum ſpoliis ditati, ex inſita tamen prædandi cupiditate ducti, in Gallias tranſierunt. Plures quidem Longobardorum in Gallias irruptiones, eaſque diverſis actas temporibus, Gregorius Turonenſis commemorat, ex eoque Paulus Diaconus hiſtoriam Longobardorum digeſſit, neuter tamen Longobardorum geſta certis annis diſtribuit. Id tantum ex Gregorio ſcimus, Sigeberti mortem (quæ hoc anno accidit) eorum irruptiones præceſſiſſe. De prima Longobardorum irruptione in Gallias ſub Alboino Rege narrat Gregorius, eos tantam de Burgundionibus feciſſe ſtragem, *ut non poſſit colligi numerus occiſorum: oneratique præda, aſcenderunt iterum in Italiam*. Deinde de altera addit: *Irruentibus iterum Longobardis in Gallias, & uſque Muſcias Calmes accedentibus, quod adjacet civitati Ebredunenſi; Mammolus exercitum movet, & cum Burgundionibus illuc proficiſcitur: circumdatiſque Longobardis cum exercitu, per divortia ſilvarum repente irruit ſuper eos, multoſque interfecit, nonnullos cepit, & Regi direxit, quos ille per loca diſperſos cuſtodire præcepit, paucis quodammodo per fugam elapſis*. Altera Longobardorum irruptio ſub Clebo eorum Rege accidit, de qua hæc Marius in chronico ad annum poſtcoſſ. Juſtini VIII. indict. VII. ad annum ſcilicet 574.: *Clebus Rex Longobardorum a puero ſuo interfectus eſt, & eo anno iterum Longobardi in valle ingreſſi ſunt; & Cluſas obtinuerunt, & in monaſterio Sanctorum Agaunenſium diebus multis habitaverunt, & po-*

& postea in Bacci pugnam contra exercitum Francorum commiserunt, ubi pene ad integrum interfecti sunt, pauci fuga liberati. Tandem Ducibus *Amo*, *Zaban*, *& Rhodano* aleam iterum tentarunt Longobardi, ac Alpes trangressi, post datas, & acceptas clades ad sua redierunt, de quibus plura ex Gregorio Turonensi narrant Francorum annales.

JESU CHR. AN. 575.

2. Has Galliarum clades prophetico spiritu prædixerat, antequam fierent, S. Hospitius, qui pœnitentiæ spiritu ductus, voluntario carceri se incluserat in quadam turre, apud Niciam in Provincia urbem, de quo multa, ac mira narrat Gregorius: *Quodam tempore revelante sibi Spiritu Sancto, adventum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit: Venient, inquit, Longobardi in Gallias, & devastabunt civitates septem, eoquod increverit malitia earum in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus qui faciat bonum &c.*, quos variis criminibus obnoxios fuisse arguit. Monachos quoque, qui cum eo erant, admonuit, ut quæ sua erant auferentes, inde discederent, & in loca munita transirent. Dicentibus autem illis: Non relinquemus te, sanctissime Pater: ait: *Nolite timere pro me: futurum est enim, ut inferant mihi injurias, sed non nocebunt usque ad mortem.* Advenientibus autem Longobardis ad locum, ubi Sanctus Dei clausus erat; cum ille per fenestram turris se ostendisset eis: illi vero circumeuntes turrem, aditum per quem ingrederentur ad eum, invenire non potuerant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, & videntes eum vinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor est, & homicidium fecit; ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, sciscitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali supplicio plecteretur. At ille fatetur *se homicidam esse, omnisque criminis ream*: Utpote quia peccatum quodlibet perpetrare minime prætermisisset, nisi Deus sua gratia munivisset. Sed pergit: *Tunc unus, extracto gladio, ut in ejus caput vibraret, dextera in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit revocare: tunc gladium laxans, terræ dejecit. Hæc videntes socii ejus, clamorem in cælum dederunt, flagitantes a Sancto, ut quid agi oporteret, clementer insinuaret. Ipse vero imposito salutis signo, brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conversus, tonsurato capite fidelissimus monachus nunc habetur. Duo vero Duces,*

S. Hospitius Longobardorum in Gallias adventum prædicit

Percussor abjecta impietate fit monachus.

JESU CHR. AN. 575. *ces, qui eum adierunt, incolumes patriæ redditi sunt, qui vero contempserunt præceptum ejus, miserabiliter in ipsa provincia sunt defuncti &c.*

Peregrinatio ad limina Apostolorum.

3. Pergit autem idem Gregorius alia ejusdem Hospitii miracula recensere, quibus Deus voluit innotescere quanta esset in homine sanctitas. Ex quibus illud unum in medium adduxisse juvabit, quo perseverans pristinus ille usus declaratur, quo Fideles consueverunt Romam ad Apostolorum limina, ut ibi a diversis languoribus sanarentur, se conferre, ait enim Gregorius: *Homo erat Andegavensis incola, qui per nimiam febrem eloquium pariter auditumque perdiderat; & cum de febre convaluisset, surdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus ex Provincia illa Romam directus est, ut beatorum Apostolorum pignora, vel reliquorum Sanctorum, qui illam urbem muniunt, exhiberet. Qui cum ad parentes infirmi illius pervenisset: rogant eum, ut eum sibi comitem itineris sumere dignaretur, confisi, quod si beatissimorum Apostolorum adiret sepulchra, protinus posset assequi medicinam. Euntibus autem illis, venerunt ad locum ubi beatus Hospitius habitat: Quo salutato, ac deosculato, causas itineris Diaconus pandit, ac proficisci se Romam indicat; se seque his qui sancto viro de naucleris amici essent, commendari deposcit. Cumque ibi adhuc moraretur, sensit vir per spiritum Domini adesse virtutem, & ait Diacono: Infirmum, qui comes tui nunc est itineris, rogo, ut meis aspectibus repræsentes. At ille nihil moratus, velociter ad metatum vadit, invenitque infirmum febre plenum, qui per mutum aures suas dare tinnitum indicabat, apprehensumque ducit ad Sanctum Dei. At ille apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius ad fenestram, assumptoque oleo benedictione santificato, tenens manu sinistra linguam ejus, ori, verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Jesu Christi, aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine surdo, & muto noxium ejecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille vero clara voce ait:* Sic dicor: *Cumque hæc vidisset Diaconus, ait. Gratias tibi immensas refero Christe, qui talia per servum tuum dignaris ostendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiumque, vel reliquos, qui proprio cruore Romam illustrant: hic omnes reperi, hic cunctos inveni. Hæc eo cum maximo fletu, & admira-*

Oleo benedicto curatur infirmus.

miratione dicente, vir Dei omni intentione vanam vitans gloriam, ait: Sile, sile, dilectissime frater: non hæc ego facio, sed ille qui mundum ex nihilo condidit; qui pro nobis hominem suscipiens, cæcis visum, surdis auditum, mutis præstat eloquium; qui leprosis cutem pristinam, mortuis vitam, omnibusque infirmis affluentem medicinam indulget. Tunc diaconus gaudens abscessit cum comitibus suis &c.. Hæc Gregorius: ex quibus etiam vetus illa in Ecclesia catholica consuetudo perseverans ostenditur, cujus Tertullianus ad Scapulam meminit, qua videlicet oleum benedictum adhibere consueverunt Fideles ad morborum curationem.

Chilpericus & Gunthramnus bellum adversus Sigebertum instaurant.

4. Nec Longobardorum incursionibus tantum, sed civili quoque bello Galliarum provinciæ, hoc tempore attritæ sunt, cum inter se Clotharii filii decertarent, dum Chilpericus, & Gunthramnus, contra Sigebertum exercitum eduxerunt, ejusque fines ingressus Theodebertus Chilperici filius, ferro flammisque vastavit. At prælio victus Theodebertus occubuit. Victor vero Sigebertus, renovata cum Gunthramno societate, in Chilpericum arma convertit, eumque Regno exturbavit. Paulo post tamen Sigebertus tot victoriis clarus Fredegundæ insidiis anno Regni sui decimoquarto occisus est. Rem gestam pluribus narrat Gregorius Turonensis, de Sigeberti autem obitu hæc adnotat: *Misit Sigebertus qui fratrem suum Chilpericum in supramemorata civitate Rothomagensi obsiderent, ipse illuc properare deliberans. Cui Sanctus Germanus Episcopus dixit: Si abieris, & fratrem tuum interficere nolueris, vivus & victor redibis; si aliud cogitabis, morieris*. At Sigebertus Germani spreto consilio, ad villam, cui nomen erat Victoriacum, transiit, ubi eum omnis exercitus exceptum impositumque super clypeum sibi Regem constituit: *Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgo scramasaxos vocant, infecti veneno maleficati a Fredegundæ Regina, cum aliam causam se gerere simularent, utraque ei latera feriunt. At ille vociferans, atque corruens, non post multo spatio emisit spiritum*. Hic finis Sigeberti, Dei Sacerdotem non audientis, cum alioqui optimi Regis, & vere Christianissimi sæpe antea egregia specimina edidisset, ut plane inter maxime pios Principes collocandus fuisset, nisi furor ille belli civilis ejus animum invasisset.

Greg. Turon. lib. 4. c. 51.

Sigeberti Regis obitus.

Ruccolenus sacrilegus dat pœnas.

5. Eo regnante Childericus quidam, *qui primus apud Sige-*

JESU CHR. AN. 575.

Sigebertum habebatur; cum facrilegas manus in villam quamdam Aquenfis ecclefiæ immififfet, eamque occupaffet, miferrimo periti interitu, eamdemque temeritatis, & facrilegii pœnam hoc anno Ruccolenus quidam fubiit, ut idem Gregorius narrat. *Cum interempto Rege Sigeberto, Chilpericus Regnum excepiffet, Ruccolenus graviter civitatem Turonenfem opprimebat, ita ut cuncta devaftans, nullam fpem alimoniæ in domus Ecclefiæ, vel pauperum hofpitiola relinqueret. Poftera autem die legatos ad civitatem mittit, ut homines qui propter culpam minime nobis incognitam ad Sancti bafilicam refidebant* (quod illic confugiffet Guntheramnus Dux, qui dicebatur occidiffe Theodebertum) *extraherentur a clericis. Quod fi differretur fieri, univerfa promittit incendio concremari. Et nos hæc audientes, mæfti valde bafilicam fanctam adimus, & Beati auxilia flagitamus; ftatimque paralytica, quæ per duodecim annos fuerat contracta, dirigitur. Ipfe vero Ruccolenus ulteriorem ripam aggreffus, morbo confeftim regio fauciatur, atque ab infirmitatibus Herodianis (quas enarrare longum videtur) allifus, & ficut cera a facie ignis guttatim defluens, quinquagefima die ab hydrope conflatus interiit.* Hæc Gregorius, qui Herodianum appellat morbum, quo nefandus Herodes interiit. Subdit vero his ifta: *Sed nec hoc filebo, quod illo tempore alveus fluvii nutu Dei, vel virtute beati viri abfque pluviarum inundationibus repletus, hoftem, ne civitatem læderet, tranfire prohibuit.* Hæc ipfe: qui de fuperbo Ruccoleno, & de ejus miferando interitu alibi pluribus agit: ubi poft multa, rurfus ad ea, quæ hoc anno facta funt, revocat orationem, fic dicens: *Anno vero quo fupra, ideft, quo mortuo Sigeberto, Childebertus ejus filius regnare cœpit, multæ virtutes ad fepulchrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis fcripfi, quod de ipfius miraculis componere tentavi: & licet fermone ruftico, tamen celari paffus non fum, quæ aut ipfe vidi, aut a Fidelibus relata cognovi.* Ex his, qui curati fierant, Leonaftem Bituricenfem Archidiaconum recenfet, qui lumen recepit, ut ibidem videre eft.

Greg. Turon. hift. Franc. l. 5. cap. 1. & 4. Idem lib. 5. cap. 6. Miracula ad fepulchrum S. Martini.

Childebertus Sigeberto Patri fuccedit.

6. Sigeberto defuncto, ut diximus, Childepertus ejus filius quinquennis, Guadebaldi induftria e Chilperici manibus ereptus, patri fucceffit: *Condebadus Dux apprehenfum Childebertum filium ejus parvulum furtim abftulit, ereptumque*

que ab imminente morte, collectisque gentibus super quas Pater ejus Regnum tenebat, Regem instituit, vix lustro ætatis uno (quinquennis enim erat) *jam peracto, qui die Dominici Natalis regnare cœpit.* Ea præda frustratus Chilpericus, Parisios veniens, Brunichildem Childeberti matrem ejecit, ac Rothomagi in exilium misit, & thesauros abstulit, filias vero ejus Meledis teneri præcepit, ait Gregorius.

JESU CHR. AN. 575.

7. Tiberius interea, quem Reipublicæ regimini Justinus anno superiori præfecerat, superbientem Chosroen, ac Romano Imperio insultantem repressit, ut Evagrius aliique narrant. *Nam pecunia malis artibus*, sub Justino, *parta*, bene utens, res ad bellum necessarias comparavit, ac exercitum prope centum quinquaginta militum collegit, cui egregios Duces præfecit præcipue Justinianum. Cumque Chosroes capta Daras *confestim æstivo tempore in Armeniam* irrupisset, atque inde Cæsaream Cappadociæ, & reliquarum illic urbium metropolim invadere meditaretur, Legatos vero Romanorum ad petendam pacem missos, nequidem in conspectum suum admisisset, ubi Romanorum exercitum contra se stare vidit, duce Justiniano fratre Justini ejus, qui ab Imperatore Justino crudeliter occisus fuerat, probe instructum atque armatum, rei novitate perterritus pugnam inire recusavit. Quin sæpe provocatus, & lacessitus, suorum potius cædem sustinuit, ac in fugam conjectus in Persidem rediit: *At Justinianus cum universo Exercitu Romano in Persidem ingressus, totum hyemis tempus ibi transegit, nemine prorsus illi molestiam exhibente. Sub æstivum autem solstitium reversus est, nulla omnino parte copiarum amissa: & cum summa felicitate ac gloria, circa utriusque Imperii confinia æstatem exegit.* Hactenus Evagrius. Eadem fere Theophylatus, ac Blicariensis Abbas, qui annum hujus victoriæ cum Justini anno nono alligat, ideoque labenti; additque inter spolia CP missa: 24. *elephantos, qui magnum spectaculum Romanis in urbe Regia exhibuerunt. Persarum vero multitudo ob nimiam vilitatem nummo publico venumdata sunt.*

Romanorum victoriæ adversus Persas.
Evag. lib. 5. *cap.* 12.

Jesu Chr. an. 576.

JESU CHRISTI an. 576. Benedicti Papæ 3.
Justini Imperatoris 13.
Tiberii Const. Cæsaris 4.

Brunichildis cum Meroveo inceftæ nuptiæ.

1. Hoc Chrifti anno 576. Chilpericus Francorum Rex ut patrati fratricidii fructus perciperet, Sigeberti urbes fere omnes occupavit, quo tempore Meroveus Chilperici filius Rothomagum veniens Brunichildem amitam fuam, a Sigeberto relictam, *contra fas legemque canonicam*, matrimonio fibi copulavit. Chilpericus vero audiens, ut ab inceftis nuptiis eos revocaret, eo ftatim convolavit; at Moroveus, & Brunichildis, ne a Chilperico disjungerentur, ad S. Martini Bafilicam confugerunt, ex qua nonnifi data fecuritate exierunt. Diu tamen illicitis nuptiis frui Moroveus non potuit, nam hoc eodem anno, cum Godinus quidam adverfus Chilpericum rebellaffet, ejufdemque perfidiæ particeps, aut fufpectus Chilperico ejus filius Moroveus fuiffet, eum *datis cuftodibus libere cuftodiri præcepit, quem deinde mutata vefte, qua clericis uti mos eft, Presbyterum ordinari præcepit, & ad monafterium Cenomanicum quod vocatur Aninfula dirigit, ut ibi facerdotali erudiretur regula*, ait Gregorius.

Germani Parif. Epifc. obitus.

2. Germanus Parifienfis Epifcopus hoc anno vivere defiit. *In cujus exequiis multis virtutibus, quas in corpore gefferat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carceratis acclamantibus, corpus in platea aggravatum eft, folutifque iifdem, rurfum fine labore levatur. Ipfi quoque, qui foluti fuerant, in obfequium funeris ufque ad Bafilicam, in qua fepultus eft, liberi pervenerunt. Ad fepulcrum autem ejus multas virtutes, Domino tribuente, credentes experiuntur: ita ut quifque, fi jufta petierit, velociter exoptata reportet. Si quis autem ftrenuas virtutes illius, quas in corpore fecit, folicite vult inquirere; librum vitæ illius, qui a Fortunato presbytero compofitus eft, legens, cuncta reperiet.* Hæc Gregorius Turonenfis de obitu S. Germani, cui epitaphium a Chilperico Rege fcriptum fuiffe tradit Ammonius.

Judæorum plurimi in Galliis Chrifti fidem fufcipiunt.

3. Hoc eodem anno Judæorum plurimi in Galliis ad Chrifti fidem converfi funt, quos Avitus Arvernenfis Epifcopus, qui eos ad fidem Chrifti invitaverat, baptizavit: *Cum eofdem plerumque Beatus Avitus Epifcopus commoneret, ut*

relicto

relicto velamine legis Moysaicæ spiritualiter lecta intelligerent, & Christum Filium viventis Dei prophetica, & legali auctoritate promissum, corde purissimo in sacris litteris contemplarentur; manebat in pectoribus eorum jam non dicam velamen illud, quo facies Moysi obumbrabatur, sed paries. Sacerdote quoque orante, ut conversi ad Dominum, velamen ab eis litteræ rumperetur; quidam ex eis ad Sanctum Pascha, ut baptizaretur, expetiit: renatusque Deo per baptismi sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipse procedit. Ingredientibus autem populis portas civitatis, unus Judæorum super caput conversi Judæi oleum fœtidum, diabolo instigante, diffudit. Quod cum cunctus abhorrens populus voluisset eum ungere lapidibus, Pontifex ut fieret non permisit. Die autem beato, quo Dominus ad cœlos post redemptum hominem ascendit gloriosus, cum Sacerdos de Ecclesia ad Basilicam psallendo procederet; irruit super synagogam Judæorum multitudo tota sequentium, destruens eam a fundamentis, ut campi planitiei locus assimilaretur. Alia autem die Sacerdos eis legatos mittit, dicens: Vi ego vos confiteri Dei filium non impello, sed tamen prædico, & salem scientiæ vestris pectoribus trado: Pastor sum enim Dominicis ovibus superpositus; & de vobis ille verus pastor, qui pro nobis passus est, dixit habere se alias oves, quæ non sunt ex ovili suo, quas eum oporteat adducere, ut fiat unus grex, & unus pastor. Ideo, si vultis credere ut ego, estote unus grex, custode me posito; sin vero aliud, abscedite a loco. Illi autem diu æstuantes atque dubitantes, tertia die (ut credo) *obtentu Pontificis conjuncti in unum, ad eum mandata remittunt, dicentes: Credimus Jesum Filium Dei vivi, nobis Prophetarum vocibus repromissum; & ideo petimus ut abluamur baptismo, ne in hoc delicto permaneamus. Gavisus autem nuncio Pontifex, nocte sancta Pentecostes, vigiliis celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est: ibique omnis multitudo coram eo prostrata baptismum flagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, & chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido; nec minus fuit urbis gaudium, quam quondam Spiritu Sancto descendente super Apostolos Hierusalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati sunt, amplius quingenti. Hi vero qui baptismum recipere noluerunt, discedentes*

JESU CHR. AN. 576.

Synagoga Judæorum destructa.

Jesu Chr. An. 577. *dentes ab illa urbe, Massiliæ redditi sunt.* Hucusque Gregorius de Judæorum conversione, quam etiam suis versibus Fortunatus celebravit.

Fortun. carm. lib. 5.

Ecce dies aderat, qua spiritus almus ab alto
Missus, Apostolicis fluxit in ora viris;
Res sacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa ferunt.
Abluitur Judæus odor baptismate Divo,
Et nova progenies reddita surgit aquis,

& post pauca de pristino usu, quo baptizati candidis indui vestibus, & accensos cereos ferre solerent, hæc addit.

Undique rupta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellas ire trahendo comas;
Lætus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies &c.

JESU CHRISTI AN. 577. BENEDICTI PAPÆ 4.
JUSTINI IMPERATORIS 13.
TIBERII CONSTANTINI CÆSARIS IND CT. X.

Dissidium de Paschate inter Gallos, & Hispanos.

1. Hoc Christi anno 577. de Paschatis festo Gallos inter & Hispanos dissidium fuit, *eo anno*, secundo Chariberti Regis, inquit Gregorius Turonensis: *Dubietas Paschæ fuit. In Galliis vero nos cum multis civitatibus quartodecimo Kal. majas Pascha celebravimus; alii vero cum Hispanis duodecimo Kal. Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt.* Dissidii causa ex Paschali termino ortum habuit, qui in diem XVIII. Aprilis, in primam feriam incidit, unde S. Pascha in sequentem Dominicam 25. ejusdem mensis, juxta Paschales regulas, ac Alexandrinum cyclum celebrandum erat; hinc Gallorum aliqui cum ecclesia Turonensi ipso die XVIII feria secunda Paschatis festum celebrarunt. Ceteræ Galliarum ecclesiæ cum Hispanis ne altera, quam Dominica die Pascha celebrarent, Dominica præcedenti, idest 12. Kal. Aprilis, seu die 21. Martii id festum celebrarunt. Eaque ratione Hispani æque ac Galli in errore fuerunt, cum juxta cyclos Alexandrinos ea solemnitas die 25. Aprilis celebranda fuisset.

2. Eo-

Jesu Chr. an. 577.

2. Eodem anno Parisiensis synodus, quæ quinta dicitur celebrata est, eodem Gregorio teste, qui eidem interfuit eaque Prætextati Rhotomagensis Episcopi causa discussa est. Cui crimini datum erat, quod Meroveum Chilperici filium, cum Brinilchide amita, seu patrui sui uxore copulasset, ac cum eo contra Chilpericum Patrem conjurasset. Sed Gregorium ipsum audire præstat: *Adductus est igitur in synodum Prætextatus Episcopus; Rex adversus eum causam agens sic est locutus: Quid tibi visum est, o Episcope, ut inimicum meum Moroveum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, idest, patrui sui uxore conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac causa canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse probaris: sed etiam cum illo egisti, datis muneribus, ut ego interficerer, hostem autem filium patri fecisti: seduxisti pecunia plebem, ut nullus mecum fidem habitam custodiret; voluistique regnum meum in manus alterius tradere: Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque ostia Basilicæ rumpere, quasi ut extractum sacerdotem lapidibus urgeret: sed Rex prohibuit fieri. Cumque Prætextatus Episcopus ea, quæ Rex dixerat, facta negaret; advenerunt falsi testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes: Hæc & hæc nobis dedisti, ut Meroveo fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat: Verum enim dicitis, vos a me sæpius muneratos: sed non ex hac causa extitit, ut Rex ejiceretur e regno. Nam & cum vos mihi, & equos optimos, & res alias præberetis, numquid poteram aliud facere, nisi & ego vos simili sorte remunerarem.* Recedente Rege, cum in unum collecti Episcopi in secretario Basilicæ beati Petri sederent, advenit Aetius Archidiaconus Ecclesiæ Parisiacæ, eosque admonuit, ne innoxium condemnarent. Si vero quid responderent, non invenientes, sed Lredegundæ Reginæ furorem timentes obmutescebant, cum Gregorius Turonensis ad eos verba faciens, gravi admonuit oratione, ne desiderio Regis commoti, ejusque voluntati, seu potius cupiditati obsequentes, nomini ipsorum injuriam inferrent, ac in Regem ipsum, Dei vindictam excitarent. *Mementote*, addens: *Sacerdotes, verbi Prophetici, quod ait. Si viderit speculator iniquitatem hominis, & non dixerit; reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite silere, sed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata ejus, ne forte ei aliquid mali contingat, & vos rei sitis pro*

Synodus Parisiensis celebratur.

Jasu Chr. an. 577.

anima ejus, His adjecit exempla Clodomeris, qui ſpreto Aviti Epiſcopi conſilio Sigiſmundum occidit una cum uxore, & filiis, qui & ipſe paulo poſt ab exercitu interfectus eſt, & Maximi Imperatoris, qui morte turpiſſima obiit, eo quod S. Martinum cum homicida Epiſcopo communicare coegerat; ideſt cum Ithacio; ſed eo talia dicente, *non reſpondit ullus quidquam, ſed erant omnes intenti, & ſtupentes*; quinimmo *duo adulatores ex ipſis (quod de Epiſcopis dici, dolendum eſt) nunciaverunt Regi dicentes, quia nullum majorem inimicum, quam me haberet. Illico unus ex aulicis curſu rapido ad me repræſentandum dirigitur. Cumque veniſſem, ſtabat Rex juxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram ejus Bertheramnus Epiſcopus, ad lævam vero Ragnemodus ſtabat, (hic erat Epiſcopus Pariſienſis ſucceſſor S. Germani) & erat ante nos ſcamnum pane deſuper plenum cum diverſis ferculis. Viſoque me Rex ait: O Epiſcope, juſtitiam cunctis largiri debes; & ecce ego juſtitiam a te non accipio, ſed (ut video) conſentis iniquitati, & impletur in te proverbium illud, quod Corvus oculum corvi non eruet.*

QuæRex adverſus Gregorium ingerit.

His alia minabundus adverſus Gregorium Rex addidit; paucis autem verbis cauſam ſuam dixit, ac innocentiam vindicavit; Unde Rex ut ſanctum virum demulceret: *Converſus ad juſcellum, quod coram me erat poſitum, ait: Propter te hæc juſcella paravi, in quibus nihil aliud præter volatilia, & parumper ciceris continetur. Ad hæc ego, cognoſcens adulationem ejus, dixi: Noſter cibus eſſe debet, facere voluntatem Dei, & non his deliciis delectari, ut ea quæ præcepit, nullo caſu prætermittamus. Tu vero qui alios de juſtitia culpas, pollicere prius quod leges, & canones non emittas, & tunc credimus, quod juſtitiam proſequaris. Ille vero porrecta dextera, juravit per omnipotentem Deum, quod ea quæ lex & canones edoceant, nullo modo prætermitteret pacto. Poſt hæc accepto pane, & hauſto vino, diſceſſi.* Hactenus Gregorius de prima Synodi actione; Adſtiterunt interea nuncii Fredegundis Reginæ rogantes, ne in ejus cauſa contrarius exiſteret, ſimulque ducentas argenti promittunt libras, ſi Prætextatus, eo conſentiente, opprimeretur. Dicebant enim: ſe omnium Epiſcoporum promiſſionem habere: *Quibus ego: Si mihi mille libras auri argentique donetis, numquid aliud facere poſſum, niſi quod Dominus agi præcepit? Unum tantum polliceor, quod* ea

ea quæ ceteri secundum Canonum statuta consenserint, sequar. At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt.

3. Cum autem iterum Episcopi convenissent, mane Rex adfuit, dixitque: Episcopus in furtis deprehensus ab Episcopali officio ut avellatur, canonum auctoritas sanxit. Respondentibus, quis ille Sacerdos esset, cui furti crimen irrogaretur, respondit Rex: Vidistis enim species, quas nobis furto abstulit (ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra speciebus, & diversis ornamentis referta, quæ prætiabantur amplius quam tria millia solidorum, sed & sacculum cum numismatibus auri pondere tenentem quasi millia duo) hæc enim dicebat Rex sibi ab Episcopo Prætextato fuisse furata; at ille Regi respondit: *Recolere vos credo, discedente a Rothomagensi urbe Brunichilde Regina, quod venerim ad vos.* Dixique vobis, quia res ejus, idest quinque sarcinas commendatas haberem; & frequentius advenire pueros ejus ad me, ut ea redderem, & nolui sine consensu vestro. Tu autem dixisti mihi, o Rex: Ejice hæc a te, & revertantur ad mulierem suæ res, ne inimicitiæ inter me, & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeant pullulare. Reversus ergo ego ad urbem, unum volucrum tradidi pueris, non enim volebant amplius ferre. Reversi iterum requirebant alia, iterum consului magnificentiam vestram: tu autem præcepisti, dicens: Ejice, ejice hæc a te, o sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his, duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem quid tunc me calumniaris, & me furti arguis, cum hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari? *Ad hæc Rex: Si hoc depositum penes te habebatur ad custodiendum, cur solvisti unum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes desecasti, & dedisti per viros, qui me a regno deiicerent? Prætextatus Episcopus respondit: Jam dixi tibi superius, quia munera eorum acceperam, ideoque cum non haberem quod de præsenti darem, hinc præsumpsi, & eis vicissitudinem munerum tribui, proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Moroveo erat, quem de lavacro regenerationis excepi. Videns autem Rex Chilpericus, quod eum his calumniis superare nequiret, attonitus valde ac conscientia confusus discessit a nobis: vocavitque quosdam de adulatoribus suis, & ait:*

Actio Parisiensis Synodi secunda.

Furti arguitur Prætextatus.

JESU CHR. AN. 577. *ait: Victum me verbis Episcopi fateor, & vera esse quae dicit, scio: quid nunc faciam, ut Reginae de eo voluntas adimpleatur? Et ait: Ite, & accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes: Nosti, quod sit Rex Chilpericus pius atque compunctus, & cito flectatur ad misericordiam: humiliare sub eo, & dicito ab eo obiecta a te perpetrata fuisse: tunc nos prostrati omnes coram pedibus ejus, dari tibi veniam impetramus. His seductus Praetextatus Episcopus pollicitus est se ita facturum.* Hactenus secunda Actio Synodi. Sequitur rursus tertia & ultima:

Actio tertia Synodi Parisiensis.

4. *Mane autem facto, convenimus ad consuetum locum advenienſque & Rex, ait ad Episcopum: Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, ut fidem Moroveo servarent? Respondit Episcopus; Petii, fateor, amicitias eorum haberi cum eo, & non solum hominem, sed si fas fuisset, Angelum de caelo evocassem, qui esset adjutor ejus: filius enim mihi erat (ut saepe dixi) spiritualis ex lavacro. Cumque haec altercatio altius tolleretur, Praetextatus Episcopus prostratus solo, ait: Peccavi in caelum & coram te, o Rex misericordissime: ego sum homicida nefandus, ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere. Haec eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus Sacerdotum, dicens: Audite o piissimi Sacerdotes, reum crimen execrabile confitentem. Cumque nos flentes Regem elevassemus a solo, jussit eum e Basilica egredi. Ipse vero ad metatum discessit, transmittens librum canonum, in quo erat quaternio novos annexos habens canones quasi Apostolicos, continens haec: Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, a sacerdotio divellatur. His ita lectis, cum Praetextatus, stupens, Bertheramnus Episcopus aic: Audi, o Frater & Coepiscope, quia Regis gratiam non habes, ideoque nec nostra charitate uti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis. His ita gestis, petiit Rex, ut aut ei tunica scinderetur, aut centesimus octavus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur: aut certe judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret: quibus conditionibus ego restiti, juxta promissum Regis, ut nihil extra canones gereretur. Tunc Praetextatus a nostris raptus oculis in custodiam positus est: de qua fugere tentans, nocte gravissime caesus, in insulam maris, quae adjacet civitati* Con-

Constantinæ, in exilium est detrusus. Hæc Gregorius de Parisiensi synodo, cui Episcopi 45. adfuerunt, quorum nomina & sedes ignotæ sunt, si Berthramnum Burdegalensem, & Ragnemodum Parisiensem excipias, Prætextatus Episcopatu fortasse indignus erat, si incestis Merovei nuptiis consenserat, tum etiam quia crimen etsi falsum confessus fuerat, calumniis tamen opprimi non debuit. Quomodo revocatus ab exilio Prætextatus perierit, infra dicemus.

Jasu Chr. an. 577.

5. Nunc Merovei gesta, quorum causa Prætextatus Episcopatu excidit, prosequimur, quem anno proximo patris jussu clericali tonsura in Cenomanico monasterio inclusum fuisse diximus. At inquietus Meroveus inde aufugiens ad S. Martini Basilicam Turonis confugit: *Anno secundo Chilberti Regis* (qui cum præsenti labitur ait Gregorius) *cum videret Meroveus patrem suum in hac deliberatione intentum, assumpto secum Gumtheramno Duce ad Brunichildem pergere cogitat dicens, absit ut propter meam personam Basilica Domini Martini violentiam perferat, aut regio ejus propter me captivitati subdatur. Et ingressus Basilicam, dum vigilias ageret, res quas secum habebat ad sepulchrum beati Martini exhibuit, orans ut sibi Sanctus succurreret, atque ei concederet gratiam suam, ut Regnum accipere posset*. Deinde Saulis exemplo, qui cum nullum a Deo responsum accepisset, ad Pythonissam se convertit, ita quoque Meroveus direxit Guntheramnum puerum ad mulierem, quamdam habentem Spiritum Pythonis, ut ei quæ erant eventura narraret. Asserebat præterea, ipsam sibi ante hoc tempus, non solum annum, sed & diem, & horam in qua Rex Charibertus obiret, denunciasse. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit: Futurum est enim, ut Rex Chilpericus hoc anno deficiat; & Moroveus, inclusis fratribus, omne capiat regnum. *Tu vero* (ad Gumthramnum dixit) *ducatum totius regni ejus annis quinque teneris; sexto vero anno in una Civitate, quæ super Ligeris alveum sita est in dextera ejus parte, favente populo, Episcopatus gratiam adipisceris, ac senex plenus dierum ab hoc mundo migrabis. Cumque hæc pueri redeuntes omnino nunciassent, statim ille vanitate elatus, tamquam si jam in cathedra Turonicæ Ecclesiæ resideret, ad me hæc detulit verba. Cujus ego irridens stultitiam, dixi: a Deo hæc poscenda sunt: nam credi non debent, quæ Diabolus repromittit*. Cum vero

Meroveus ad ecclesiam S. Martini confugiens dona offert. *Greg. Turon. lib. 5. c. 14.*

Moroveus consulit Pythonissam.

JESU CHR. AN. 577. vero admonitione Gregorii Moroveus Regis filius oraculum Pythonissæ suspectum haberet, ad prænoscenda ventura, tres libros super sepulchrum S. Martini posuit, idest, Psalterii, Regum, Evangeliorum, & vigilans tota nocte, petiit ut sibi beatus confessor, quid eveniret, ostenderet; & utrum posset regnum capere, an non, ut Domino indicante, cognosceret. Post hæc continuato triduo in jejuniis, vigiliis, atque orationibus, ad tumulum iterum accedens, revolvit librum qui erat Regum. Versus autem primus paginæ, quam reseravit, hic erat: *Pro eo quod reliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus; ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum*. Psalterii autem versus hic fuit: *Verumtamen propter dolos posuisti eis mala: dejecisti eos, dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitates suas*. In Evangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*. In his responsionibus ille confusus, flens diutissime ad sepulchrum beati Antistitis, assumpto secum Guntheramno Duce, cum quingentis, aut eo amplius viris discessit. Hæc quidem Turonis ad S. Martini Basilicam, ad quam confugerat; at paulo post inde egressus, cum per tractum Antisiodorensem iter ageret, ab Herbone Gunthramni Regis Duce captus, & nescio quo casu ab ejus custodia elapsus, dum in Rhemensi solo latitaret, a Tarabannensibus per dolum circumventus, in villam quamdam cum armatis obsideretur, ibique: *Moroveus timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad se Gaileno familiari suo, ait: una nobis usque nunc & anima & consilium fuit: rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi, sed accepto gladio irruas in me, quod ille nec dubitans eum cultro confodit*. Sic misere interiit, eadem morte, qua Saul, cujus idem fuit crimen, utrique enim a Pythonissa futurorum scientiam exquisierunt. Merovei mortem anno sequenti alligat Marius, quam hoc loco descripsimus, ut narratis gestis, pœna subsequeretur.

2. Para. 7. Hier 2. — *Psal. 72.* — *Matt. 26.* — Moroveus occiditur.

Gunthramni Regis filii duo moriuntur.

7. Eodem anno quo Chilpericus perfidum filium amisit, Gumthramnus ex Francorum Regibus alter, duos optime spei filios luxit: *Ipse Gumthramnus duos filios suos subito morbo oppressos perdidit, de quorum morte valde contristatus est*,

est, eo quod orbatus absque liberis remansisset. Eadem Marius narrat anno XI. Justini indict. X., *mortui sunt Regii, atque egregii adolescentes Clothacarius, & Clodomeris filii Guntbramni Regis*.

Jesu Chr. An. 577. *Greg. Turon. lib. 5. c. 17.*

8. Quoad Orientales, res hoc anno Joannes Scholasticus CP. Episcopus mortuus est: *Mensis Augusti die trigesimo primo, indict. X. Joannes Episcopus Constantinop. obiit*, inquit Theophanes anno juxta Alex. 569., qui cum labenti concurrit. Eam sedem per annos duodecim, menses quinque tenuerat, vivente adhuc Eutychio, quem in exilium Justinianus miserat, ac inter ecclesiasticos scriptores recensetur, cujus sunt duæ canonum collectiones, quibus non tantum conciliorum canones collegit, sed canones etiam eodem de argumento tractantes, sub diversis titulis alligavit, sicque sub quinquaginta titulis, omnes fere canones ordinavit, quem ordinem ceteri canonum collectores, postea secuti sunt. In altera una cum Ecclesiæ canonibus Principum leges, Justiniani præcipue constitutiones, ad eamdem materiam spectantes addidit. De quibus consule Justellum in nova canonum bibliotheca.

Joannes Scholasticus CP. obiit, ejusdem canonum collectiones.

Justell. to. 2. bibliothecæ juris canonici.

9. Non diu post Joannis mortem, Eutychius ab exilio revocatus, suæ restitutus est sedi. Eodem anno *mense octobri indict. XI. Eutychius Thronum CP. secundo accepit* ait Theophanes ad annum juxta Alex. 570. De ejusdem reditu factisque acclamationibus, & benevolentiæ signis, quibus a populo clero, ab Imperatoribus Justino, & Tiberio exceptus fuit, pluribus agit Eutychius vitæ auctor, atque exilii & peregrinationis socius, nec virtutes & miracula in ejus itinere, & reditu CPolim edita præterit; quæ longum esset exscribere. Hæc tantum de tempore reditus addimus: *Vigesimo secundo mensis Januarii vir sanctus tentus & ejectus fuit, revocatus autem est die tertia mensis Octobris, qui erat Dominica: qua quidem die, & illi qui viro sancto insidias struxerant, atque eum in exilium ejecerant, Æterius & Addæus, quorum hic quidem Urbis Præfectus erat, ille autem Antiochiæ Curator, mortui sunt: & quemadmodum ambo virum sanctum ejiciendum curarunt, ita meritam ambo mercedem acceperunt. In hac igitur die vir optimus & sedem recepit atque Ecclesiam suam, & ipsi privati sunt vita, multis annis antequam ipse revocaretur.*

Eutychius CP. Episcopus ab exilio revocatur.

Eutychii vita die 6. Aprilis apud Bolland.

10. Post

JESU CHR. AN. 577.

Eutychius pestem precibus avertit

10. Post multa de virtutibus ejus dicta, reditum ejus populo CP. quammaxime utilem fuisse his verbis adnotat: *Vos qui reditum ejus memoria tenetis, non ignoratis magnam & diuturnam, antequam reverteretur, pestem extitisse: quæ quidem ita sæviebat, ut nisi hic a Deo electus tamquam alter Phinees obstitisset, omne genus hominum atque omnis ætas interiisset. Quomodo autem placatus est Deus? Supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit, a sanctissima magna Ecclesia incipiens, usque ad ædem sanctæ, & immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quæ in Blanchernis colitur. Dum igitur supplicationes ad Christum Deum nostrum, quem ipsa Virgo de Spiritu Sancto concepit, fierent; pepercit ille populo, Angelumque cohibuit, qui Civitatem sine intermissione percutiebat.* Et paulo post: *Ab eo igitur die usque ad beati viri vitæ finem, Christus Deus noster a populo provocatus iram cohibuit. Ac reditus quidem ipsius primum opus hoc fecit, quo salutem omnibus communem impetravit, &c.* Pergit Eustathius enarrare complura miracula ab eodem Eutychio Constantinopoli post reditum suum edita, quæ brevitatis causa prætermittimus: cætera autem de ipso opportunius suo loco dicemus inferius.

Antiochia terræmotu concussa.

11. Tristia nunc subsequantur, quæ anno tertio Tiberii Cæsaris Antiochiæ Syriæ evenerunt, teste Evagrio, dum horrendo terremotu concussa & diruta fuit. *Antiochiæ, & in suburbano Daphensi, cum Tiberius Cæsar annum tertium Imperii ageret, ipso meridiei ferventissimo æstu, ingens extitit terræmotus. Quo Daphne quidem universa funditus prostrata est: Antiochiæ vero ædificia, tam publica, quam privata, ad terram usque disrupta, nec tamen collapsa sunt ad solum usque. Alia quoque nonnulla, commemoratione inprimis digna, tum in eadem urbe, tum Constantinopoli contigerunt, quæ utramque urbem non mediocriter commoverunt, & in maximas turbas conjecerunt: Initium quidem sortita ex zelo Dei, finem vero prorsus Deo dignum consecuta. De quibus jam aggrediar dicere. Erat tunc Antiochiæ Anatolius quidam, vir initio quidem unus ex plebe, & ex sellulariis opificibus; sed qui postea ad Magistratus, & ad alia munera, nescio quo modo, irrepserat; In ea igitur urbe degens, quæ tum habebat negotia administrabat. Ex quo factum est, ut maximam familiaritatem contraheret cum Gregorio illius urbis Antistite.*

Quippe

Quippe illum adibat frequentissime, partim ut cum eo colloqueretur, partim ut ex crebra ejusdem consuetudine majorem sibi auctoritatem conciliaret. Hic aliquando diis sacrificasse deprehensus est. Cumque eo nomine in judicium vocatus esset, inventus est sceleratus ac præstigiator, & innumeris flagitiis coopertus. Verum Comitem Orientis corrupit pecunia, parumque absuit quin dimitteretur una cum sociis: habebat enim alios ejusmodi farinæ homines, qui simul cum ipso comprehensi fuerant: nisi populus insurgens, gravi seditione excitata id consilium discussisset. Sed & contra ipsum Antistitem vociferabantur, eum quoque illius consilii participem esse clamantes. Turbulentus etiam atque exitialis quidam dæmon nonnullis persuaserat, eum detestandis sacrificiis una cum Anatolio interfuisse. Hac de causa Gregorius in extremum discrimen adductus est, cum populus gravissimas in illum impressiones fecisset. Atque hæc suspicio tantopere increvit, ut Tiberius quoque Imperator ex ipsius Anatolii ore veritatem discere voluerit. Jussit igitur ut Anatolius cum sociis ad Urbem Regiam confestim perduceretur. Quo comperto, Anatolius ad imaginem Deiparæ, quæ fune appensa erat in carcere, procurrens manibus post tergum circumplicatis, supplicis atque orantis speciem palam exhibuit. At illa hominem detestata, & sceleratum Deique hostem coarguens, faciem suam penitus retro avertit: spectaculo plane horrendo, & sempiterna memoria digno, quod ab universis, tam qui in carcere inclusi detinebantur, quam iis quibus Anatolii & sociorum custodia commissa erat, visum, omnibus renuntiatum est. Apparuit etiam interdiu Deipara nonnullis Fidelium, incitans eos adversus pestem illam; & filium suum ab Anatolio contumelia affectum esse dicens. Ubi vero Constantinopolim perductus est, & gravissimis tormentis excruciatus, adversus Gregorium Episcopum nihil prorsus habuit quod diceret, majorum adhuc motuum, & publicæ seditionis ipse una cum sociis, in ea urbe auctor extitit; Nam cum nonnullos eorum in exilium mittendos esse, non autem capite plectendos pronuntiatum fuisset, populus divino quodam zelo succensus, cuncta permiscuit, indignatione percitus & efferatus. Cumque eos qui exilio damnati fuerant corripuisset, lembo impositos, injecto igne vivos concremavit, populo hanc in illos ferente sententiam. Contra Imperatorem quoque, & contra Eutychium ipsorum Episcopum vociferabantur, tanquam

JESU CHR. AN. 577.

Anatolius idolatriæ reus.

B. Maria Anatolium deprecantem aversatur.

JESU CH. AN. 578. *fidei proditores, paratique erant Eutychium interficere, & eos quibus causæ hujus cognitio mandata fuerat, quos ubique circumeundo investigabant: nisi divina providentia omnium conservatrix, istos quidem ex quærentium manibus eripuisset; tantæ vero multitudinis furorem paulatim sedasset, ita ut nullum atrox facinus populari violentia perpetratum sit. Porro ipse Anatolius in amphitheatro bestiis objectus, & ab iisdem laniatus, postea cruci suffixus est. Sed ne sic quidem suppliciorum, quæ in hac vita sensit, finem est sortitus. Lupi enim impurum ejus corpus cum ex cruce detraxissent, quod quidem nunquam antea visum fuerat, vorandum inter se diviserunt. Quidam etiam ex nostris, antequam hæc fierent, affirmavit, vidisse se in somnis, quemadmodum adversus Anatolium, ejusque socios sententia a populo lata esset. Ad hæc illustris quidam Imperialium domorum Præpositus, qui Anatolium acerrime defendebat, visam dixit esse Deiparam dicentem, quousque tandem defenderet Anatolium, qui tum ipsi, tum Filio ipsius tantam contumeliam irrogasset. Et hæc quidem ejusmodi exitum habuerunt.* Hæc Evagrius de terræmotu Antiochiæ, ejusque causa, scilicet ob scelera, quæ ibidem ab Anatolio sociisque patrata fuerant.

Anatolius feris objectus interficitur.

JESU CHRISTI AN. 578. PELAGII 2. PAPÆ 1.
TIBERII CONSTANTINI IMP. 5. ET 1.

BenedictiPapæ obitus.

1. Annus adest 578. indict. X., quo Benedictus Romanus Pontifex hujus nominis primus, postquam sedisset annos quatuor, mensem unum, dies XXVIII. mortuus est, *& in basilica B. Petri Apostoli in secretario sub die 30. mensis Julii sepultus est*. Ut habent Anastasii quamplurimi Codices (quam lectionem, vulgatæ præferendam censent eruditissimi viri, qua habetur sedisse annos tres, mensem unum &c.) hinc Benedicti Papæ mortem anno superiori Baronius, Papebrochius vero in conatu chronico historico alligavit anno sequenti. Benedicti Papæ nomine inscripta extat epistola ad David Beticæ provinciæ Episcopum de Trinitatis mysterio, quam ut commentitiam, atque ab impostore consarcinatam eruditi omnes rejiciunt. Postquam vero Benedicti morte vacavit sedes Rom. menses tres, dies decem, ut habet Anastasius, vel menses quatuor, ut tradit Pagius, Pelagius secundus ordinatus

Concil. to. 6. pag. 599.

natus

natus est, die Sancto Andreæ Apostolo sacra: *Ac absque jussione Principis, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret.* Necessitate enim cogente, instantibus Longobardorum gladiis, diu Imperatoris, vel Exarchi consensus expectari non potuit.

JESU CHR. AN. 578.

2. Hic quoque annus Justino ultimus fuit, ut nos Chronicon. Alex. docet: *hoc anno XII. Justini Imperatoris, mense Septembri XXVI. XII. indictione coronatus est ab ipso Tiberius Junior Constantinus, & quinto die mensis octobris Justinus Aug. vita excessit, & Tiberius Constantinus solus imperavit annos quatuor*: Recte omnia si ad annos XII. Imperii Justini menses decem, & aliquot dies addas, indeque Zonaras, & Theophanes annos tredecim ipsum imperasse tradunt. Convocato itaque Senatu, adstante Eutychio Patriarcha, hanc Justinus ad Tiberium, dum ex Cæsare Imperatorem dixit orationem habuit: *Ecce Deus, qui bene fecit tibi hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum ut tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam,* (Sophiam Augustam intelligens) *quæ aliquando domina tua fuit. Nosti quod primum servus ejus fueris, nunc autem filius. Non gratuleris in sanguinibus, nec communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ similis mihi efficiaris. Ego enim ut homo culpavi: etenim culpabilis factus sum, & recepi secundum peccata mea; sed causam habeo cum his, qui hoc mihi fecerunt ante Tribunal Christi. Ne elevet te habitus quemadmodum me. Sic attende omnibus sicut tibi. Scito quis fueris, & quis modo existas. Ne superbias, & non peccabis. Nosti quis fuerim, & quis factus sim, extiterim & existam. Omnes isti filii tui sunt, & servi; Scis quod pro visceribus meis honoraverim te. Hos tu cum videas omnes, quæ Reipublicæ sunt vides. Exercitus curam geras: molles & imprudentes ne præficias, neque eo tibi persuadeant, quod priores te tales Imperatores fuisse dicent; Hæc tibi præcipio, meoque edoctus malo, hortor ut iis stes. Qui habent substantias, fruantur eis: his vero qui non habent, dona. Et facta oratione a Patriarcha, cum dixissent omnes, Amen: cæcidit Cæsar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si vis sum: si non vis, non vivam. Et Imperator: Deus, ait, qui fecit cœlum & terram, ipse omnia, quæ dicere oblitus sum, in cor tuum mittat. Porro dum hæc prosequeretur Imperator, replebat lacrymis totum*

De Justini Imp. morte.

Justini oratio ad Tiberium

Quæ sint optimi Imperatoris officia.

 Colle-

JESU CHR. AN. 578.
Zonar. annal. lib. 14. c. 72.

Collegium. Hæc auctor Miscellæ, & Cedrenus, quibus Zonaras addit Tiberio ab Eutychio coronato: *Uxorem quoque suam Anastasiam Augustam salutavit, ex qua duas filias pepererat, Charitonem & Constantinam; Sophia vero Justini vidua, relicta aula in Regiam sibi cognominem migravit, regio comitatu ei a Tiberio tamquam matri suæ attributo*. Hæc Zonaras, quibus Miscellæ auctor addit Sophiam ægre tulisse, quod Tiberius uxorem suam Augustam dixisset.

Sophia Augusta Tiberio Imp. insidias parat.
Greg. Turon. lib. 5. c. 30.

3. Quin Gregorius Turonensis insidias etiam Sophiam Tiberio struxisse addit: Ut Justinianum ad Imperium promoveret: *Sophia immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentavit intendere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta diebus jucundaretur ad vindemiam: vocato clam Justiniano Sophia, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam regreditur urbem, apprehensamque Augustam omnibus thesauris spoliavit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris ejus ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Justinianum vero objurgatum tanto imposterum amore dilexit, ut filio ejus filiam suam promitteret, rursumque filio suo filiam ejus expeteret; sed res non est sortita effectum*.

Mauritius Justiniano in militum Præfectura succedit.

4. Interea etsi Justinianus militum Magister Chosroen Persarum Regem, ad sua redire compulisset, Militum tamen Præfectura exutus est, eo quod Romani Imperii limites tueri contentus, Persas lacescere destitisset, ac in Justiniani locum Mauritius Militum præfectura donatus est: An autem vivente Justino, vel eo defuncto id acciderit, in obscuro est.

Mauritii origo & mores.
Evag. lib. 5. cap. 19.

5. Blicharienfis, & Evagrius post Justini mortem id contigisse tradunt: Unde Evagrius: *Ceterum Tiberius post mortem Justini, cum jam Imperialem coronam gestaret, Justiniano potestatem abrogavit, eo quod non eadem, qua prius felicitate adversus Barbaros uteretur. Mauritium vero ejus loco Magistrum Orientalis militiæ constituit, qui genus quidem ac nomen ex seniore Roma traxerat: Patriam vero habebat Arabissum, urbem Cappadociæ, in quam novissimi ejus parentes sese receperant. Erat hic vir prudens ac solers, & usquequaque accuratus & constans. Qui cum in victu ac moribus constans esset atque exactissimus,*

nec

nec gulæ unquam inservìit, iis dumtaxat rebus utens, quæ necessariæ, & paratu faciles essent: nec aliis voluptatibus quibus intemperantes homines sese oblectare solent. Vulgus hominum non facile ad colloquium admisit, nec aures promiscue omnibus præbuit: quippe qui sciret illud quidem contemptum parere; hoc vero adulationi proximum esse. Raro copiam dabat ipsum conveniendi, idque nonnisi de rebus seriis. Superfluis autem sermonibus aures suas obturabat, non quidem cera, ut est apud Poetam, sed ratione: ita ut optima aurium clavis esset ratio, quæ opportune illas in colloquiis & aperiret & clauderet &c. Hæc & alia de Mauritii laudibus, de quo plura inferius dicturi sumus, his quippe gestis ad Imperium viam sibi aperuit.

JESU CHRITI an. 579. Pelagii 2. Papæ 2.
Tiberii Constant. Imp. 6. et 2.

Martyres necati a Longobardis.

1. Hoc Christi anno 579. Tiberius Augustus consulatum gerens: *Amplum consulare munus in populum sparsit*. Habet Theophanes. Ad hunc quoque annum ea acciderunt, quæ S. Gregorius in Dialogis tertio sui Pontificatus anno narrat, (anno scilicet 593.) *Ante hos ferme annos quindecim (sicut hi testantur qui interesse potuerunt) quadraginta rustici a Longobardis capti, carnes immolatitias comedere compellebantur. Qui cum valide resisterent, & contingere cibum sacrilegum nollent; cœpere Longobardi qui eos tenuerant, nisi immoluta comederent, mortem eis minari. At illi æternam potius vitam, quam præsentem ac temporariam diligentes, firmiter perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. Quid itaque isti, nisi veritatis martyres fuerunt, qui ne vetitum comedendo conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire?* Eodemque tempore, cum quadraginta captivos alios Longobardi tenuissent, more suo immolaverunt caput capræ Diabolo, hoc ei per circuitum currentes, & carmine nefario dedicantes. Cumque illud ipsi submissis cervicibus adorarent, eos quoque, quos cœperant, hoc pariter adorare compellebant. Sed ex eisdem captivis maxima multitudo, magis eligens moriendo ad vitam immortalem tendere, obtemperare jussis sacrilegis noluit, & cervicem quam sem-

Jesu Chr. an. 579.

semper Creatori flexerant, creaturæ inclinare contempserunt. Unde factum est, ut hostes, qui eos cæperant, gravi iracundia accensi, cunctos gladio interficerent, quos in errore suo participes non haberent. Nec mirum hæc a Longobardis gesta, etsi enim eorum pars maxima christianæ fidei, seu potius Arianæ perfidiæ addicti essent, inter eos tamen plurimi Idolis adhuc inserviebant; sicuti & in Galliis hisce annis evenit, ubi christiana vigente religione, nonnulli tamen idola adhuc adorabant, vel una cum christiana religione idololatriæ ritus exercebant, de quibus S. Gregorius ad Brunichildem Francorum Reginam scribens conqueritur. *Hoc quoque pariter hortamur, ut & ceteros subjectos vestros sub disciplina debeatis moderamine restringere, ut Idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant, quia pervenit ad nos, quod multi Christianorum, & ad Ecclesiam occurrant, & quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant.* Ex dictis hactenus de Longobardorum in rusticos crudelitate, satis patet quam duro servitutis jugo misera premeretur Italia, dum tot patiebatur tyrannos, quot Duces eam administrabant. Eaque erant tempora, quibus Longobardi testibus Paulo Diacono, Gregorio Turonensi, & Blichariensi, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus destructis, populisque extinctis, in squallore & solitudine Italia erat.

Italia a Tiberio Imp. Longobardorum cœdibus relicta.

2. Cumque tot cladibus Italia urgeretur, ac Roma ipsa in discrimine esset, Tiberius Imperator Persico bello intentus, Italiæ recuperandæ vix cogitabat, ac variis legationibus excitatus, vix pecuniæ summam, & parvam militum manum in Italiam misit, ut narrat Menander his verbis: *Cæsar misit in Italiam magnam auri quantitatem, usque ad centum triginta pondo, quæ Pamphronius nomine, dignitate Patricius a Seniori Roma ad Imperatorem attulerat. Is tunc ad Regiam venerat, ut precibus a Cæsare impetraret, ut Italiam a Longobardorum excursionibus oppressam in libertatem vindicaret. Cæsar vero, cui omnia pro bello Persico nullius momenti erant, quippe qui totus in illud incumberet, exercitum mittere non potuit, neque bellum in Oriente, & in Occidente simul sibi gerendum statuit. Sed pecunias dedit Pamphronio, quibus, si qua posset, aliquos Longobardorum persuaderet ad Romanos transire, una cum eorum exercitu, & Italiam minime*

nime turbare. Quod efficerent si in Orientem arma vertere vellent, & Romanis auxilium ferre. Si Longobardi renuerent, ut verisimile erat, bellatum foris ire, Francorum Ducum aliquos mercede sibi socios adjungerent, & hac ratione Longobardorum potentiam labefactaret, & infrigeret. His addit legationem a Senatu Romano ad Imperatorem missam fuisse, ut auxilium peterent, atque Sacerdotes Senatoribus adjunctos fuisse, quorum unus sane fuit Sanctus Gregorius, quem Pelagii secundi Papæ Apocrisarium CPoli hoc tempore fuisse scimus. Gregorius itaque e monasterio S. Andreæ, ubi hactenus latuerat, per vim quasi abstractus, Romanæ ecclesiæ Diaconus a Benedicto Papa ordinatus fuerat, atque hoc tempore a Pelagio secundo CPolim missus. Quam grave id Gregorio acciderit, his verbis Sanctus vir exponit: *Quia plerumque navem incaute religatam etiam de sinu tutissimo littoris unda excutit, cum tempestas excrescit; repente me sub pretextu Ecclesiastici ordinis in causarum secularium pelago reperi: & quietem monasterii, quam habendo non fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerit, perdendo cognovi. Nam cum mihi ad percipiendum sacri altaris ministerium obedientiæ virtus opponis, hoc sub Ecclesiæ colore susceptum est, quod si inulte liceat, iterum fugiendo deflectatur.* Et paulo post: *Eo quoque tempore, quo ad ministerium Altaris accessi, hoc de me ignorante me actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem; quatenus in terreno Palatio licentius excubarem.*

JESU CHR. AN. 579.

S. Gregorius Apocrisarius CP. mittitur

3. Quomodo autem inter aulicos, ac in Imperatoris aula Gregorius vixerit, ad Leandrum Hispalensem Episcopum scribens, idem Gregorius narrat: *Cum in terreno Palatio licentius excubarem, me multi ex monasterio fratres mei, germana victi caritate secuti sunt. Quod divina factum dispensatione conspicio, ut eorum semper exemplo, ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringerer, ne causarum secularium inacessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium velut ad tutissimi portus sinum fugiebam, & licet illud me ministerium ex monasterio abstractum, a pristinæ quietis vita, mucrone suæ occupationis extinxerat; inter eos tamen per studiose lectionis alloquium, quotidianæ me aspiratio compunctionis animabat.* Inter eos qui comites itineris fuerunt, ac in urbe commorantem Gregorium sequuti sunt, eminebat S. Maximianus presbyter, & monasterii S. Andreæ Abbas, postea

Gregorii vivendi ratio CPoli in aula

Jesu Chr. an. 579.

postea Syracusanus Episcopus, ex multis Gregorii epistolis notus. Quæ autem CP. Gregorius gesserit suo loco inferius dicturi sumus.

De synodo Gradensi. *Noris. de synod. 5. cap. 9. §. 4. Pag. not. 12. an. 579. Basnag. ibid. Tom. 6. concil. pag. 672. edit. Venet.*

5. Gradensem synodum hoc anno celebratam fuisse, post Norisium, Pagius, Basnagius aliique scribunt. Ex amplissima Aquilejensi Diœcesi, quæ a Pannonia ad Abduam usque per Insubriam, Rethiam secundam, & Noricum, Istriam, forum Julii, ac Venetiam extendebatur, Synodo Episcopi unodeviginti, Præside Hælia Aquilejensi Metropolita, ac præsente Laurentio presbytero, Pelagii Secundi Pontificis Romani legato, convenerunt, in qua de Metropolitana Sede ex Aquileja, ad Gradensem insulam transferenda actum est. Capta etenim a Longobardis Aquileja, sacram omnem supellectilem, ad Gradi insulam transtulerat Paulinus Aquilejensis Episcopus: eoque mortuo, atque intra annum sublato Probino ejus successore Helias successerat, qui cum Aquilejæ inter Longobardos catholicæ fidei hostes, haud tuto se degere posse animadverteret, Pelagium Secundum rogaverat, ut Metropolitana sedes Aquilejensis, Gradum transferretur. Heliæ precibus Pelagius Papa annuens, Laurentium presbyterum delegaverat, ut synodo ejusdem provinciæ suo nomine adesset, ad quem epistolam dedit, qua inter cetera hæc habet. *Quapropter vestro compatientes mœrori, necessitudinem, immo etiam rabiem furentium perpendentes Longobardorum inclinati precibus vestris, per hujus præcepti seriem, supraſcriptum Castrum Gradense totius Venetiæ, cum omnibus vestræ ecclesiæ pertinentibus etiam Istriæ Metropolim perpetuo confirmamus*. Data dicitur hæc epistola XII. Kal. Martii Imperatore Tiberio II. Augusto, idest labenti. Synodo subscripserunt præter Heliam, & Laurentium presbyterum Apostolicæ Sedis legatum, Episcopi decem & octo Aquilejensi Metropolitæ subditi. Ejusdem synodi occasione accepta, Istriæ iidem Episcopi, qui soli ex omnibus Italiæ Episcopis, contra V. synodum tria capitula tuebantur, eamdem sententiam confirmarunt. In chronico enim Aquilejensi, de eadem synodo agitur, & hæc adnotantur: *In qua synodo quidquid de Chalcedonensi concilio dubitabatur, pulsa dubitatione confirmatum est*. Ex hoc autem tempore factum est, ut Metropolitæ Istriæ Aquilejenses, & Gradenses dicerentur. Sic S. Gregorius Severum Heliæ successorem Episcopum Aquilejensem modo dixit, modo Gradensem.

Pelagii epist. ad synodum.

Hæc

Hæc de Gradensi synodo, quam etsi commentitiam habuerint Derubeis, Zanetti, aliique, Norisius tamen, & Pagius uti legitimam vindicarunt. Rem in incerto relinquimus, cum pro utraque parte rationes & argumenta occurrant, ac certi quidquam definire difficile & periculosum sit, ut apud citatos auctores videre est.

De synodo Cabillonensi *Concil. to. 5. pag. 963.*

6. Ex incerta ad legitimam transimus synodum, Cabillonensem scilicet; quam hoc anno habitam testatur Marius Aventicensis dum ait, *indict. XII. duo germani Salonius, & Saggitarius Episcopi a synodo, quæ Cabillone collecta est, pro diversis criminibus ab Episcopatus honore disjecti sunt*. Gregorius Turonensis, eamdem cum anno quarto Childeberti, & decimooctavo Gumthramni, & Chilperici conjungit. Remque totam paucis sic prosequitur. *Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntheramni, & Chilperici Regnum, apud Cabilonium civitatem synodus facta est ex jussu Principis Guntheramni: discussisque diversis causis, contra Salonium & Sagittarium Episcopos iteratur vetus judicium, obiiciunturque eis crimina; & non solum de adulteriis, verum etiam de homicidiis accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, ut constituerentur rei majestatis, & patriæ proditores. Qua de causa ab Episcopatu disjecti, in Basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur, ex qua per fugam lapsi discesserunt per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt*. Hanc tandem pœnam subierunt ii Episcopi, qui sæpius correpti mores numquam mutarunt, de quibus jam supra egimus anno 577.

Salonius Sagitariusque Episcopi deponuntur.

Chosroes Rex Persarum obiit.

7. De gestis in Oriente, ac de bello Persico, pauca nunc subiicimus. Fervescente eo bello Mauricium Ducem Romanis præfecerat Tiberius, virum prudentia ac bellica virtute nemini secundum. Interea Imperator Tiberius ut pacem cum Chosroe firmaret nil prætermiserat, missis sæpe legatis Zacharia & Theodoro, sed dum de pace inter utrumque Imperium agitur, Chosroes vivere desiit, postquam per annos octo & quadraginta regnasset, ut habet Agathias, ab anno scilicet 531. ad labentem. Chosroen autem a Romanis sæpe victum, desperatis quodammodo rebus mœrore confectum obiisse tradunt Agathias, & Evagrius. Admiratus enim mirabilem Dei potentiam, quommodo post anno-

Menander Protect. hist. Bizant. pag. 166. Agath. lib. 4. pag. 140.

rum feriem feliciter exactam, tandem Deus eum e throno dejecit ac proftravit, hæc adnotat Agathias: *Illud in præsentia dixerim per octo & quadraginta annos, quibus potitus Imperio est, quam multas hunc retulisse victorias, & eo magnitudinis evasisse, ut nullus priorum apud Persas Regum fuisse huic similis comperiatur: vel si cum singulis eum quis conferat, ne Cyrum dicam Cambysi huic parem facturus sit; sed ne Xersem quidem ipsum, quem mare ferunt contabulasse, equitabileque id reddidisse, & navigabiles montes. Cosrhoes igitur etsi magnitudine cæteros anteivit, vitæ tamen est exitum ut calamitosum & inglorium nactus, ita & alienissimum a sui temporis Principum fine.* Cum etenim Mauricius Perfidem ingreffus, igne cedibusque cuncta vaftaret: *Pudore simul ac formidine percitus, nec hostibus obviam ivit, nec quoquam pacto injuriam vindicavit: sed præter modum ex ea clade ingenti dolore perculsus, ac sui prorsus desperans, morbo statim insanabili quodam corripitur: unde quam celerrime, ac per manus elatus, ad Seleuciam Clesiphontem regiam fertur; & in fugæ morem facta discessione, non longe post vitam finivit.* Ait Agathias; cui confenfit Evagrius. Chofroi filius ejus Hormifdas fucceffit, ad quem legatos Tiberius Imperator mifit, ut de pace agerent, fed ab eodem spreti, ad propria redierunt tefte Menandro, unde bellum inter utrumque Imperium perfeveravit, de quo infra.

Menand. ibid pag. 168.

JESU CHRISTI AN. 580. PELAGII 2. PAPÆ 3.
TIBERII CONST. IMP. 7. ET 3.

Faroaldus Spoleti Dux Claffem occupat.

1. Infequens Chrifti annus 580. confulatu Tiberii Aug. fecundum, vel poft Coff. Tiberii Aug. infcriptus eft, ad quem, ea referre licet, quæ de Faroaldo Spoleti Duce narrat Paulus Diaconus, eum fcilicet Claffenfem portum prope Ravennam invafiffe, & occupaffe, atque ufque ad Smaragdi Exarchi tempora Longobardos tenuiffe fcimus, cum iterum in Romanorum poteftatem rediit. Ex his etiam conftat hoc tempore Spoletinum Ducatum jam fuiffe inftitutum, cujus caput Spoletum, eique fubditæ erant Nurcia, Rietis, Ameria, Tifernum, Eugubium, Nuceria, Fulginium, Affifium, Interamnia, Narnia, Tudertium, aliaque caftella cis, citraque Appeninum.

2. Va-

2. Variis quoque casibus infaustus hic annus fuit, unde Marius in chronico: *Indict. XIII. mense octobri, ita in vallensi territorio Rodanus exundavit, ut copias messium denegaret, & intra Italiam ita fluvii exundaverunt, ut damna agricolæ paterentur*. Ad annum vero Childeberti quintum, qui cum labenti concurrit, hæc refert Gregorius Turonensis. *Arvernorum regionem diluvia magna presserunt, ita ut per dies XII. non cessaret a pluvia: tantaque inundatione limum est infusum, ut multos, ne sementem jacerent, prohiberet. Flumina quoque Liger, Flavarisque, quem Elacrem vocitant, vel reliqui torrentes percurrentes in eum, ita intumuerunt, ut terminos quos nunquam excesserant præterirent. Qua grande de pecoribus excidium, de culturis detrimentum, de ædificiis fecere naufragium. Pari modo Rodanus cum Arari conjunctus, ripas excedens, grave damnum populis intulit, muros Lugdunensis Civitatis aliqua ex parte subvertit. Quiescentibus vero pluviis, arbores denuo floruerunt erat enim mensis Septembris*. Hæc Gregorius, qui subdit terremotu urbes quassatas, alias incendio depastas, quibus deinde gravissima lues subsecuta est, quo vigente Chilpericus Rex morbo tactus vix convaluit, filius vero ejus Dagobertus, necdum baptismate ablutus, instante morte baptizatus est. *Frater alter Clodebertus ab hoc morbo corripitur. Ipsumque in periculo mortis Fredegundis mater cernens, sero pœnitens ait ad Regem: Diu nos male agentes pietas divina sustentat: nam sæpe nos febribus & aliis malis corripuit, & emendatio non successit. Ecce jam perdidimus filios: Ecce jam nos lacrymæ pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt, nec spes remanet, cui aliquid congregemus. Thesaurizamus, nescientes cui congregemus ea: Ecce thesauri remanent possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. Numquid non exundabant promptuaria vino? Numquid non horrea abundabant frumento. Numquid non erant thesuari referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus, vel reliquis Imperialibus ornamentis? Ecce quod pulchrius habebamus, perdidimus*.

3. *Nunc si placet, venite, incendamus omnes descriptiones iniquas. Sufficiat fisco nostro quod suffecit Patri Regique Clotario. Hæc effata Regina, pugnis verberans pectus, jussit libros exhiberi, qui de civitatibus suis per Marcum venerant: projectisque in ignem, iterum ad Regem conversa: Quid tu, in-*

JESU CHR. AN. 580.

Inundationes in Galliis.

Terræmotu incendiis, & lue Gallia affligitur.

Pœnitentia Reginæ Fredegundis, & Regis.

JESU CHR. AN. 580.

inquit, moraris? Fac quod vides a me fieri, ut etsi dulces natos perdidimus, vel pœnam perpetuam evadamus. Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros descriptionum igni, conflagratisque illis, misit qui futuras prohiberet descriptiones. Post hæc infantulus junior, dum nimio labore tabescit, extinguitur: quem cum maximo dolore ducentes e villa Brennaco, Parisios ad Basilicam S. Dionysii sepeliri mandaverunt. Clodobertum vero componentes in feretro, Suessionas ad Basilicam S. Medardi duxerunt, proiicientesque eum ad sanctum sepulcrum vota voverunt pro eo: sed media nocte anhelans jam & tenuis spiritum exhalavit; quem in basilica sanctorum Crispi & Crispiniani martyrum sepelierunt. Magnus usque huc planctus omni populo fuit: nam viri lugentes mulieresque lugubribus vestimentis indutæ (ut solet in conjugum exequiis fieri) ita hoc funus sunt prosecutæ. Multa postea Chilpericus Rex Ecclesiis, sive Basilicis, vel pauperibus est largitus. Hæc de funere duorum filiorum Regis, & de Rege ipso in meliorem frugem mutato Gregorius.

Impiæ Austregildis obitus.

4. Eadem lue Austrigildis Gumtherammi Regis uxor e vivis erepta est, quæ morte proxima maritum rogavit, ut medicos quorum opera curata fuerat, post suum obitum, non aliter ac si consulto interfecissent, morti traderet: *Hæc effecta, infelicem animam tradidit. Rex vero peracto ex more justitio, oppressus iniquæ conjugis juramento, implevit præceptum iniquitatis; nam duos medicos, qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit.* Eadem quoque lue tactum abreptumque ex hac vita Nantinum Comitem Engolismensem, idem subdit: qui cum in sancta loca, sanctosque ministros mala multa patrasset, ultimo anhelans spiritu, Antiochi exemplo, seram inutilemque pœnitentiam egit. Nam nimia exustus febre, clamabat, dicens: Heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror: ab illo crucior: ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse Pontifici, mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento, hæcque inclamans impurum efflavit spiritum. *Cujus exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Ergo omnes hæc obstupescant, admirentur, & metuant, ne inferant injurias sacerdotibus, quia ultor est Dominus servorum suorum sperantium in se.* Quæ autem adversus Heraclium Burdegalensem Episcopum Nantinus egisset, idem

Nantini obitus, & supplicium.

Gre-

Gregorius paulo superius narravit, cum tradit ab eo ob immensa scelera perpetrata, ipsum Nantinum fuisse excommunicatum. At de his hactenus.

Chilpericus inSabellii errores incidit.

5. Filiorum subita morte, aliisque calamitatibus perterritus Chilpericus Francorum Rex ad saniora consilia vix se converterat, cum paulo post theologicas quæstiones tractare præsumens, in Sabellii hæresim incidit: *Per idem tempus*, ait Gregorius, *Chilpericus scripsit indiculum, ut Sancta Trinitas, non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur, asserens indignum esse, ut Deus persona, sicut homo nominetur*. Cumque hæc Gregorio recitari jussisset. *Sic, inquit, volo, ut tu & reliqui doctores Ecclesiarum credatis. Cui ego respondi: Hac credulitate relicta, pie Rex hoc te oportet sequi, quod nobis post Apostolos alii Doctores Ecclesiæ reliquerunt; quod Hilarius, Eusebiusque docuerunt; quod & in Baptismo es confessus. Tunc iratus Rex ait: Manifestum est mihi in hac causa Hilarium, Eusebiumque validos inimicos haberi. Cui ego respondi: Observare te convenit, neque Deum, neque Sanctos ejus habere offensos. Nam scias quia in persona aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus sanctus. Non Pater assumpsit carnem, neque Spiritus, sed Filius: ut qui erat Dei Filius, ipse ad redemptionem hominis filius haberetur & Virginis. Non Pater passus, neque Spiritus sanctus, sed Filius: ut qui carnem assumpserat in mundo, ipse offerreretur pro mundo. De Personis vero quod ais, non corporaliter, sed spiritualiter sentiendum est. In his ergo tribus Personis una gloria, una æternitas, una potestas. At ille commotus ait: sapientioribus te hoc pandam, qui mihi consentiant. Et ego: Numquam erit sapiens, sed stultus, qui hæc quæ proponis, sequi voluerit. Ad hæc ille frendens siluit. Non post multos vero dies, adveniente Salvio Albigensi Episcopo, hæc ei præcepit recenseri, deprecans ut sibi consentaneus fieret. Quod ille audiens, ita respuit, ut si chartam, in qua hæc scripta tenebantur, potuisset attingere, in frusta discerperet. Et sic Rex ab hac intentione quievit*. Hæc de Regis sabellianismo. Addit Gregorius, fuisse Chilpericum poeticis quidem facultatibus leviter excultum, ac Græca elementa didicisse. Quem etiam celebrant Fortunatus ut omnium Francorum Regum antecessorum, & æqua-

Greg. Turon. lib. 5. c. 44.

Fortun. l. 9. carm.

Jesu Chr. an. 580. æqualium doctissimum, linguasque in primis varias callentem: unde cecinit:

Discernens varias, sed nullo interprete voce,
Et generum linguas, unica lingua refert.

Et inferius de poetica facultate.

Regibus æqualis, de carmine major haberis
Dogmate, vel qualis non fuit ante parens

Leudaste in Gregorium calumniæ.

Greg. Turon. lib. 5. c. 41. 48. 49.

6. Interea Gregorio Turonensi, qui erranti Chilpericho restiterat, a Leudaste, viro omnium nequissimo, per calumnias insidiæ adstruuntur, quæ Brennacensis synodi celebrandæ causam dederunt. Res autem ita se habuit, ut pluribus idem Gregorius narrat. Laudastes Præfectus, sive Comes Turonensis, cum injuste admodum se gessisset, Ecclesiisque damna plurima dedisset, ob idque e prefectura Gregorii precibus amotus fuisset, adversus eum una cum Riculfo Turonensi Presbytero conjurans, calumniam struentes, quasi civitatem Turonensem Childeperto tradere voluisset, apud Chilpericum accusarunt. Quod cum minime crederetur, adjecerunt calumniam aliam, qua Rex commoveri facile poterat, nempe dixisse Gregorium, Fredegundem Reginam commisceri solitam cum Bertheramno Episcopo Burdegalensi: ejus rei testes esse Platonem Archidiaconum, & Gallienum ejusdem Ecclesiæ Diaconum. Acceperat autem a Leudaste Riculfus de Episcopatu Turonensi promissionem, cum Gregorius damnatus esset, qui quasi jam Turonensis Episcopus esset, multas Gregorio irrogabat injurias, neque a sputis temperabat, qui & accusatorem ad Regem misit ejusdem nominis Riculfum clericum, promisso illi Archidiaconatu. Cum vero vincti catenis testes ducerentur ad Reginam, jussus est Gregorius custodiri usque ad futurum conventum Episcoporum in villa Brennaco colligendum. Interea Modestus quidam faber lignarius, cum zelo justitiæ redarguisset isthæc patrantem, falsoque obiicientem Riculfum clericum accusatorem; Hic cum auxilio Eunomii Comitis retrudi fecit in carcerem, ubi jussu Reginæ mandatur subdi tor-

tormentis. *Apprehenditur, inquit Gregorius, Modestus, torquetur, flaggellatur, & in vincula compactus, custodiæ deputatur. Cumque inter duos custodes carceris, & cippo teneretur vinctus, media nocte dormientibus custodibus, orationem fudit ad Dominum, ut dignaretur ejus potentia miserum visitare, & qui innocens illigatus fuerat, visitatione Martini Præsulis & Medardi absolveretur. Mox disruptis vinculis, diffracto cippo, sancti Medardi basilicam, nocte nobis vigilantibus introivit.* Hæc synodum præcesserunt: quæ satis fuisse poterant ad Gregorii innocentiam contestandam, cujus causa vinctus Modestus divinitus fuerat liberatus.

JESU CHR. AN. 580.

De Modesto fabro miraculum.

7. Ubi autem Brennaci Synodus Episcoporum eam ob causam collecta fuit: quid actum sit, Gregorius ita narrat: *Congregati igitur apud Brennacum villam Episcopi, in unam domum residere jussi sunt. Deinde, adveniente Rege, data omnibus salutatione ac benedictione, resedit. Tunc Berthe-ramus Burdegalensis civitatis Episcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum fuit, causam proponit, neque interpellat, dicens a me sibi ac Reginæ crimen objectum. Negavi ego in veritate me hæc locutum, & audisse quidem hæc alios, me non excogitasse.* Rex autem addidit: *Crimen uxoris meæ meum habetur opprobrium. Sic ergo censetis ut super Episcopum testes adhibeantur: ecce adsunt. Certe si videtur, ut hæc non fiant, sed in fidem Episcopi committuntur, dicite: libenter audiam quæ jubetis. Mirati sunt omnes Regis prudentiam, vel patientiam simul. Tunc cunctis dicentibus, Non potest persona inferior super sacerdotem credi: restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus, me de his verbis exuerem sacramento; & licet canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt.* Cum itaque juramento crimen diluisset Gregorius, hæc se a Leudaste accepisse Rex dixit, cum autem Leudastes fugam arripuisset, ne ut falsi criminis accusator damnaretur. *Placuit omnibus sacerdotibus, ut sator scandali, infamator Reginæ, accusator Episcopi ab omnibus arceretur Ecclesiis, eo quod se ab audientia subtraxisset: unde & epistolam subscriptam aliis Episcopis qui non adfuerant transmiserunt, & sic unusquisque ad locum suum regressus est.* Hactenus Acta synodi Brennacensis.

Gregorius se purgat juramento.

8. Quid autem factum fuerit adversus Riculfum Clericum accusatorem, qui aderat, idem sic tradit: *At Riculfus*

Riculfus Clericus accusator luit pœnas, & cuncta patefacit

JESU CHR. AN. 570.

fus clericus ad interficiendum deputatur, pro cujus vita vix obtinui: tamen de tormentis excusare non potui; nam nulla res, nullum metallum tanta verbera potuerit sustinere, sicut hic miserrimus. Ab hora tertia diei, revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat: ad horam vero nonam depositus, extensus ad trocleas, cedebatur fustibus, virgis & loris duplicibus, & non ab uno vel duobas, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot cæsores erant. Cum autem in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publice patefecit. Dicebat enim, ob hoc Reginæ crimen objectum, ut ejecta de Regno, interfectis fratribus, & Patre, Clodoveus regnum acciperet, Leudastes Ducatum. Hæc de falso teste. Porro Leudastes, instar Cain undique pulsum, undique profugum super terram vagasse tradit Gregorius usque dum triennio post, meritas scelerum pœnas luit. Brennacensis synodi meminit Fortunatus.

Greg. Turon. lib. 6. 32.

Agricolæ, & Dalmatii Episcop. obitus.

9. Annum cladibus infaustum, illustrium Antistitum Agricolæ, & Dalmatij, obitus tetriorem fecit; Agricola Cabillonensis Episcopus ex Senatorio genere vir prudens & elegans erat, abstinentia deditus, ut prandio abstinens, sola cena contentus esset, *qui & Ecclesiam fabricavit, columnis fulcivit, variavit, marmore, musivo depinxit, & multa in civitate ædificia fecit.* Obiit Episcopatus anno 48. ætatis 83. cui Flavius Guntheramni Regis referendarius successit. Eodem anno (idest labenti) obiit & Dalmatius Ruthenæ civitatis Episcopus, vir jejuniis, eleemosinis, ac pietate præcellens, qui etiam ecclesiam condidit, sed dum eam ut meliorem faceret, sæpius destruxit, incompositam reliquit, successorem habuit Theodosium ejusdem ecclesiæ Archidiaconum ait Gregorius Turonensis.

Greg. Turon. lib. 5. c. 45. & 46.

Martini Bracharensis obitus.

10. Jam vero e Galliis, in Gallieciam transeamus, ubi eodem Turonensi teste, Martinus Bracharensis Episcopus, temporalem vitam cum æterna commutavit. *Hoc eodem tempore* (nempe anno quinto Childeperti Regis qui cum labenti currebat) *& B. Martinus Galliciensis Episcopus obiit, magnum populo illi faciente planctum. Nam hic Pannonia ortus fuit (sicuti nomen & Patriam, ita etiam sanctitatem Martini Turonensis adeptus) & exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, intantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur: & exinde Galliciam venit, ubi cum Beati Martini reliquiæ porturentur, Epis-*

Episcopus ordinaretur; *in quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis*, *plenus virtutum migravit ad Dominum*. *Versiculos qui ad ostium sunt a parte meridiana in basilica S. Martini*, *ipse composuit* . Hæc Gregorius . Martini Bracharensis laudes celebrat Fortunatus, dum de duobus Martinis , Seniore ac juniore , Turonensi scilicet , ac Galliciensi agit , de quo inter cetera hæc habet . Jesu Chr. an. 580. Martini Bracharensis Episc. laudes.

Martini Gallia prisci
Excellente fide luminis arma capit,
Martino servata novo Gallicia plaude;
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.
Qui virtute Petrum, *præbet tibi dogmate Paulum*:
Hinc Jacobi tribuens , *inde Joannis opem* .
Pannoniæ (*ut perhibent*) *veniens e parte Quiritum*,
Est magis effectus Gallica vera salus .
In sulcum sterilem vitæ plantaria sevit ,
Quo matura seges fertilitate placet.

Spectant hæc ad Evangelii prædicationem ab ipso initam , qua Svevorum gentem , una cum Theodomiro eorum Rege , ex Ariana hæresi ad catholicam fidem perduxit, deinde post multa ejusdem patrocinium implorans , addit .

Sed Fortunati sis memor ipse tui
Quæso precare Pater , *videam tua gaudia tecum*

Hæque tanto viro epitaphii loco inscripta sint .

II. Inter ecclesiasticos scriptores S. Martinus Bracharensis merito accenſetur , nam præter carmina quædam , quorum Gregorius meminit , scripsit & soluta oratione perbreves tractatus de quatuor virtutibus Cardinalibus , seu de moribus . Ex synodis præsertim Ecclesiæ Grecæ capitula octaginta quatuor confecit , quæ Ecclesiasticæ disciplinæ usui essent . Octo & quinquaginta ad Episcopos , reliqua ad Laicos pertinent . Opus Nitigesio Lucensi Præsuli nuncupavit : *Domino beatissimo atque Apostolicæ Sedis honore suscipiendo in Christo Fratri* , *Nitigesio Episcopo* , *vel universo Concilio Lucensis Ecclesiæ Martinus Episcopus* . Consilium Auctoris utilitasque operis hæc Præfationis verba docent : *Visum est* , S. Martini Brach. opera

Jesu Chr. An. 580.

ut cum omni diligentia & ea, quæ per translatores obscurius dicta sunt, & ea quæ per scriptores sunt immutata, simplicius, & emendatius restaurem.

Persecutio a Leovigildo Rege Ariano excita in catholicos.

Greg. Turon. lib. 5. c. 38.

12. Leovigildus Visigothorum in Hispania Rex gravissimam hoc tempore adversus catholicos persequtionem excitaverat, ita ut, teste Gregorio Turonensi, multi ex catholicis, *damnati, facultatibus privati, facie decocti, carceri mancipati, verberibus affecti, ac diversis suppliciis trucidati sunt.* Hæc summatim de persecutione Gregorius. Isidorus vero, ubi narravit res ab eodem Rege in bello fortiter gestas, ista subjungit: *Sed obfuscavit error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique perfidiæ furore repletus, in Catholicos persecutione commota, plurimos Episcoporum exilio relegavit, & Ecclesiarum redditus, & privilegia tulit: multosque terroribus suis in Arianam hæresim, & pestilentiam impulit, plerosque sine persecutione illectos auro, rebusque decepit. Ausus quin etiam inter cætera hæresis suæ contagia rebaptizare Catholicos, & non solum ex plebe, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de Episcopo Apostatam factum, & tamquam e Cælo in inferna projectum.* Hucusque de persecutione Isidorus, brevi quidem compendio quamplurima perstringens. Sed quæ causa persecutionis hujus indicendæ præcesserit, Gregorius ita recenset: *Caput autem, nempe origo, hujus sceleris Goisuintha fuit, quam post Athanagildi Regis connubium Rex Leovigildus acceperat. Erant autem Leovigildo Regi ex alia uxore duo filii, nempe Hermenegildus, & Reccaredus, quorum senior Hermenegildus scilicet, Chilperici Regis filiam desponsaverat. Sed Ingundis Sigeberti Regis filia cum magno apparatu in Hispanias directa, ab avia Goisvintha cum magno gaudio suscipitur, quam nec passa est in Religione Catholica diu commorari, sed ut rebaptizaretur in Ariana hæresi, blandis cœpit sermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans, cœpit dicere: sufficit satis me ab originali peccato baptismo salutari semel ablutam esse, & sanctam Trinitatem in una æqualitate confessam: Hæc me credere ex toto corde confiteor, neque umquam ab hac fide ibo retrorsum.* At illa furore succensa, apprehensam per comam capitis puellam in terram collisit, & diu calcibus verberatam ac sanguine cruentatam jussit spoliari, & piscinæ immergi; sed (ut asserunt multi) nun-

Isid. in Chron. Goth.

Greg. Turon. ibidem.

Ingundis Uxor Hermenegildi quæ fit passa fidei causa.

nunquam animum ſuum a fide noſtra reflexit. Leovigildus autem dedit eis, nempe ipſi Ingundi, & viro ſuo Hermenegildo, unam de Civitatibus, in qua reſidentes regnarent. Ad quam cum abiiſſent, Ingundis viro ſuo perſuaſit, ut Catholicæ fidei veritatem agnoſceret, ac dum chriſmaretur, Joannes eſt appellatus, a primo tamen nomine, quo cognitus erat, ab omnibus, perſeveravit dici Hermenegildus. Leandrum quoque Hiſpalenſem Epiſcopum, doctrina & pietate celeberrimum, ut Hermenegildus fieret Catholicus adlaboraſſe, qui proſecuti ſunt res Hiſpaniarum tradunt, in primis vero S. Gregorius Papa, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Hermenegildus catholicam fidem ſuſcipit, cum patre diſſidet

13. Cum autem catholicam fidem Hermenegildus ſuſcepiſſet, gravis inde inter patrem, & filium contentio exorta eſt, ut bellum etiam inter eos ageretur, cum Leovigildo pugnantibus Arianis, quorum major numerus, fortiorque potentia; ex altera vero reſiſtentibus cum Hermenegildo Catholicis. Hic ſentiens ſe imparem viribus, miſit in Orientem ad Tiberium Orthodoxum Imperatorem S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, ut laborantibus ſub gladio Ariano Catholicis ſuppetias ferret. De hac Leandri honorifica legatione meminit S. Gregorius, cum de amicitiæ uſu, qui interceſſerat cum eo, dum eſſet Conſtantinopoli agit; ait enim: *Dudum te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana Urbe cognoſcens, cum me illic Sedis Apoſtolicæ reſponſa conſtringeret, & te illuc injuncta pro cauſis fidei Regis Vviſigothorum legatio perduxiſſet; omne tuis auribus, quod de me diſplicebat expoſui &c.* Repetens ſuæ converſionis initia, & quomodo e monaſterio abſtractus, ac diaconus ordinatus compulſus ſit a Pontifice Romano Pelagio legationis pondus ſubire, ſeu potius Apocriſarii munus obire Conſtantinopoli. Quomodo autem tunc monachis ſuis petentibus, quos ſecum Roma duxerat, ipſoque adnitente S. Leandro, aggreſſus ſit expoſitionem ſacri voluminis Job, ita ſubdit: *Tunc eiſdem fratribus, etiam te cogente placuit (ſicut ipſe meminiſti) ut librum Beati Job exponere, importuna me petitione compellerent &c.* Cœptum vero hoc anno opus illud, Gregorius abſolutum, primo ſui Pontificatus anno ad Leandrum id expetentem miſit, ut litteræ ipſius tunc ad eum ſcriptæ ſignificant, idemque quod in eodem commentario ipſe præfatus eſt confirmat. Quod vero ad Leandri legationem ſpectat, quæ

Greg. In præfat. Moral.

 obti-

JESU CHR. AN. 580.

obtinuerit apud Tiberium Imp. haud satis liquet. Cum etenim his temporibus rebus Persicis occupatus esset, adversus Gothos Arianos tam longe positos, exercitum mittere non potuit. Quæ autem post hæc gesta sint, & quomodo proditione perfidi parentis, tentus Hermenegildus, & in carcere occisus consecutus fuerit coronam martyrii, dicemus inferius.

De Ariani Episcopi impostura in cæco fanando.

14. Quæ vero memoratu digna acciderint, dum ejusmodi civile bellum in Hispania exardesceret, ex diversis locis petita narremus, atque hæc in primis ex Gregorio Turonensi: *In Hispaniis, inquit, nuper factum cognovi, cum Leuvigildus Rex contra filium suum ambularet, atque exercitus ejus (ut assolet) graviter loca sancta concuteret. Monasterium erat S. Martini inter Seguntum, atque Carthaginem spartariam; audientes autem monachi, quod hic exercitus ad locum illum deberet accedere, fugam ineunt, & se, relicto Abbate sene, in insulam maris abscondunt. Advenientibus autem Ghotis, ac diripientibus res monasterii, quæ sine custode remanserant, Abbatem senio incurvatum, sed sanctitate erectum offendunt, extractoque unus gladio quasi amputaturus cervicem ejus, resupinus ruit, ac spiritum exhalavit: reliqui vero hæc videntes, timore perterriti fugerunt. Quod cum Regi nunciatum fuisset, cum testificatione præcepit, omnia, quæ ablata fuerant, monasterio restaurari. Cernens autem præfatus Rex tanta miracula per servos Dei, qui nostræ Religionis erant, fieri; vocavit unum Episcoporum suorum, dixitque secretius ad eum: Quamobrem vos, ut isti, qui se Christianos dicunt, non ostenditis signa in populos secundum fidem vestram? Dicit ei Episcopus: sæpius ego cæcis lumen reddidi, & surdis auditum, nunc autem hæc possum facere, quæ dicis. Et vocato ad se uno de hæreticis, clanculo ait ad eum; Accipe quadraginta aureos, & clausis oculis reside in loco, unde nobis est transitus: & prætereunte mecum Rege, exclama in virtute, ut perditum lumen mea tibi credulitate restituam: Cumque hic accepta pecunia fecisset quod sibi fuerat imperatum, procedit novus Cyrola ad dexteram constipatus hæreticorum caterva; Exclamat, & iste cæcatus pecunia, ut fide Episcopi reciperet oculos suos. At ille cum non minima arrogantia imponens manus super oculos ejus, ait: secundum fidem meam fiat tibi. Hæc eo dicente, ita obscurati sunt oculi hominis cum dolore, ut non solum visum per-*

perderet, verum etiam dolum, quem avaritia impellente finxerat, publicaret. Hactenus Gregorius, qui idcirco Episcopum hunc, cujus non refert nomen, novum appellat Cyrolam, quod ejusdem nominis Episcopus, istiusmodi facinus tempore Vandalicæ persecutionis in Africa perpetrasset, ut superius dictum est. Ejusmodi plane esse consuevere hæreticorum miracula, ut imposturis affectent agere, quod omnino denegat ipsis gratia Spiritus Sancti in operatione virtutum, quæ tanquam certa atque legitima dos, cum aliis charismatibus Ecclesiæ Catholicæ tantummodo impertita cognoscitur, veluti evidens signum, quo Catholici ab hæreticis internosci possint; nempe in ostensione signorum, quæ vere proprieque miracula dici queant.

De Clerici egregia confessione.

15. Sed audi ab eodem Auctore egregiam confessionem hominis Orthodoxi, quem ipse novit. Describit rem gestam his verbis: *Sed & nostro tempore, cum incredulitas atque iniqua hæreticorum secta in locis Hispaniæ per malorum pessimas assertiones diseminata fuisset: quidam Clericus apprehensus, Christianum se esse confessus est, asserens æqualem Patri Filium, & Spiritum Sanctum. Cui Rex qui præerat, oblatis muneribus, tamquam maiorem se suppliciter deprecabatur, ut scilicet compressa confessione de sancta Trinitatis æqualitate, minorem Patre Filium cum Sancto Spiritu fateretur. Quod si faceret, facultatibus ditaretur, & magnus haberetur in populis. Quod illo consilium tamquam morsum viperæ fugiente, ac iniqui virus mortiferum respuente anguis, adjecit Rex: Video, inquit, duram intentionem mentis insanæ, sed novi temperamentum tuum, ut quem munera non deflectunt, facile tormenta subiiciant. At ille: Utinam dignus habear, ait, in hac jugulari confessione, nam munera tua tamquam stercus exhorreo. Tunc iratus Rex jussit eum ad Trochleas extendi, & fortiter cædi, interrogans: Quid credis? Respondit: Jam tibi dixi: Credo Deum Patrem Omnipotentem, & Filium ejus Jesum Christum. Post hæc cæsus est valde: sed semper durabat in confessione, neque umquam eum a fideli linea potuit hæc tortura deflectere. Nam in primordio cum cæderetur, tres tantum verberum ictus sensit, qui (ut postea referebat) ipsam animam penetrarunt; reliqua vero flagella nequaquam, tamquam si aliquod velamentum dorso superpositum fuisset. Ita non sentiens, magis fidem quam cœperat,* inter

Jesu Chr. an. 580.

inter tormenta positus prædicabat. Itaque cum Regi satisfactum de ejus cæde fuisset, dimissus est, obtestante eo, ne in termino Hispaniæ unquam inveniretur. At ille lætus discedens, in Gallias est regressus. Sed ut dictis fides adhibeatur; ego hominem vidi, qui hæc ab ipsius clerici ore audita narravi. Hactenus de ipso Gregorius. Quid vero de conflictu Orthodoxi tunc temporis inito cum hæretico, alibi idem auctor scribat, his attexere, congruum existimamus: ait enim. *Retulit alius vir fidelis, spectasse se Christianum cum hæretico pro fide nostra certantem, altercantibusque diu de divinis scripturis, cum flecti non posset hæreticus, ut agnosceret veritatem, ait: si nostræ Religionis, si scripturarum testimonia te ad credendum minime movent, vel virtutem individuæ Trinitatis experire. Est digito meo annulus aureus, ego eum in ignem jacio, tu candentem collige. Projectumque inter prunas annulum ita igniri permisit, ut eis similis cerneretur. Conversusque ad hæreticum, ait: si vera est prosecutio tua, sume eum ab igne. Illo autem resistente, ait: Immensa Trinitas Deus si quid indignum te credo, ostende: certe si recta est fides mea, nihil mihi prævalebunt hæc incendia sæva. Et ablatum ab igne annulum diutissime palma sustinuit, & nihil est nocitus; sed magis confuso hæretico, Catholicos reliquos fervore suæ fidei roboravit.* Hucusque Gregorius. Insuper narrat ipse Gregorius, se cum Agilane Ariano, ab eodem Leovigildo ad Chilpericum misso, ut apud ipsum legatione fungeretur, disputasse. Quæ autem inter utrumque transacta fuerint, idem auctor enarrat, recensetque disputationem tunc inter se habitam, quam apud auctorem legere quisque potest, sicuti & alia plurima in confirmationem catholicæ fidei miracula, quæ recensere & exponere longum esset.

Greg. Turon. de Glor. conf. cap. 14.

Igne probata Fides Catholica.

Greg. Tur. disputat cum Agilane Ariano.

16. De gestis in Oriente paucis nunc agimus. Ubi hoc anno, Joannes Episcopus Alexandrinus obiit, cum sedisset annos undecim, in cujus locum Eulogius ordinatus est, qui eam Ecclesiam per annos 27. administravit, de quo plura inferius dicturi sumus.

Joannes Alex Episcopi obiit, Eulogius succedit

1. Insequenti anno postcoss. Tiberii Aug. tertio, indict. XIV. Longobardi Campaniam nullo prohibente excurrentes, Neapolim obsederunt, id autem scimus ex subscriptione subjecta collectaneo, quod Eugipius Presbiter, & Abbas Lucullanensis defloravit, ibi enim habet, se jussu Reducis Episcopi id fecisse. *Et eo jubente ego Petrus notarius Sanctæ ecclesiæ catholicæ Neapolitanæ ut potui, emendavi sub die iduum Decembrium, Imperatore Domino nostro Tiberio Constantinopolis (legendum Constantino) Augusti (Augusto) anno tertio, indictione quintadecima, obsidentibus Longobardis Neapolitanam civitatem*. Hanc inscriptionem Mabillonius recitat, eamque ad annum 582. pertinere putat, Alii vero ad labentem annum referunt.

Longobardi Neapolim obsident.

Mabill. Analect. pag. 67. edit. noviss.

2. In Galliis vero hoc anno Ægidius Rhemensis Episcopus, qui in aula Childeberti potentissimus erat, ad Chilpericum legatum veniens, pacem cum eo firmavit ea conditione, ut post obitum Chilperici, qui tunc nullos habebat liberos, Childebertus ei succederet. Sed postea Chilperico natus est Clotarius, qui post Patrem regnavit. Ægidium Rhemensem hujus pacis mediatorem multis celebrat laudibus Fortunatus de quo inferius sermo occurret.

Chilperici pax cum Childeberto.

Fortun. carm. lib. 3.

3. Eodem anno Childeberti sexto (idest currenti) *Apud Lugdunum synodus Episcoporum conjungitur, diversarum causarum altercationes incidens, negligentioresque judicio damnans, synodus ad Regem revertitur, multa de fuga Mummoli Ducis, nonnulla discordiis tractans*. Quoad Mummolum Ducem, ejusque fuga, hæc habet Marius ad hunc annum, quo Chronicon suum absolvit. *Eo anno Mommolus Patricius, cum uxore & filiis, & multitudine familiæ, ac divitiis multis in Marca Childeberti Regis idest Avenione confugit*. Inclaruerat Mummolus in bello a Gallis adversus Longobardos gesto, demum suo Principi rebellans, ac Lundobaldo iterum fidem frangens, eadem perfidia suis hostibus traditur anno 585. ut videre est apud Gregorium.

Lugdunense concilium.

4. Hoc anno viros sanctitate præclaros ad Deum transisse narrat idem Gregorius: ex iis Hospitium prope Niceam in provincia reclusum, de cujus miraculis anno 575. jam egimus;

S. Hospitii obitus aliorumque.

JESU CHR. AN. 581

mus; Qui cum ultimum sibi diem instare cognovisset, Monasterii Præfectum ad se vocavit; eique jussit, ut Niciensem admoneret Episcopum, ut post tres dies ad se sepeliendum veniret; *Adveniente autem die tertia, deposuit catenas, quibus vinctus erat, prostravit se in orationem, & cum diutissime in lacrymis orasset, conlocans se super scamnum, extensis pedibus, elevatisque ad Cælum manibus gratias agens, Deo tradidit spiritum. Et statim omnes vermes illi qui sanctos artus perforabant, evanuerunt. Adveniens autem Austadius Episcopus, beatum corpus studiosissimæ sepulturæ mandavit. Hæc omnia ab ipsius ore cognovi, quem superius mutum & surdum ab eo sanatum exposui, qui multa mihi, & alia de ejus virtutibus narravit*. Hospitio Ferreolum Uticensem Episcopum addimus, virum *plenum sapientia & intellectu* qui libros aliquot *epistolarum conscripsit. Obiit & Eparchius Engolismensis reclusus, vir magnificæ sanctitatis, per quem Deus multa miracula ostendit*; quæ ibidem auctor enarrat. His addit Domnolum Cenomanensem Episcopum Sanctitate, ac miraculorum dono conspicuum. Quos omnes Sanctorum fasta, suis diebus celebrant.

Marius Aventicensis chronicon absolvit,

5. Labenti anno Marius Aventicensis Episcopus, chronico suo finem imposuit. Cujus initium duxit ab anno 465, quo Avitus Imperator est renunciatus, ubi Prosper suum finierat; Is in Burgundia nobilibus parentibus natus, Lausanensem seu Aventicensem Ecclesiam per annos XX., menses octo administravit, vixitque supra annum 585., quo Matisconensi concilio subscriptus legitur, annos 74. ut ajunt natus, obiit Kal. Januarii.

Sirmium ab Avaris occupatur.

6. De gestis in Oriente vix dicenda occurrnnt, nisi quod hoc etiam anno, ut ex Theophylato eruitur, feliciter res quoad bellum Persicum Romanis cesserunt; at Avari post longam obsidionem Sirmium, celeberrimum Pannoniæ oppidum, hoc vel superiori anno occuparunt, quod ipsis tradi ipse Imperator jusserat. *Qui*, ut ait Menander Protector, *potius esse duxit urbis deditionem facere, quam civium multitudinem in captivitatem & servitutem, una cum urbis amissione adduci sinere*. Insuper addit Chaganum Avarum Ducem trium præteritorum annorum auri summam, quam illi solvere solebant Romani ut ab armis abstinerent, ab Imperatore accepisse: *Erant vero pecuniæ, quæ pro pace uno quoque anno pendebantur ad*

Menand. t.1. hist. Biz. pag. 175.

mille

mille octoginta nummi aurei. Hoc fœdus Romanis probrosissimum, ac multarum postea calamitatum initium fuisse adnotat Theophylatus lib. 1. cap. 3.

Jesu Chr. an. 582.

JESU CHRISTI an. 582. Pelagii 2. Papæ 5. Mauricii Imp. 1.

1. Hoc anno 582. indict. XV. postcoss. Tiberii Aug. IV., effectum sortita est S. Benedicti prædictio de Cassinensis monasterii eversione, uti anno 574. adnotavimus. Hoc etenim tempore Longobardi Neapolim usque progressi, vastitatem undique attulerunt; Quamobrem Cassinenses monachi fuga sibi consulentes Romam se contulerunt, ne una cum monasterio ipsi perirent, quibus Pelagius 2. Romanus Pontifex Lateranense monasterium inhabitandum tradidit, uti S. Gregorius, & Paulus Diaconus narrant.

Longobardi Cassinense monasterium evertunt.

S. Greg. Dial. lib. 2. in princip. & cap. 17. Paul. Diac. lib. 4. 18.

2. Labentem insignivit annum Matisconensis synodus Gunthramni Regis jussu convocata: *Tam pro causis publicis, quam pro necessitatibus pauperum*, ut Patres testantur, ac habita dicitur Kal. Novemb. indict. XV., quæ notæ labentem annum indicant. Subscripsere Episcopi viginti & unum, quorum primus synodi Preses, Priscus Lugdunensis. Canones undeviginti synodus vulgavit; Quorum summa hæc est. I. Clerici cum mulieribus extraneis non habitent. II. Nec Clericus, aut Laicus, nisi ætatis provectæ, præter utilitatem, aut reparationem Monasterii cum Virginibus colloquatur; nec Virgines intra salutariorum, aut Oratorium ingrediantur. III. Mulier cubiculum Episcopj absque duobus Presbyteris, aut Diaconis non ingrediatur. IV. Defunctorum oblationes quicumque retinent, ut egentium necatores Ecclesiæ liminibus arceantur. V. Nullus Clericorum vestimenta, vel calceamenta secularia induat, alioquin triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum, & modico pane singulis diebus sustentetur. VI. Archiepiscopus sine pallio Missas non celebret. VII. Clericus absque discussione Episcopi a seculari judicio custodiæ non deputetur, excepto homicidio, furto, aut maleficio: secus Judex ab Ecclesiæ liminibus arceatur. VIII. Clericorum nullus Clericum apud Judicem accuset; si contra fecerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, sin certe honoratior, triginta dierum conclusione mulctetur. IX. A feria S. Martini usque ad

Synodus Matisconensis.

Crimina Clericorum potestati seculari reservata.

JESU CHR. AN. 582. ad Natale Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & quadragesimali ordine, idest, hora vespertina sacrificia celebreutur: quibus etiam diebus, Canonum lectio est peragenda. X. Clerici cum suis Antistitibus festa celebrent, contumaces officio moveantur. XI. Honoratiores Clerici, qui ad nuptias redierint, dignitate priventur. XIII. Virgines, quæ vel sponte, vel rogantibus parentibus benedictionem consecutæ sunt, si nuptiis conjungantur, cum procis communione priventur; Viaticum tamen illis non negetur. XIII. Judæi, neque Judices sint, aut publicani inter Christianos. XIV. Judæis a Cena Domini ad usque Pascha primum deambulandi licentia negetur, Clericis vero honorem habere jubeantur. XV. Judæorum conviviis Christiani non adsint. XVI. Nullus Christianus Judæis servus fiat: cuilibet Christiano facultas sit, ab illis mancipium duodecim solidis solutis redimere. XVII. Qui ad perjurium, vel falsum testimonium aliquem induxerit, nonnisi ad exitum communicet; perjurus vero insuper infamia notetur. XVIII. Qui innocentem accusat, si Clericus honoratior, ordine moveatur; si laicus, communione privetur, donec publica pœnitentia satisfecerit. XIX. Agnes Monacha, quæ de Monasterii septis fugerat, censuris subjicitur. Quæcumque id facinoris perpetrarit, a communione removeatur, qua pœna etiam afficitur ille, qui auxilium fugienti præbuerit.

Judæi ad baptismum suscipiendum coacti.

3. Hoc anno Childeberti septimo, Chilperici, & Gumthramni vigesimo primo, Chilpericus præpostera pietate ductus, multos Judæorum vi adhibsta baptismo ablui coegit. Quo exitu dicat ipse Gregorius: *Rex Chilpericus multos Judæorum eo anno baptizari præcepit, ex quibus plures excepit a Sancto lavacro. Nonnulli tamen non corde abluti, ad ipsam quam prius habuerant perfidiam, Deo mentiti regressi sunt, itaut & sabbatum observare, & diem Dominicum honorare viderentur.* Ex his Priscus quidam, cum nulla ratione, ut christianam fidem sequeretur, adduci potuisset, Chilperici Regis jussu in carcerem non solum conjectus est, sed etiam occisus, ut narrat Gregorius. Chilperico sapientiores fuere Toletani Patres, aliique ecclesiæ Pastores, qui Judæis vim ad credendum inferri noluerunt. Chilperico tamen ob hæc, aliaque pietatis indicia, hoc anno, post plurima filiorum funera, filius natus est, qua de causa vinctos in custodiis relaxa-

Greg. Turon. lib. 6. 17.

laxavit liberos, ac fisco debita dimisit. Deinde Parisios anno sequenti veniens, per Ragnemundum ejusdem urbis Episcopum filium baptizari jussit, cui Theodorici nomen imposuit.

Jesu Chr. an. 582. Theodoricus baptizatur. Eutychii CP. Episcopi obitus.

4. In Orientem nos vocant Eutychii CP. Episcopi, & Tiberii Imperatoris funera. Eutychii enim mors quadrimestre tantum, mortem Imperatoris præcessit, ut Eusthasius, qui præsens fuit, & Eutychii vitam scripsit testatur, his verbis: *Imperator magno desiderio, & fide B. virum invisit*; (dum ægrotaret) *primum quidem, ut ab illo benedictionem acciperet; deinde ut intelligeret, qui post illum Pastor esset populum gubernaturus. Benedixit ille quidem Imperatori, sed alterum reticuit, non quod ignoraret, sed propter quasdam causas, quas, Deo sibi aperiente, ipse noverat. Quare cum ea, quæ res, & tempus postulabant, cum Imperatore locutus esset, hilari lætoque vultu ille discessit. Ego autem a quibusdam Imperatoris familiaribus accepi, ei fuisse a sancto viro prenunciatum, celerem ipsi mortem instare; idque verum fuisse eventus docuit: nam quatuor post mensibus a vita discessit Christi amantissimus Imperator.* Ambo itaque hoc anno mortui sunt. Eutychius quidem die 6. Aprilis, qua Græci ejus transitum celebrant, ut Theophanes testatur anno secundum Alexandrinos 574. Kal. Septemb.: *Hoc anno die sexta Aprilis, indict. XV. Eutychius Patriarcha diem ultimum obiit, & post dies sex Joannes magnæ ecclesiæ Diaconus, qui jejunator dictus, consecratus est*. Hinc mirum Dupinium, Cavium, aliosque eruditos viros, Joannis CP. Episcopi initia in annum 585. transferre.

Disputatio inter Gregorium, & Eutychium.

5. Hic autem Eutychius commentarium de carnis resurrectione ediderat, quo docuerat, omnes quidem resurgendos, sed non in vera ac palpabili carne. Quæ cum audisset S. Gregorius, qui tunc temporis Apocrisarii munere apud Tiberium Imp. agebat, Eutychium, ut ab erronea ac hæretica sententia discederet, admonuit; tantaque vi sententiam ejus confutavit, ut damnatus liber incendio crematur, ipseque Eutychius sanioris mentis effectus, suum errorem detestaretur, ut idem Gregorius refert, qui verba Job. *& rursus circumdabor pelle mea*, exponens, hæc habet. *Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur: neque sicut Eutychius Constantinopolitanæ Urbis*

JESU CHR. AN. 582. *Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Unde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione Discipulis ostendit manus & latus, palpanda ossa, carnemque*

Luc. 24. *præbuit, dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Qui cum eidem Eutychio in Constantinopolitana Urbe positus hoc Evangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui inquam, Mira est res valde quam astruit, ut inde nobis dubietas surgat unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest, quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate separati? Si enim non hoc habuisse astruitur quod ostendit: unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur.* His plurima subdit de palpabili carnis resurrectione, ac tandem; *Idem Eutychius consentire se prorsus respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello quem de resurrectione scripserat, Pauli quoque tes-*

1. Cor. 15. *timonium indiderat dicentis: Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus,*

Alia Eutychii objecto. *quod futurum est seminas, sed nudum granum. Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum est seminari dixerit. Sed ad hæc citius respondetur. Nam Paulus Apostolus dicens: Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, hoc insinuat quod videmus: quia granum cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo, & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed deesse quod erat. Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, gravissima cœpimus a nobis simultate resilire. Cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secreto me, & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnovit, & utriusque partis allegationes pensans,* eum-

eumdem librum quem de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me ægritudo valida, eumdem vero Eutychium ægritudo & mors protinus est secuta. Quo mortuo, quia pene nullus erat, qui ejus dicta sequeretur, dissimulavi cœpta persequi, ne in favillas videretur verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret, & ego validissimis febribus ægrotarem: quicumque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant (ut eorum relatione cognovi) ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat, dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus: quod (sicut ipse fatebatur) omnino prius negare consueverat. Hucusque de his Gregorius, quæ inter ipsum, & Eutychium transacta sunt. Porro Eusthathius, qui res Eutychii est prosecutus, hæc de controversia cum S. Gregorio sciens volensque præteriit, leviterque errorem attingens, culpam reiicit in adversarium, quasi Eutychii verborum sensum haud assecutus fuisset, cum ipse (ut ait) minime carnis resurrectionem negaverit.

Liber Eutych. damnatur flammis.

Eutychius profitetur Catholicam veritatem.

6. Funeribus Eutychio persolutis, Joannes jejunator, ob abstinentiæ amorem dictus, in ejus locum est ordinatus, qui non ea modestia, ac humilitate, qua jejunatorem decebat, ecclesiam suam rexit, Ecclesiæ enim pacem, ob assumptum Oecumenici Episcopi nomen, plurimum turbavit, ut infra dicemus. Nunc ad Tiberii funus transeamus, quem post quatuor menses ab Eutychii transitu obiisse tradit Eusthasius, cui consentiunt auctor Chronici Alex., & Theophanes, dum tradunt die 14. Augusti indict. XV. Tiberium vitam commutasse. *Hoc quarto Imperii ejusdem anno æger Tiberius quinto Augusti XV. indict. præsentis creatus est Cæsar Mauricius Tiberius, & XIII. Augusti coronatus Augustus, data illi in uxorem a Tiberio novo Constantino filia Constantina. XIV. Augusti moritur Tiberius in processo Hebdomi impositoque ejus funere in navi defertur CPolim; postremoque die exequiis celebratis, corpus in æde SS. Apostolorum deponitur. Deinde Imperavit Mauricius annis viginti.* Eadem Theophanes habet ad hunc annum. Baronius quidem Eutychii Patriarchæ, ac Tiberii Imperatoris mortem anno 586. alligavit, unde Mauricii Imperium quadriennio decurtare debuit, ut anno 602. Phocæ locum daret, at errorem postea emen-

Joannes jejunator CP. Episcopus creatur.

Tiberii Imp. obitus.

Jesu Chr. an. 582. emendavit, ad annum 586., quem Primum Mauricii dixerat, tertium dicendum esse admonuit.

Mauricius Imperator. 7. Cum autem ægrotaret Tiberius, mortemque sibi inminere cognovisset, Mauricium moribus aç bellica virtute præstantissimum, e Bello Persico evocatum, successorem sibi elegit, & die V. Augusti Cæsarem primum, deinde XIII. ejusdem mensis Augustum dixit, ac vocatis in Palatio Joanne CP. Episcopo, qui Eutychio successerat, congregatisque Imperii Proceribus, Joanni Oratori, qui quœstoris munere fungebatur jussit, ut ad novum Imperatorem orationem haberet, quam Nicephorus integram recitat, in qua Imperator summam dificultatem in digno ad Imperium successore eligendo demonstrans; ad Mauricium deinde verba faciens, *Tu*, inquit, *pulcherrimum mihi Epitaphium Imperium tuum facere perge, sepulchrumque meum virtutibus tuis exorna*, deinde admonuit, ut amorem magis, quam timorem promereretur. Orationem, obortæ auditorum lacrymæ, exceperunt. Tum Tiberius sublatam sibi coronam, & purpuream clamydem, Mauritio tradidit, ac Constantinam novo Principi nuptui collocavit, ac quasi eo dumtaxat fine vitam retinuisset, ut suorum, Reipublicæque saluti provideret, postera luce optimus Imperator videndi finem fecit.

Niceph. lib. 18. 6.

Mauricii genus & mores 8. Mauricius Tiberii gener, & in Imperio successor, Romana gente natus, Arabissum Cappadociæ oppidum patriam habuit, variis gradibus civilis, ac militaris militiæ ad Imperium ascenderat, ut ex S. Gregorii epistola patet qua Christum sic alloquentem inducit. *Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem feci*. Dignis Imperio virtutibus præditus. Cujus laudes Evagrius, Menander, aliique celebrant. Evagrius narrata nuptiarum solemnitate, qua novus Imperator novam Augustam duxit hæc subdit. *Post hæc Mauricius operam dedit, ut non corpus solum, verum etiam animum Imperiali purpura, & corona exornaret. Solus enim ex iis, qui antea regnarunt Imperatoribus, sibimet ipse imperavit. Et Imperator re ipsa factus, plebejum quidem dominatum perturbationum ex animo suo procul amandavit. Optimatum vero principatum in mente sua constituens, vivum quoddam virtutis simulachrum se præbuit, subditos omnes ad sui imitationem eru-*

erudiens. Quæ quidem non assentandi studio a me dicta sunt. Cur enim eo consilio hæc dicerem, cum ille ea, quæ a me scribuntur, penitus ignoret? Sed rem ita se habere ut dixi, perspicue ostendent, tum ea quæ sunt illi donata divinitus, tum ea, quæ variis subinde temporibus acciderunt: quæ profecto, ut inter omnes constant, Deo accepta referri debent. Summa autem clementia immerentes etiam excepisse his verbis adnotat. *Præter autem alias virtutes, hoc illi præcipuum studium fuit, ut neminem eorum, qui læsæ majestatis accusati erant, extremo supplicio afficeret. Itaque nec Alamundarum Saracenorum regulum, qui & Rempublicam, & ipsum Mauricium, sicut antea commemoravi, prodiderat, morte mulctavit: sed tantum in insulam relegavit, & cum uxore sua, atque aliquot liberis Siciliam incolere præcepit. Naamanem vero ejus filium, qui rempublicam innumeris malis repleverat, & qui utramque Phœnicem, & Palestinas tres, ope barbatorum, quos circa se habebat, propulatus fuerat, & in servitutem redegerat, eo tempore, quo captus est Alamundarus: cum omnes Judices eum capitali supplicio afficiendum esse censuissent, in libera custodia detinuit, nullo amplius malo eum mulctans. Eadem clementia usus est etiam erga alios innumerabiles, ut singilatim dicemus suo loco.* Litteris & Litteratis apprime favit, Menandro teste, qui eo Imperante historiam suam scripsit. *Posteaquam vero Mauricius Imperator potestatem susceperat, cum sollicitus maxime de populo tum musarum amator, & poematum, atque historiam avidus auditor, ut & qui magnam partem noctis in iis studiis consumeret, & pecuniis uberiora ingenia acueret & excitaret, perlibenter ego hanc historiam scribendam suscepi, ab obitu Agathiæ auspicatus*, hæc Menander in prœmio suæ historiæ.

JESU CHR. AN. 582.

Menander Protector to. 1. hist. Bizant

9. Quantæ autem pietatis, ac in sanctos viros observantiæ Mauricius esset, testis extat ejusdem epistola, initio Imperii sui ad Theodorum Archimandritam scripta, a quo e bellico Persico rediens, de Imperio assequendo admonitus fuerat, cujus Gregorius, vitæ Theodori scriptor, in hunc modum meminit. *Ubi defuncto Tiberio*, Mauricius, *Imperium obtinuit, & ejus verborum memor, epistolam ad illum misit rogans, ut Deum pro se deprecaretur, ut Imperium in pace tueri posset, & ab hostibus defendere, addiditque ut peteret si quid a se vellet. Sanctus autem Theodorus B. Philumenum*

Mauricii Imp epist. ad Theodorum monachum.

Jesu Chr. an. 583. *menum misit, & rescripsit Imperatori, ut in usus pauperum aliquid frumenti monasterio tribueret. Addixit igitur Imperator monasterio singulis annis tritici modios sexcentos, & poculum illi pro munere misit.* Hucusque Gregorius; reliquæ autem Mauricii res gestæ usque ad annum 602. quo Imperium tenuit suis annis reservamus.

JESU CHRITI AN. 583. PELAGII 2. PAPÆ 6.
MAURICII IMP. 2.

CP. terræmotu concutitur.

1. Sequitur Christi annus 583. quo Urbs Regia Constantinopolis terræmotu concussa fuit. *Die decima maii maximus fuit terræmotus, adeout universus populus ad ecclesias confugerit, & natalitium certamen equestre celebratum minime fuerit: Neniorum die, seu dedicatio urbis anniversaria, primo adhuc anno postquam Mauricius inivit, passa tellus quod solet concussu atrocissimo, veluti si ab imis sedibus exiliret CPlis quassata est.* Ait Theophilatus, quo etiam anno Persico bello vigente, prælium inter Chardariganum Persarum Ducem, & Joannem Mystacionem militiæ Romanæ Magistrum habitum est ad fluvium Nyphium, quo Romani in fugam versi sunt; quod prælium Theophanes accurate describit ad annum 575. secundum Alex.. De hoc Joanne a Mauricio Imperatore bello Persico Præfecto agunt Theophylatus, & Evagrius, qui addit nil memoria dignum eum gessisse.

Avares bellum in Romanos movent.

2. *Avares*, quoque, *qui non multum ante*, subdit Theophanes ad hunc annum, *Sirmium nobilem Europæ urbem occupaverant, directa ad Mauricium legatione postulaverunt, ut octoginta millibus annuæ distributionis, quæ sibi a Romanis pendebatur, alia adhuc auri viginti millia adderentur: quam pecuniarum summam Imperator pacis conservandæ studio solvere non detrectavit.* Sed cum Chaganus alia viginti millia centena illis adiici postularet, & recusaret Imperator, *ille expeditione suscepta, Sigidonem evertit, multasque alias Urbes Illyrici Præfectura subditas expugnavit: cæpitque Anchialum.* Sed bellum hoc longe accuratius descripsit Theophilactus lib. 1. cap. 3. & seqq. aitque, Avares, qui Istrum accolebant, & Sirmium *prius ceperant, parvo admodum spatio, quam Mauricius curas Rom. una cum purpura indueret, diutius biennio*, fœdus cum Romanis non servasse: nec cun-

ctatos

ctatos Singidonem, Auguftam, & Viminacium expugnaffe, & Anchialum devaftaffe. Mauricium duos Legatos ad Chaganum, dum Anchiali effet, mififfe Elpidium fcilicet & Comentiolum. Sed cum Comentiolus liberius, & minaciter locutus fuiffet, parum abfuit, quin Chaganus eum morti traderet: *Anno infequenti*, inquit Theophilatus, *Elpidius iterum ad eumdem miffus, & inter eum, & Chaganum ftatuitur, ut Romani vicenis millibus fummam priorem cumulent. Verum autumno ineunte, Barbari fœdus de integro temerant, bellique focietatem aperte abjiciunt, & afpernantur*. Chaganus Martionopolim, aliafque Romanorum Urbes fubegit; Quæ partim fuperiori, partem currenti anno gefta funt, ut ex laudatis Theophilati verbis liquet.

Concil. Lugd tertium, ejufque canones *Concil. to. 5. pag. 974.*

3. In Occidente Lugdunenfis hoc anno fynodus celebrata eft anno 22. Gumthramni Regis, ut ex infcriptione patet, cui Præfules octo interfuere, Prifco Lugdunenfi Præfide, qua canones fex editi funt. Quorum Primus Epifcopis, Presbyteris, & Diaconibus cum extraneis mulieribus habitare prohibet. Ab uxoribus quoque, fi habuerint feparantur: quod fi poft acceptam benedictionem liberos procreaverint, officio moventur. 2. De Epiftolis commendatitiis pro captivorum neceffitate hæc habet: Dies datarum, & prætia conftituta, vel neceffitates captivorum, quos cum Epiftolis dirigunt, ibidem inferantur. 3. Puellæ quæ Monafterio extra captivitatis incurfum, voluntate fua fe fubftraxerint, donec in illud revertantur, a communione feparentur, viaticum tamen inftante morte præbeatur. 4. De inceftis conjunctionibus veteres Canones ferventur. 5. Epifcopi Natale, & Pafcha in fua dumtaxat Ecclefia celebrent, nifi aut morbo, aut Principis mandato alibi detineantur. Uniufcujufque civitatis leprofi ab Epifcopo alimenta & veftimenta accipiant, ac iis per alias civitates vagandi licentia denegetur.

JESU CHRISTI AN. 584. PELAGII 2. PAPÆ 7. MAURICII IMP. 3. AUTHARIT LONGOB. REGIS AN. 1.

De Conf. Mauricii Imp

1. Labentem Chrifti annum 584. indict. 2. confulatu fuo Mauricius Imperator infignivit, Theophanes ad annum fecund. Alex. 576. Kal. Septemb. fuperioris anni inchoato hæc habet: *Hoc anno menfis Decembris die vigefima indict. 2., Impe-*

JESU CHR. AN. 584. *Imperator consul designatus, magnorum thesaurorum munera urbi largitus est.* Quare Kal. Januarii hujus anni Mauricius consul processit: *Agebatur annus Mauricii secundus*, ait

Theophyl. lib. 1. c. 12. Theophilatus, *cum hyeme consul creatus, conscenso curru Imperatorio summe conspicuus erat. Quem non equi, non muli, sed homines trahebant.* Eadem de Mauricii consulatu hoc anno inito tradit auctor chronici Alex., dum superiorem annum sine consulibus fuisse tradit, quem postcoss. Tiberii quartum dixit. Miscellæ vero auctor, & Simocata, cum anno secundo Mauricii copulant. Doctissimus etiam Norisius ad annum superiorem Mauricii consulatum alligaverat dissertatione de synodo V. cap. 9. §. 3.. At re diligentius examinata ad hunc annum retraxit, dissertatione 3. de anno & epochis Syro Macedonum cap. 6., & in labentem consignavit.

Pelagii epist. ad Gregorium. 2. His de Mauricii consulatu notatis, de gestis eo consule agendum est. Cum autem Longobardorum excursionibus, non solum Italia, sed Roma etiam vexaretur, Pelagius Romanus Pontifex a Mauricio Imperatore auxilium petiit, misso CP. Honorato notario, una cum Sebastiano Episcopo, quos ad Gregorium apocrisarium apud Imperatorem adhuc agentem direxit, ad quem has litteras dedit:

Pelagius Episcopus dilecto filio Gregorio Venerabili Diacono.

Omnia quidem quæ necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curavimus indicare; quem cum fratre, & Coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus, ut quia illis in partibus ad Ravennam usque nunc cum viro glorioso domino Decio Patricio fuit; ipse sua relatione te de omnibus studeat informare, vel si qua necessaria judicaveris, possis domino Imperatori suggerere. Quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis a perfidia Longobardorum illatæ sunt, contra suum proprium jusjurandum, ut nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastianum quomodo susceperimus, vel in quali apud nos, te suggerente, fuerit caritate, ipsius poteris relatione cognoscere; qui etiam promisit nobis necessitates, vel pericula totius Italiæ piissimo Domino Imperatori suggerere. Loquimini ergo, & tractate pariter, quomodo nostris possitis celeriter subvenire periculis: quia ita hic

hic coangustata est Respublica, ut nisi Deus piissimi in corde Principis inspiraverit, ut insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam Diacoposin, vel unum magistrum militum, & unum Ducem dignetur concedere, in omni sumus angustia destituti: quia maxime partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur. Et Exarchus scribit, nullum nobis posse remedium facere: quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus nostris velociter periculis subvenire, antequam nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc a republica detinentur, Deo sibi contrario, quod absit, prævaleant occupare. Presbyterum autem ad nos, Deo adjuvante, retransmittere festina: quia & in monasterio tuo, & in opere, cui eum præposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data IV. Nonas Octobris, indictione tertia.

JESU CHR. AN. 584.

3. At quisnam iste fuerit Presbyter monasterio ipsius S. Gregorii adeo necessarius, ex ejusdem Gregorii scriptis, & rebus gestis satis possumus intelligere. Etenim quem secum duxerat Maximianum presbyterum, eumdem his puto ex causis a Pelagio inculcatis Gregorius Romam redire præcepit: hunc ipsum namque Constantinopoli ab eo dimissum constat. Cui & quid acciderit Romam redeunti, cum mare Hadriaticum navigaret, idem ipse Gregorius his verbis narrat: *Neque hoc silendum puto, quod omnipotens Deus super Maximianum famulum suum, nunc Syracusanum Episcopum, tunc autem mei Monasterii Patrem, dignatus est monstrare miraculum. Nam dum jussione Pontificis mei in Constantinopolitanæ urbis Palatio responsis Ecclesiasticis deservirem, illuc ad me idem venerabilis Maximianus, charitate exigente, cum fratribus venit. Qui cum ad monasterium meum Romam rediret, in mari Hadriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se, cunctosque, qui aderant, omnipotentis Dei, & iram cognovit, & gratiam, nam cum in eorum morte, ventorum nimietatibus elevati fluctus sævirent, ex navi clavis perditis, arbor abscissa est, vela in undis projecta, totumque vas navis quassatum nimiis fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus, intravit mare, atque usque ad superiores tabulas implevit navem, ita ut non tam navis intra undas, quam undæ jam intra navem esse viderentur. Tunc in eadem navi*

Maximianus Romam rediens a naufragio liberatur.

Greg. lib. 3. dial. cap. 36.

JESU CHR. AN. 584.

residentes, non jam ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia ac visione turbati omnes sibimet pacem dederunt; Corpus & Sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora in tam pavenda morte tradiderat. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabilius servavit. Nam diebus octo navis eadem usque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens, enatavit; nono autem die in Cothronensis castri portum deducta est, ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiano navigabant: cumque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in ejusdem portus profundum navis demersa est; ac si, illis egredientibus, præ pondere sublevatione caruisset; & quæ plena hominibus in pelago aquas portaverat atque nataverat, Maximiano cum suis fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu non valuit portare. Ut hinc omnipotens Deus ostenderet, quia hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab omnibus vacua, & derelicta super aquas non potuit manere. Hactenus Gregorius: ex quibus intelligis pariter, perseverasse usum, ut pii Cristiani peregrinantes, navigantesque secum ferrent Sacratissimam Eucharistiam, ut vidimus olim a S. Satyro S. Ambrosii germano factum, atque ab aliis, ut suis locis habetur expressum.

Navis in portu mergitur, ubi salvi facti sunt omnes.

Pelagii epist. ad Eunanium Episcopum.

4. Ad Pelagium redimus, qui ut Italiæ incolumitati consuleret, non solum a Mauritio Imperatore auxilium petiit, sed Francorum etiam Reges, ut opem ferrent, datis ad Aunacharium Antissiodorensem Episcopum litteris, excitavit, & ut ab inito cum Longobardis fœdere recederent hortatus est, ac reliquias Sanctorum, quas petierant, mittit. Unde post aliqua Antissiodorensem Episcopum his verbis excitat. *Cavete igitur*, addit, *carissime frater, ne dum regibus vestris juvandi nos virtus sit data divinitus, caritatis vestræ circa nos levitas arguatur: qui illis & in fide, & in consiliis, vestro sacerdotio sic devotis, suadere talia, aut negligitis, aut differtis. Sacras autem reliquias, quas & tua charitas, & gloriosissimus filius noster petiit dirigendas, cum cohærenti sibi sanctificatione transmisimus. Propter quod nihilominus admonemus, ut quorum virtutem quæritis, eorum Templa a pollutione gentium liberari, in quantum vobis est possibile, festinetis: & vestris regibus instantissime suadeatis, quatenus*

ab

ab amicitiis & conjunctione nefandissimi hostis Longobardorum, salubri se provisione segregare festinent; nedum illorum vindictæ tempus advenerit, sicut & celere fieri divina miseratione confidimus, eorum etiam illi inveniantur esse participes, quia scriptum est: Non solum qui ea faciunt; Sed etiam qui consentiunt facientibus puniendos. Deus te incolumem custodiat, carissime frater. Datum III. Nonas Octobres, imperante Domino Tiberio Constantinopoli Augusto, anno VII.

5. Altera extat Pelagii 2. ad eumdem Eunanium, seu Aunacharium epistola, qua de ædificatis ecclesiis gratulatur, seque ejus orationi commendat. Mauricius vero Imperator Italiæ calamitatibus commotus, & Pelagii Papæ precibus, cum bello Persico, & Avarico distentus, exercitum adversus Longobardos mittere non posset, ingentem ad Childebertum Francorum Regem auri summam misit, ac ut exercitum ipse adversus Longobardos in Italiam mitteret, rogavit, & sane Childebertus auro accepto in Italiam cum milite irrupit, facileque Longobardos inde ejecisset, si fidem datam servasset. At sicuti accepta pœcunia a Mauritio adversus Longobardos exercitum emiserat, ita acceptis a Longobardis muneribus, in Gallias cito rediit, ut ad hunc annum Childeberti nonum narrat Gregorius Turonensis: *Childebertus vero Rex in Italiam abiit. Quod cum audissent Longobardi, timentes ne ab ejus exercitu cæderentur; subdiderunt se ditioni ejus, multa ei dantes munera, ac promittentes se parti ejus esse fideles, atque subiectos: patratisque cum his omnibus, quæ voluit Rex, in Gallias est regressus, atque exercitum commoveri præcepit, quem in Hispaniam dirigi jussit, sed quievit. Ab Imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta millia solidorum acceperat, ut Longobardos de Italia extruderet. Audito autem Imperator, quod cum his in pace conjunctus est, pecuniam repetebat: sed hic fidus a solatiis, ne responsum quidem pro hac re voluit reddere*; sicque Romanorum æque, ac Longobardorum auro ditatus Childebertus, & fidem datam, Italorumque spem fefellit.

Altera Pelagii epist. ad Eunanium Episcopum.

Greg. Turon. lib. 6. c. 42.

Childebertus in Italiam venit cum Longobardis pacem init.

6. Cum annis decem sine Rege Longobardi transegissent, ac 30. fere Duces in Italia dominarentur; hoc anno ut ait Paulus Diaconus, instante bello in eos a Romanis, & Francis suscepto, ut rebus suis consulerent, Autharit in Regem crearunt. Blicariensis Abbas, initia Regni Autharit ad an-

Autharit Rex Longobard. creatur.

JESU CHR. AN. 584. annum Mauricii quintum alligat, qui 582. respondet, sed cum Paulus Diaconus decennium Aristocratiæ assignet, nec ante annum 574. Clephi Regis mors acciderit, nonnisi hoc anno Autharim Regem dictum fuisse constat, de quibus hæc Paulus Diaconus: *At vero Longobardi cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem communi consilio Autharit Clephonis supra memorati Principis filium, Regem sibi statuerunt: quem etiam ob dignitatem Flavium appellarunt; quo prænomine omnes qui postea fuere Longobardorum Reges, feliciter usi sunt. In hujus diebus ob restaurationem regni, Duces qui tunc erant, omnis substantiæ suæ medietatem regalibus usibus tribuunt; ut esse posset, unde Rex ipse, & qui ei aderant, ejusque obsequiis per diversa officia dediti alerentur: populi tamen aggravati per Longobardos hospites partiuntur. Erat sane hoc mirabile in regno Longobardorum, quod nulla erat violentia, nullæ statuebantur insidiæ, nec aliquem injuste angariabant, neminem, spoliabant; non erant furta, non latrocinia, unusquisque quolibet securus sine timore pergebat.* Hæc Paulus Diaconus, quibus adversantur Pelagius 2., & Gregorius Romani Pontifices, qui ob Longobardorum feritatem, nefandissimam gentem dixerunt. Sic tamen hæc conciliari possunt, si advertas Paulum loqui de his, quæ in Regno Longobardorum continebantur, ac in provinciis sibi subditis; Gregorius vero de iis, quæ adversus Romanos, quos ut hostes habebant, Longobardi perpetrabant, quos ferro, flammisque vastabant.

Theodorici interitus cujus causa maleficæ mulieres morti traditæ sunt.

7. In Galliis hoc anno Chilpericus, Theodoricum filium, quem anno proximo habuerat, mortuum hoc anno luxit; cumque cum maleficiis sibi ereptum Fredegundis mater credidisset, deprehensas Parisiis mulieres tormentis subdidit, cumque pro Mummoli præfecti vita, suis maleficiis Regium puerum se interemisse dixissent, Mummolus Præfectus una cum maleficis variis tormentorum generibus interfectus est. Theodorici pueri mors eo tempore contigit, cum ex Hispania legati ad Chilpericum advenerant, ut Reccaredi nomine ejus filiam pro Leovigildo filio suo sponsam peterent. Voluit quidem Basinam, quam ex Audovere susceperat Reccaredo tradere, sed Patris voluntati, tam filia, quam mater obstitit; dicebat enim Radegundis Regina: *Non est dignum, ut puella Christo dicata ad seculi voluptates iterum revertatur.*

Greg. lib. 6. cap. 34.

tur. Quare Riguntes Leovigildo sponsa destinata fuit, cui abeunti Chilpericus pater, ut cum honore deduceret, multas de fiscalibus domibus familias auferri præcepit, & in plaustris componi, flentes nolentesque in carcerem conjecit, qua de causa, multos laqueo periisse ferunt, *tantusque planctus in urbe Parisiaca erat, ut planctui compararetur Ægyptio*, ait Gregorius, traditaque Legatis Gothorum Rigunte: *Magnos ei thesauros Chilpericus dedit. Sed & mater ejus Radegundis immensum pondus auri, argentique, sive vestimentorum protulit, itaut videns hæc Rex, nihil sibi remansisse putaret*. Abeuntem ducebant armatorum, quatuor circiter millia, quibus quasi Paranymphus præerat Dux Bobo, cujus iter hostile erat. Nam Riguntis comites pauperes spoliabant, vites vastabant, pecora adducebant: ut omnia luctu miscerentur. Pervenerat Tolosam usque Reguntis, cum moras nectere cœpit. Causabantur enim Comites, ejus itineris molestia se fatigatos, ac sordidos esse. Expectandum igitur, ut calcei, vestesque repararentur, ne si inculti, inelegantesque Gothorum in conspectum venirent, in contemptum adducerentur. Dum his de causis Tolosæ morantur, Desiderio Duci mors Chilperici nunciatur, qui oppidum ingressus, Riguntis thesauros eripuit, eamque ad matrem redire compulit, ut pluribus narrat Turonensis.

JESU CHR. AN. 584.

Riguntis nuptiæ cum Leovigildo.

Riguntis ad matrem redit.

8. Chilpericus itaque infaustis filiæ nuptiis celebratis, infeliciori exitu hoc anno periit. Rem gestam sic Gregorius narrat: *Chilpericus Nero nostri temporis, & Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quodam vero die regressus de venatione jam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, ut unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens quidam cultro percutit sub ascella, iteratoque ictu ventrem ejus perforat: statimque profluente copia sanguinis tam per os, quam per aditum vulneris, iniquum fudit spiritum*. Et post nonnulla, quibus recenset ejus scelera Nerone digna, de odio quo flagrabat adversus Sacerdotes, & Ecclesias, & inter alia de his, quæ spectant ad bona Ecclesiastica, quorum expilator fuerat: *Ajebat enim* (addit Gregorius) *plerumque: Ecce pauper remansit fiscus noster: ecce divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli penitus, nisi soli Episcopi regnant: periit bonor noster, & translatus est ad* Epi-

Chilperici Regis obitus *Greg. lib. 6. cap. 46.*

Regis Chilperici avaritia, & crudelitas.

JESU CHR. AN. 584. *Episcopos civitatum. Hæc agens assidue, testamenta quæ in Ecclesiis conscripta erant, plerumque disrupit.* Deinde quasi levia hæc essent, hæc iterum addit: *Jam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione, quod non perpetrasset in opere. Nova semper ad lædendum populum ingenia perquirebat. Nam si quos hoc tempore culpabiter reperisset, oculos ejus jubebat erui, & in præceptionibus, quas ad judices pro suis utilitatibus dirigebat, hoc addebat: Si quis præcepta vestra contempserit, oculorum avulsione mulctetur &c.*. Hæc de Chilperico Gregorius. Quem tamen suis versibus celebrat Fortunatus. Hoc unum in eo laude dignum memorant scriptores, quod litteris aliquatenus operam dederit. Nam Gregorio teste, duos vulgavit libros, ac Sedulium male imitari conatus est: *In quibus dum non intelligebat, pro longis syllabas breves posuit, & pro brevibus longas statuebat; & alia opuscula, vel hymnos, sive missas, quæ nulla ratione suscipi possunt.* Ceterum infelix Princeps nullum sui desiderium reliquit, nam cum neminem dilexisset: *Cum spiritum exalasset, omnes eum reliquerunt. Malulfus autem Sylvanectensis Episcopus, ut interemptum audivit, ablutum vestimentis melioribus induit, noctem in hymnis deductam, in navim levavit, & in basilica S. Vincentii, quæ est Parisiis sepelivit.*

Fort. lib. 9. 1.

Chilpericus ad Infernum damnatus.

9. Tristia hæc quidem sunt ad erudiendos Principes, ne fastigio suo superbiant. Sed tristiora adhuc de Chilperico Gregorius narrat, qui dum cum Gumthramno Rege de Chilperici morte verba faceret. Hæc de eo Gumthramnus narravit: *Vidi & ego aliam visionem, quæ hujus interitum nunciavit. Adducebatur enim in conspectu meo a tribus Episcopis vinctus catenis, quorum unus Tetricus, alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunensis erat. E quibus dicebant duo: Solvite, quæso eum, & castigatum abire permittite. Quibus e contrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita, sed igne concremabitur pro sceleribus suis. Et cum diu multumque quasi altercantes, hæc inter se verba proferrent, conspicio eminus æneum super ignem positum fervere vehementer. Tunc me flente, apprehensum infelicem Chilpericum, confractis membris, projiciunt in æneum: nec mora inter undarum vapores ita dissolutus, ac liquefactus est, ut nullum ex eo penitus indicium remaneret.* Hæc de his Gregorius Turonensis.

10. Clo-

10. Clotharium infantem quadrimum post se reliquit Chilpericus, cujus sæpe Gregorius meminit. Fredegundis vero uxor ejus, inopinati casus ictu perculsa, superbiam suam momento exuit, & legatos ad Gumtheramnum Regem misit dicens: *Veniat Dominus meus, & suscipiat Regnum fratris sui. Est mihi infans parvulus, quem in ejus ulnis ponere desiderans, me ipsam ejus humilio ditioni.* Gumthramnus audito fratris obitu amarissime flevit, & continuo Parisios cum exercitu transiit, quo etiam Childebertus Rex ejus nepos advenit, quem cum Parisienses admittere recusassent, legatos ad Gunthramnum direxit, ac rogavit, ut in pactis mutuis manerent; at Gumthramnus se quidquam de Chereberti Regno, vel facultatibus concessurum negavit. Alia legatione missa ut Fredeguntem Reginam sibi traderet Childebertus rogavit, dicens: *Redde homicidam, quæ Amitam meam suggillavit, quæ Patrem interfecit, & Patruum, quæ ipsos quoque consobrinos meos gladio interemit.* Sed neque id Childebertus obtinere potuit, Fredegundem enim Gunthramnus patrocinio suo defendebat. Cum vero eam Parisiensibus invisam esse sciret, ad villam Rothojalensem in Rothomagensi territorio sitam abire præcepit; *ubi cum esset mœsta, quod ei potestas fuisset ablata, meliorem se Brunichilde esse existimans, misit occulte clericum sibi familiarem, ut eam dolo interimeret, sed detectis insidiis, flagellis coesus ad dominam suam redire permittitur.* Fredegundis vero eum manibus, pedibusque abscindi præcepit, eo quod tentatum facinus opere non complevisset.

JESU CHR. AN. 584. Clotharius Chilperici filius.

11. Guntheramnus vero cum fratris Regnum suo adjunxisset: *Omnia quæ fideles Regis Chilperici non recte diversis abstulerant, justitia intercedente, restituit,* ait Gregorius. *Multa & ipse ecclesiis conferens, testamenta quoque defunctorum, qui Ecclesias hæredes instituerant, & a Chilperico compressa fuerant, restauravit,* ac Prætextatum Rothomagensem Episcopum a Chilperico in exilium ejectum suæ sedi restituit. Quomodo autem post biennium, jussu Fredegundis in sua ecclesia percussus obierit, dicemus anno 586.

Gumtherámni Regis pietas religio.

12. Interea cum plurima ecclesiis contulisset Gunthramnus, ut donationes Regis synodali sententia confirmarentur, idem Rex Valentinam synodum indixit, qua septemdecim Episcopi adfuerunt, quorum primus Sapaudus

Valentina synodus indicitur.

JESU CHR. AN. 585. Arelatensis Episcopus fuit, eaque synodo, quæcumque a Rege, aut Regina ecclesiis donata fuerant, rata esse Episcopi declararunt: *Idcirco præsenti constitutione unanimi consensu, Deo medio, Synodus sancta decrevit, ut si quid Basilicæ sancti Marcelli, vel Sancti Symphoriani, vel quibuscumque locis, vel servientibus Deo per quascumque auctoritates, vel scripturarum epistolas, præfatus dominus Rex, vel supra nuncupata jugalis sua, & filiæ eorum, sive in ministerio altariorum, sive in quibuscumque speciebus, quæ ad divinum cultum pertinere noscuntur, contulisse, vel adhuc conferre voluerint, neque Episcopi locorum, neque potestas regia, quocumque tempore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præsumat. Quod si quis hoc, quocumque tempore temerare, aut auferre præsumpserit, veluti necator pauperum, anathemate perpetui judicii divini plectatur, & veluti sacrilegii perpetrator, criminis sui reus, supplicii æterni teneatur obnoxius &c.*

JESU CHRISTI AN. 585. PELAGII 2. PAPÆ 8. MAURICII IMP. 4. AUTHARIT LONG. REG. AN. 2.

Victoriæ Autharit Regis Longobardorum.

1. Annus adest quingentesimus octogesimus quintus, quo Autharit ad Regiam dignitatem a Longobardis evectus, (ut anno superiori diximus) Longobardicum Regnum augere studuit. Ad hæc enim tempora ea pertinent, quæ Paulus Diaconus his verbis refert: *Autharit Rex Brexillum civitatem super Padi marginem sitam expugnare aggressus est, in quam Droctulf Dux a Longobardis confugerat, seque partibus Imperatoris tradens, sociatus militibus, Longobardorum exercitui fortiter resistebat . . . . Tandemque eum cum militibus, quos juvabat, exsuperantes, Ravennam cedere compulerunt. Brexillus capta est, muri quoque ejus ad solum usque destructi sunt.* Victoriam Longobardorum memorat Biclariensis, dum ait: *Athave (lege Antharit) Longobardorum Rex cum Romanis congressione facta, superat, & cæsa multitudine militum Romanorum, Italiæ fines occupat.* Ea prælia triennales induciæ exceperunt: *Post hæc Antharit Rex cum Smaragdo Patricio, qui tunc Ravennæ præerat, usque in annum tertium pacem fecit.* Pacis hujus occasione usus Pelagius Papa, anno insequente, Epistolam Episcopis Istriæ misit

misit ad componenda de tribus Capitulis dissidia: *Posteaquam Deus omnipotens pro felicitate Christianorum Principum, per labores, atque sollicitudinem filii nostri excellentissimi Smaragdi Exarchi, & Chartularii Sacri Palatii, pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus est &c.*

2. Cum autem adeo prostratæ res Romanorum in Italia essent, a barbarorum gladiis salvam substitisse Romam mirum est, quam SS. Petri, & Pauli protectione munitam fuisse, non semel adnotat S. Gregorius Papa. Inter alia admiratione digna, prodigium hisce diebus virtute Petri Apostoli accidisse narrat, quo novi Regis Longobardorum cervix etsi ferrea flexa est, atque munera ad Apostolorum limina mittere coegit. Rem miram his verbis narrat: *Benedictionem S. Petri Apostoli clavem a sacratissimo ejus corpore transmisi, de qua videlicet clavi hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Langobardus civitatem ingressus in Transpadanis partibus invenisset, quia Sancti Petri clavis esset despiciens: sed pro eo quod eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic Rex Langobardorum Autharith, atque alii multi ejus homines adessent, & is, qui se percusserat seorsum mortuus, clavis vero hæc seorsum jaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque ipse hanc levavit de terra. Autharit vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset; ipsam ergo vestræ Excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit; at per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præsentem salutem, & æternam habere valeatis.* Hactenus Gregorius, ad quem nunc oratio nostra dilabitur; hoc etenim anno Romam tandem rediit, Pontificalem cathedram, aliquot post annos ascensurus.

De clave Petri miraculum.

Greg. epist. ad Theotistam lib. 7. 26.

3. Romam itaque reversus Gregorius in monasterii sui portum, urbis aulæque pertæsus se recepit, ubi rogantibns

S Gregorius sui monasterii Abbas.

JESU CHR. AN. 585. immo cogentibus fratribus Abbatis officium suscepit, ut idem narrat, aperteque testatus est in synodo, dum Pontificatum gereret his verbis: *Quam sit necessarium monasteriorum quieti conspicere . . . . anteactum nos officium, quod in regimine monasterii exhibuimus informat*. Diu tamen Sancto viro non licuit frui monastica quiete, nam ut olim Hieronymus S. Damaso Papæ, Prosper S. Leoni, sic ille Pelagio secundo in scribendis epistolis adjutor fuit.

S. Gregorius scribendis epistolis a Pelagio 2. destinatus.

De Hermenegildi martirio, ejusque causa.

4. Perillustrem nunc historiam aggredimur, martyrium scilicet S. Hermenegildi filii Leovigildi Regis, quod hoc anno Childeberti decimo, qui cum labenti concurrit, Gregorius Turonensis accidisse testatur; eademque Blicariensis in chronico anno tertio Mauricii Imperatoris, idest labenti anno. Quæ autem Hermenegildi martyrio causam dederint anno 580. jam adnotavimus, scilicet fidei catholicæ professionem ab Hermenegildo susceptam, suadente Hingunde conjuge sua. Cumque hac de causa inter Patrem & filium civile bellum exarsisset, victus hoc anno a Patre Hermenegildus, & a Græcis quorum auxilium, per Leandrum Hispalensem Episcopum CP. missum postulaverat, proditus, in Patris potestatem redactus, cum in catholicæ fidei confessione perseveraret, ab Ariano Patre capite damnatus, illustrem martyrii coronam promeruit. Quæ martyrium præcesserunt Gregorius Turonensis narrat: *At ille* (nempe Leovigildus) *datis Præfecto Imperatoris triginta millibus solidorum, ut se ab ejus solatio revocaret, commoto exercitu contra eum venit. Hermenechildus vero vocatis Græcis contra Patrem egreditur, relicta in urbe conjuge sua; Cumque Leovigildus ex adverso veniret, relictus a solatio, Græcorum scilicet, Hermenegildus cum videret nihil se prævalere posse, Ecclesiam, quæ erat propinqua expetiit, dicens: Non veniat super me pater meus; nefas est enim, aut patrem a filio, aut filium a patre interfici. Hæc audiens Leovigildus, misit ad eum fratrem ejus; qui dato Sacramento, ne humiliaretur, ait: Tu ipse accede, & prosternere pedibus patris nostri, & omnia indulgebit tibi. At ille poposcit vocari patrem suum. Quo ingrediente, prostravit se ad pedes illius; ille vero apprehensum osculatus est eum, & blandis sermonibus delinitum duxit ad castra, oblitusque Sacramenti, innuit suis, & apprehensum spoliavit eum indumentis suis, induitque illum ve-*

Greg. Turon. lib. 5. c. 38.

ste vili; *regressusque ad urbem Toletum*, *ablatis pueris ejus*, *misit eum in exilium cum uno tantum puerulo*. Hæc Gregorius, qui infra narrat. Hermenegildum alio prælio, dum in civitate quadam Hispaniæ cum conjuge esset, Imperatoris, ac Mironis Galleciæ Regis auxilio fretum, a Patre victum, gladio, jussu patris percussum fuisse, nesciens miser judicium sibi imminere divinum, qui *contra genitorem*, *quamlibet hæreticum talia cogitaret*, ait Gregorius: *Uxor vero ejus Ingundis a viro cum Imperatoris exercitu derelicta*, *dum ad ipsum Principem cum filio parvulo duceretur*, *in Africa defuncta est*, *&* *sepulta*. *Leovigildus vero Hermenechildum filium suum morti tradidit*. Biclariensis vero Hermenegildum Tyrannum, ac in Patrem rebellem dixit, quorum testimonio, Gregorii scilicet Turonensis, & Biclariensis Abbatis, innixus Basnagius, Hermenegildum e martyrum albo expungendum esse contendit. Verum quidquid præfati auctores de Hermenegildo narrent, tanti non sunt, ut Gregorio Pontifici, auctori coævo præponi possint, qui hæc, non ex incerta fama, sed a S. Leandro Hispalensi Episcopo sibi amicissimo didicit. Præter quam quod Turonensis, & Blicariensis tantummodo testantur, Hermenegildum adversus Patrem arma sumpsisse, quod sane negari non potest. At mortis ejusdem causa, non ea præcipua fuit, quod adversus patrem rebellaverit, & bellum gesserit, sed eo quod catholicam fidem, quam susceperat abnegare noluerit. Cum itaque catholica fides martyrio causam dederit, martyrum albo adscribi merito potuit, de cujus martyrio hæc narrat Sanctus Gregorius Papa.

Basnag. an. 584. 13.

5. *Sicut multorum*, *qui ab Hispaniarum partibus veniunt relatione cognovimus*, *nuper Hermenegildus Rex Leovigildi Regis Visigothorum filius*, *ab Ariana hæresi ad fidem catholicam*, *viro reverendissimo Leandro Hispalitano Episcopo dudum mihi in amicitiis familiariter juncto prædicante*, *conversus est*; *quem Pater Arianus*, *ut ad eamdem hæresim rediret*, *&* *præmiis suadere*, *&* *minis terrere conatus est*. *Cumque ille constantissime responderet*, *numquam se veram fidem posse relinquere*, *quam semel agnovisset*; *iratus pater eum privavit regno*, *rebusque spoliavit omnibus*. *Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset*, *in arctam illum custodiam includens*, *collum manusque ejus ferro ligavit*. *Cœpit itaque idem Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum despi-*

Constantia Hermenegildi martyris. *Greg. dialog. lib. 3. c. 31.*

JESU CHR. AN. 585. *despicere, & forti desiderio cœleste quærens, in ciliciis vinculatus jacens, Omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere; tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnoverat nihil fuisse quod potuerit auferri. Superveniente autem Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, ac per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit; statimque suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent. Quod & factum est. Nam mox ut ingressi sunt, securem cerebro ejus infligentes, vitam corporis abstulerunt: hocque in eo valuerunt perimere. quod ipsum quoque qui peremptus est, in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem Regis, & martyris audiri, atque ideo veraciter Regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant: unde & factum est, quatenus corpus illius ut videlicet martyris jure a cunctis Fidelibus venerari debuisset. Pater vero perfidus, & parricida, commotus pœnitentia, hoc fecisse se doluit: nec tamen usque ad obtinendam salutem pœnituit. Nam quia vera esset Catholica fides cognovit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit*. Hæc Gregorius.

Martyrium Hermenegildi.

Leovigildus Episcopos in exilium mittit.

6. Proprii filii sanguine, ideft Hermenegildi, exsatiari haud potuit Leovigildi adversus catholicos ira; quin potius excitata est, & in Episcopos præsertim sœviit, quorum plurimos in exilium ejecit, Leandrum scilicet, & fratrem ejus Fulgentium, Mausonam Emeritensem, Licinianum Carthaginensem, & Joannem Gerumdensem. De Leandro scribit Isidorus eum in exilio libros duos adversus Arianam perfidiam edidisse, cujus etiam extat aliud opusculum adversus instituta Arianorum, *in quo propositis eorum dictis, suas responsiones apponit*. Severus etiam Malacitanæ sedis Antistes, edidit librum unum adversus Uincentium Cæsaraugustanæ

Isid. de scrip. eccl. c. 28.

stanæ urbis Episcopum, qui catholica fide abdicata Arianam perfidiam susceperat. Recenset alia ejusdem celebris viri monumenta. Porro Licinianum ejus collegam Carthaginensem Episcopum exulasse, pariterque pervenisse Constantinopolim, tradit Isidorus, ibique ab æmulis extinctum veneno fuisse addit.

Joannis Gerundensis confessio fidei. *Isid. cap. 31.*

7. De Joanne autem Episcopo Gerundensi: *Fuit iste*, (inquit Isidorus) *natione Gothus, provinciæ Lusitaniæ Scallabalitanus. Hic cum esset adolescens, Constantinopolim perexit, ibique Græca, & Latina eruditione nutritus, septimo demum anno in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo incitante Rege Leovigildo Ariana fervebat insania. Hunc suprascriptus Rex, cum ad nefandæ hæresis credulitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio trusus, Barchinone relegatus, per decem annos multas insidias, & persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, ubi congregata monachorum societate, scripsit Regulam ipsi Monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit & in libro Chronicorum ab anno primo Justini Junioris principatus, usque ad annum octavum Mauritii Principis Romanorum, & quartum Reccaredi Regis annum, historico compositoque sermone valde utilem historiam*. Hæc de Joanne Isidorus, qui inferius addit Maximum Episcopum Cæsaraugustanum in eodem scribendi argumento versatum fuisse: *Scripsit* (inquit) *brevi stylo historiolam de his quæ a temporibus Gothorum in Hispaniis acta sunt, historico & composito sermone*. At perierunt ista. His etiam adnumerandus est Eutropius Episcopus Valentinus, cujus idem Isidorus lucubrationes recenset. Floruerunt quippe diebus istis in Hispania viri valde diserti, quorum opera Gothi, & Svevi paulo post, cum Reccaredus Leovigildo patri successisset, ad catholicam fidem conversi sunt, ut infra dicturi sumus.

Isid. de Eccl. Scr. cap. 33.

Leovigildus Svevorum Regnum occupat.

8. Svevorum autem Regnum hoc anno extinctum fuisse, nos docet Blicariensis in chronico, ubi anno primo Mauricii Mironem obiisse tradit: *Cui Eboricus filius in provincia Gallæciæ in Regnum succedit anno* 583.. At Audica quidam, sumpta tyrannide Eboricum Regno privavit, & in monasterio anno superiori relegavit. Quamobrem Leovigildus hoc anno Mauritii Imp. tertio, adversus Audicam exercitu edu-

cto

JESU CHR. AN. 585. cto Regno dejecit. *Leovigildus Rex Gallæcias vastat. Audecam Regem comprehensum Regno privat. Svevorum gentem, thesaurum, & Patriam suam in potestatem redigit, & Gothorum provinciam facit. Audeca vero Regno privatus, tondetur, & honore presbyteri post Regnum honoratur, non dubium quod in Eborico Regis filio, Rege suo fecerat, potitur, & exilio Pacensi urbe relegatur. Malaricus in Gallæcia tyrannidem assumens, quasi regnare vult, qui statim a Ducibus Leovigildi oppressus comprehenditur, & Leovigildo vinctus præsentatur.* Hæc Blicariensis de excidio Regni Svevorum, quod Leovigildus diu retinere non potuit, nam anno sequenti vivere desiit.

De Matisconensi synodo ejusque causis.

9. Anno Gumthramni Regis 24., & Childeberti decimo, ideft hoc Christi anno 585., Matisconensis synodus celebrata est, decimo Kal. mensis noni, seu Novembris, cui adfuerunt Episcopi quadraginta tres. Aliorum vero Episcoporum absentium legati viginti, omnibus Priscus Lugdunensis, qui Patriarcha appellatur, præfuit. Plurimæ, variæque causæ huic synodo causam dederunt. Omnium prima fuit indignatio Guntheramni in Episcopos, qui Gondobado faverant, quorum plurimos exilio destinaverat, nisi morbo adveniente prohibitus fuisset: *His dictus*, ait Gregorius, *Gumthramnus Rex graviter ægrotavit, ita ut putaretur a quibusdam non prorsus evadere, quod credo providentia Dei fuisset. Cogitabat enim multos Episcoporum exilio detrudere.* Episcoporum etiam nonnulli, corruptis adeo moribus erant, ut scandalo fidelibus essent, ex his: *Cum iterato ad convivium Regis Palladius, atque Berthramnus asciti fuissent, commoti invicem, multa sibi de adulteriis, fornicationibus exprobrarunt, nonnulla etiam de perjuriis.* Quare, ut ingruentibus hisce malis mederentur Gallicani Episcopi eam synodum celebrarunt, qua primum Faustinianus, qui Gundobadi jussu, Aquensibus Episcopus ordinatus fuerat, ea lege dejectus fuit, ut ab ordinatoribus aleretur, ita ut: *Berthramnus, & Orestes sive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent. Nicetius tamen ex laico, qui prius ab Chilperico Rege præceptum elicuerat, in ipsa urbe Episcopatum adeptus est. Visicinus Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quod Gundobaldum excepisse publice est confessus: accepto hujusmodi placito, ut peni-*

pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, missas celebrare, clericos ordinare, Ecclesiasque, & chrisma benedicere, Eulogias dare penitus non auderet.

10. Canones etiam viginti pro ecclesiastica disciplina restituenda editi sunt, quorum primo cautum est, ut Dominica die fideles omnes a forensibus, & servilibus operibus abstinentes, orationibus piisque operibus vacarent. Canon secundus Pascha per sex dies festos celebrari statuit, quibus ab omni opere servili cessent fideles, quotidianis sacrificiis intersint. Canon tertius legitimum solemnis Baptismi diem solum Pascha statuit, nec infantes ipsos in aliis solemnitatibus ad Baptismum offerri sinit, nisi infirmitas nimia, aut dies extremus, ipsos quavis alia die baptizare compellat. Post breve tamen tempus rursus in Ecclesia Gallicana usus invaluit, ut non tantum in Paschate, sed etiam in Pentecoste legitimum Baptismatis conferendi tempus esset. Ex hoc Canone etiam colligitur, non admissos fuisse ad Clerum, qui Baptismum extra diem legitimam susceperant, quamcumque excusationem pretenderent. Jubet enim infantes baptizari legitima die. *Quo possint & honoribus, si vita comes fuerit, sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solemnitate frui.* Canon quartus Oblationes omnibus Dominicis diebus ab omnibus viris, & mulieribus fieri præcipit. Quintus laicos decimas Ecclesiæ non solventes a communione removet. Sextus Missam nonnisi a Jejunis celebrari statuit, & Eucharistiæ reliquias infantibus jejunis, intinctas vino, distribui. Septimus, libertorum causas, qui in Ecclesia manumissi fuerant, ab Episcopo judicari decernit, aut ab eo cui illarum commiserit judicium. Octavus est de reis ab Ecclesia, in quam confugerint, non extrahendis. Nonus anathemate ferit Judices seculares, qui Episcopos de Ecclesia violenter abstractos, ergastulis publicis addixerint: & omnes illorum causas ad Metropolitanum, vel ad synodum deferri jubet. Decimus Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ex Ecclesia trahi, aut vim ipsis inferri pariter vetat: eorum causas a proprio Episcopo discuti & judicari jubens. Undecimus hospitalitatem omnibus Fidelibus commendat, cujus exemplum dare tenentur Episcopi. Duodecimus Viduarum, & Pupillorum causas a sæcularibus Magi-

Matisconensis synodi canones.

In Paschate tantum baptisma conferatur.

De ecclesiastica immunitate servanda.

Jesu Chr. an. 585.

ſtratibus judicari vetat, niſi ſedente cum ipſis Epiſcopo, vel Archidiacono, aut Presbytero ab ipſis deſtinato: quia Epiſcopus hujuſmodi perſonarum protector eſt.. Judicem vero, aut actorem eis injuriam aliquam inferentes, aut Concilii Decreto non obtemperantes, a communione ſuſpendit. Vides quam ampla eſſet Epiſcoporum Juriſdictio, quanta Tribunalis Eccleſiaſtici reverentia, quot cauſæ ad illud deferrentur, cauſæ Clericorum ſcilicet cujuſcumque ordinis, viduarum, pupillorum, & libertorum.

Epiſcopi pauperes, non canes alere debent.

12. Canon decimus tertius a domo Epiſcopali canes quoslibet procul arcet, cujus aditus omnibus patere debet hoſpitibus, & miſeris; & quæ Hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morſibus venenoſis cuſtodienda eſt. Decimus quartus anathemate ferit potentes, qui res alienas invadunt. Decimus quintus de honore Clericis exhibendo ſtatuit, ut ſi ſecularis Clericum obvium habuerit, & ambo equitent, illum honorifice ſalutet: Si vero Clericus pedes iter agat, & ſecularis vehatur equo, ad terram hic proſiliat, honorem Clerico exhibiturus. Qui vero hæc, quæ Spiritu ſancto dictante ſancita ſunt, traſgredi voluerit, ab Eccleſia, quam in ſuis Miniſtris dehonorat, quamdiu Epiſcopus voluerit, ſuſpendatur. Decimus ſextus, Matrimonium a Clericorum viduis contractum, irritum declarat. Decimus ſeptimus probibet cadaveribus nondum conſumptis alia ſuperimponi; aut aliena ſepulturæ jura uſurpari, ſive mortuorum corpora inferri in religioſa loca aliis ad ſuam, aut ſuorum ſepulturam ab Eccleſia conceſſa, ſine voluntate Domini ſepulchrorum. Quod ſi factum fuerit, corpora ſuperimpoſita, ſecundum leges exhumari ſtatuit. Canon Decimus octavus inceſtas conjunctiones execratur. Decimus nonus, Clericos examinationis, aut ſuplicii reorum ſpectatores eſſe vetat, ſub pœna depoſitionis. Vigeſimus Concilium Nationale tertio quoque anno decernit celebrandum, a quo ſi quis Epiſcoporum abſfuerit abſque legitima cauſa, a communione fraterna ſuſpenditur uſque ad Concilium univerſale, ideſt, ex univerſa Gallia convocandum. Ex Epiſcopis, qui huic ſynodo inſcripti leguntur, quindecim Sanctorum albo inſcripti ſunt, ideſt. Priſcus Lugdunenſis, Evantius Viennenſis, Prætextatus Rothomagenſis, Artemius Senonenſis, Syagrius Auguſtodunenſis, Aunacharius Antiſiodoren-

dorensis, Palladius Santonensis, Agricola Nivernensis, Flavius Cabilonensis, Aredius Vapicensis, Sulpitius Bituricensis, Veranus Cabellicensis, Theodorus Massiliensis, Ferreolus Lemovicensis, & Marius Aventicensis. Ut synodi decreta firmiora essent, Guntheramnus Rex ad Episcopos, ac Judices sanctionem edidit, qua primos hortabatur ut verbi prædicatione insisterent, ac officium suum non per vicarios, sed per seipsos explerent: Judices quoque admonuit, ut corrigendis populorum moribus invigilarent; inter cetera Dominicum diem observari jubet. *Idcirco hujus decreti ac definitionis generalis vigore decernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus sanctæ resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscumque reliquis solemnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula universæ plebis conjunctio devotionis congregatur studio, præter victum, quem præparare convenit, ab omni corporali opere suspendantur, nec ulla causarum præcipue jurgia moveantur*: Data dicitur IV. idus Novemb. anni 24. Regni sui.

Tom. 6. concil. pag. 684.

Guntheramni decretum pro canonum observantia.

13. Hoc etiam anno S. Maurus S. Benedicti discipulus, ac Benedictinæ regulæ in Galliis propagator, mortuus est, anno quadragesimo primo adventus sui in Gallias, ut Faustus in ejus vita narrat. *Dolor lateris graviter Beatum invasit Maurum, qui languore ingravescente, quadragesimo primo adventus sui, ad eumdem locum, anno feliciter migravit ad Dominum. Dies autem vitæ B. Mauri ita supputantur, oblatus est Deo, ac traditus B. Benedicto cum duodecim esset annorum* (anno scilicet 524.) *habitavit cum eo viginti annis* (ad finem anui 543.) *commoratus est in monasterio suo quod ipse ædificavit*, Glannafoliense, *annis quadraginta, diebus quatuordecim*, qui simul sunt anni septuaginta duo, & dies quatuordecim, ideoque die prima vel secunda Januarii anni 513. in lucem prodierat. S. Mauro jungatur S. Salvius Albigensis Episcopus, quem anno 24. Gumtheramni Regis, caducam cum æterna vita commutasse narrat Gregorius Turonensis, de cujus virtutibus, & miraculis plura narrat, quæ ibidem videri possunt.

Mors S. Mauri Abbatis.

Greg. lib. 8. cap. 22. l. 7. cap. 1.

Jesu Chr. an. 586.

JESU CHRISTI an. 586. Pelagii 2. Papæ 9.
Mauricii Imp. 5. Autharit Long. Reg. an. 3.

Pelagii 2. ep. ad Episcopos Istriæ, ne in schisma perseverarent.

1. Anno Christi 586., cum Italia ab armis quiesceret, ob triennales inducias ab Autharit Longobardorum Rege, cum Smaragdo Exarcho initas, ut narrat Paulus Diaconus, Pelagius Papa de sopiendo ob tria capitula schismate, quod in Istria excitatum fuerat, sollicitus fuit. Quamobrem Redemptum Episcopum, & Quodvultdeum Abbatem ad eosdem Legatos cum litteris misit, ut rogati ad pacem venirent. Erat Redemptus Episcopus Ferentinus, laudatus a S. Gregorio lib. 3. Dialogorum cap. 38. Porro litterarum Pelagii hæc erat inscriptio, exordiumque: *Dilectissimis Fratribus Eliæ, aliisque Episcopis universis Filiis in ecclesiæ Istriæ partibus constitutis Pelagius Episcopus. Quod ad dilectionem vestram fratres filiique carissimi, nostra tardius scripta dirigimus, non malevolæ voluntatis, aut dissimulationis, vel negligentiæ fuisse credatur, sed, sicut nostis, temporalis qualitas, & hostilis necessitas hactenus impedivit &c.. Postea ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Christianorum Principum, per labores, & sollicitudinem filii nostri Excellentissimi Smaragdi Exarchi, & Chartularii sacri Palatii pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus est, cum omni sollicitudine festinamus præsentia ad vos scripta dirigere hortantes & obsecrantes, ne in divisione Ecclesiæ ulterius quisquam studeat permanere &c..* Pluribus inculcat in sola unitate fidei procul a schismate homines salvari posse, deinde concludit: *Si quid forte causæ est, unde vestri scandalizati animi videantur, manentes in unitatis charitate, eligite de fratribus ac filiis nostris, quod ad nos inquirendo, de quibus movemini, transmittere debeatis, & parati sumus secundum præceptionem apostolicam, & cum charitate eos suscipere, & cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem, & sine impedimento aliquo cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate sincerissima relegare.* Quo anno datæ sint hæ litteræ, non indicatur, sed ex induciis a Smaragdo statutis hoc anno scriptæ intelliguntur.

Secunda Pelagii epist. in eadem causa Pag. 945.

2. Elias autem ac collegæ, Pelagii legatione accepta, tantum abest, ut a diuturno schismate discesserint, quin potius

tius Apostolicam Sedem non minis, sed precibus secum agere animadvertentes, in superbiam elati, suos cum litteris nuntios Romam miserunt, execrabili superbia mandantes, ut litteris Papæ datis, ne verbum quidem supra adderent. Non despondit animum Pelagius, ut aberrantes oves ad Domini caulam revocaret, ac iterato ad eosdem scripsit. In iis autem litteris, de Istrorum ad se missis nuntiis, hæc habet: *Scripto nobis quasi capitulare, vel interdictum potius ostenderunt, nihil injunctum sibi a vobis aliud asserentes, nisi ut vestræ tantummodo essent portatores epistolæ, in qua tamen nullam rationis satisfactionem quæsisse vos legitur, sed velut judicatum quid expressisse*. Adeo superbe cum Apostolica Sede illi Episcopi agebant, quasi jam supremi essent Ecclesiæ Judices. Eorum autem tumorem perstringens Pelagius ait: *Nolite ergo amore jactantiæ, quæ superbiæ semper est proxima, in obstinationis vitio permanere, quando in die judicii nullus vestrum excusare se valeat, & neque Theodorus Mopsuestbenus, neque Ibæ epistola, quæ ab adversariis est prolata, ante Tribunal tanti Judicis vobis valeat subvenire*. Eos deinde hortatur, ut suorum quosdam Romam mittant, omnium rationem lucidissimam percepturos, vel si eos itineris incommoda remorantur, Ravennam saltem quosdam delegent, & *illic*, inquit, *Ravennæ fiat congregatio Sacerdotum, quo nos etiam, qui loco nostro intersint, divinitate propitia dirigemus, a quibus satisfactionem plenissimam capiatis, ne amplius animæ simplices divisæ a S. Ecclesia pro superfluis quæstionibus, tam longa obstinatione remaneant, nec per vos, quos dominici gregis decet esse Pastores, oves a septis ecclesiasticis evagantes, rapacis lupi dentibus consumantur*. At illi factum suum defendere, suamque stultitiam Pelagio instillare longiori epistola, pertentarunt. Quare benignissimus Pater tertio, jam tandem rebelles filios, prolixa satis ad eosdem data epistola, monere non destitit, in qua lacrimabundus hæc præfatur: *Dum nihil apud vos reperi admonitionis meæ verba proficere, flens gemensque cum Propheta cogor exclamare: Curavimus Babylonem, & non est sanata &c. Pensate quæso hoc, quod dicere nisi singultu interrumpente non valeo, longo divisionis sensu quanto mentis frigore fraternitas vestra torpuerit, quæ nec confricta recalescit*. Deinde Synodum Chalcedonensem quod ad fidei decreta spectat, nihil per concilium V. læsam osten-

Jerem. 51.
Tertia Pelagii epist.
Pag. 948.

Jesu Chr. an. 586.

ostendit, idque ex S. Leonis Epistolis probat. Apostolicam Sedem fatetur, initio per Vigilium Papam noluisse tria capitula damnare, quæ tamen causa postea diligentius discussa Vigilio auctore proscripsit; ibique Theodorum hæreticum ex SS. Patribus ostendit, ac Theodoreti libros contra S. Cyrillum, itemque epistolam Ibæ omnino damnandam esse demonstrat. Illud vero quam maxime Pelagio displicebat, quod Istriæ Episcopi ab Apostolicæ Sedis communione se suspenderant, contra quam etiam interdictum temerario ausu publicarant: Quare in hisce postremis litteris gravissimum eorumdem crimen arguens ait: *Cur non ad memoriam pro unitate servanda B. Augustini dictum reducitur? qui dum de unico baptismate loqueretur, idcirco Cyprianum martyrem, qui de iterando baptismate scripserat, defunctum perhibuit, quia licet pravum quid senserit, numquam tamen se a totius Ecclesiæ communione suspendit.*

Gregorius scriptor litterarum Pelagii Papæ. *Paul. Diac. de gestis Longob. lib. 30. 20.*

3. Has autem Pelagii epistolas Gregorii stylo exaratas fuisse tradit Paulus Diaconus. *Pelagius Eliæ Aquilejensi Episcopo epistolam satis utilem scripsit, quam Gregorius cum adhuc esset Diaconus scripsit.* Reversus enim Romam, ut anno superiori diximus, otio bene utens, limandis perficiendisque moralium libris, quos CP. incœperat manum admoverat, ut ad Leandrum scribens testatur.

Pelagius Exarchum rogat, ut schismaticos coerceat.

4. Cum tamen surdis se canere Pelagius intelligeret; abiecto calamo, armata manu cum schismaticis agendum ratus, Smaragdum Exarchum contra eosdem per litteras excitavit, qui Pontificis jussa impigre executus, minaces ad Eliam, reliquosque, qui sub Imperatoris potestate erant, litteras dedit, qua debitam erga Apostolicam Sedem obedientiam imperabat. At illi coacta Synodo, Oratores ad Mauricium miserunt, a quo, ne quid molestiæ ipsis inferretur, subdola arte impetrarunt, ut narrant Schismatici in libello ad eumdem Mauricium Imp. sub Gregorio Papa transmisso: *Dum Smaragdus*, inquiunt, *gloriosus Chartularius Patrem nostrum sanctæ memoriæ Heliam Archiepiscopum Aquilejensis Ecclesiæ pro causa ipsa pluribus vicibus contristaret, cum nostrorum omnium consilio, atque consensu direxit ad pia vestigia principatus vestri preces, supplicans, ut expectata Dei misericordia, revocatis omnibus consacerdotibus synodi nostræ in potestatem sanctæ Reipublicæ, ad vestræ clemen-*

mentiæ præsentiam veniretur, & vestrum in ipsa causa expectaretur judicium, quod pietas vestræ mansuetudinis ad mercedem & laudem imperii sui clementi dignatione suscipiens, jussionem suam dedit ad prædictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam Sacerdotum pro causa communionis inquietare præsumeret. Ita stultissimi Episcopi (hoc enim nomine eos S. Gregorius sugillat) ad profanum Principis tribunal sisti volebant. Quare Mauricius Smaragdo, ne quid novi contra Schismaticos moliretur, injunxit, ne provinciæ illæ a Barbaris vexatæ, novis tumultibus importuno prorsus tempore implicarentur. Ceterum paulo post cum Elias decessisset, eidem Severus successit. Schismatici ad Imperatorem appellant.

5. Smaragdus vero cum Severum Aquilejensem Episcopum in Eliæ locum ordinatum, in schismate perseverare cognovisset, ad eum veniens, militari manu ex ecclesia Gradensi abreptum custodiæ tradidit, & Ravennam deduxit, ubi coram Joanne Archiepiscopo, tria capitula damnare coactus fuit. Auctores plurimi scribunt Severum Ravennæ, Joanne Episcopo cogente, Manicheorum hæresi nomen dedisse. Sicque tanto crimine Joannem Ravennatensem Episcopum infamarunt, cui Sanctus Gregorius M. libros de cura pastorali nuncupavit, ac tot litteras dedit, mortuumque luxit, ut ex epistola 24. lib. 4. constat. Horum error ex Paulo Diacono fluxit, qui de Istriæ schismate agens tota erravit via. Cum Severo Ravennam deducti sunt tres alii Episcopi, Joannes Parentinus, Severus Tergestinus, ac Vindemius Cenetensis (ut legendum putat Norisius) De hac Severi captivitate apud Imperatorem Mauricium conquæsti sunt schismatici, quos post annum liberos dimmitti jussit Imperator. Ii vero libertatem adepti ad pristinum schisma redierunt: *Post hæc*, ait Paulus, *facta est synodus decem Episcoporum in Marano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquilejensem, dantem libellum erroris sui* (idest in schisma redierunt) *quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ*. Quam pervicaciam, nonnisi sequentibus annis deposuerunt, præcipue S. Gregorii cura & sollicitudine, ut infra videbimus. Smaragdus Severum, & alios Episcopos Istriæ custodiæ tradit. Istriæ Episcopi in schisma redeunt.

6. Leovigildus vero Svevorum Regno ditatus, ac filio orbatus, ut anno superiori diximus, postquam etiam cum Guntheramno Francorum Rege bellum feliciter gessisset, ut Gregorius Turonensis, & Blicariensis narrant, hoc anno vivere Leovigildus Rex obiit.

JESU CHR. AN. 586.

vere desiit, inter maximos sane Reges collocandus, nisi ei vera & catholica fides defuisset, sine qua impossibile est placere Deo. Ad extrema quidem deductus, aliqualem pœnitentiam, sed seram nimis & inutilem egisse narrant Gregorius Papa, & Gregorius Turonensis: *Leovigildus oborta ægritudine ad extrema perductus est, & Leandro Episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium suum, quem in sua hæresi reliquerat, commendare curavit; ut in ipso quoque talia faceret, qualia in fratre ejus exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est.* Hæc de pœnitentia Regis Gregorius Romanus, Turonensis vero addit: *Post hæc Leovigildus Rex Hispaniarum ægrotare cœpit, sed ut quidam asserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, & obtestans, ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem catholicam transiit, ac per septem dies in fletu perdurans, pro his, quæ contra Deum molitus est, spiritum exhalavit.* Hæc ipse.

Leovigildi falsa & sera pœnitentia.

Greg. Turon. lib. 8. c. 46.

Reccaredus Rex ad catholicam fidem, Gothos & Svevos revocat.

7. Defuncto Leovigildo, Reccardus filius ejus successit, de quo hæc Isidorus in chronico: *Leovigildo defuncto, filius ejus Reccaredus regno est coronatus, cultu præditus religionis & patris moribus longe dissimilis: namque ille irreligiosus, & bello promptissimus, hic fide pius & pace præclarus: ille armorum artibus gentis imperium dilatans; hic religiosus eamdem gentem fidei trophæo, insoliti erroris labe detersa, ad cultum rectæ fidei revocavit. Synodum etiam ad condemnationem Arianæ hæresis congregavit: cui Concilio idem gloriosissimus Princeps interfuit, suaque eum præsentia, & subscriptione firmavit*, De Reccaredi conversione ad fidem catholicam ex Ariana perfidia, audiendus est Gregorius Papa: *Reccaredus Rex non Patrem perfidum, sed fratrem martyrem secutus, ab Ariana pravitate conversus, totam quoque Vvisigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui regno Dei hostis existere per hæreticam pravitatem non timeret. Nec mirum quod veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris, cujus hunc quoque merita adjuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. &c.* Hæc de Reccaredi pietate Gregorius Pontifex; de cujus conversione plura apud Blicariensem, aut Gregorium Turonensem videri possunt.

Plurium Episcoporum obitus.

8. Episcoporum plurimi hoc anno in Galliis mortui sunt.

sunt. Sabaudus scilicet Arelatensis, cujus in locum Licerius Gunthrami Referendarius successit, Evantius quoque Viennensis Episcopus, in cujus Sedem Vitus presbyter de Senatoribus, Rege eligente, substituitur. Extat epistola Evantii Abbatis contra eos, qui sanguinem animalium immundum esse judicabant, Evantio hæc tamen ab Dupinio dubitanter adscribitur. At exploratum est, Evantii Viennensis Episcopi non esse, qui naturæ prius satisfecit, quam Gregorius Magnus Pontificatum anno 590. adipisceretur. Evantius autem Abbas librum Pastoralis Gregorii laudat, qui non ante annum 590. est exaratus: *Sacerdotibus corpore debilibus, vel maculam corporis habentibus, liber Pastoralis S. Gregorii legatur*. Ad plures etiam abiit Badegisilus Cenomanensis, vir suo munere prorsus indignus, & crudelis, & avarus, qui per nefas res complurium diripuit: *Ad cujus animum acerbum atque immitem conjux accesserat sævior, quæ illum in committendis sceleribus nequissimis consilii stimulis perurgebat*. Cum Judicibus causas audiebat, cum militibus arma gerebat: manibus suis multos feriebat, monentibusque hæc non decere Præsulem, respondebat: *Num ideo, quia Clericus factus sum, ultor injuriarum mearum non ero?* At truculentus hic Episcopus, anno sexto febre correptus excessit e vita. Defuncto Berthramnus Parisiensis Diaconus sufficitur, qui cum ejus concubina varias lites habuit. Quippe rapax mulier, quæ Badegisili tempore Ecclesiæ data fuerant, veluti sibi propria retinere volebat. Cuncta tamen restituere debuit. Præceteris memoria dignus est Prætextatus Rothomagensis Episcopus, quem Fredegundis inveteratus livor hoc anno martyrem fecit, anno 584. in suam sedem restitutus fuerat, ut ibidem diximus; redeunti irata fœmina dixerat: *Venturum tempus, quando exilia in quibus detentus fuerat reviseret*. Ille vero: *Ego semper & in exilio, & extra exilium Episcopus, fui, sum, & ero. Nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exilio provehimur, eripuente Deo, in Regnum: tu vero ab hoc regno demergeris in abyssum &c.*; cum admonitionem graviter tulisset Regina, misso in ecclesiam sicario, dum in die Dominicæ Resurrectionis antiphonas juxta consuetudinem recitaret, interfecit, eique Melantius subrogatus est; ut pluribus narrat Turonensis. Prætextati memoria martyrologio Romano a Baronio inserta est, die 24. Fe-

Jesu Chr. an. 586.

Jesu Chr. an. 587.

bruarii, diverso sane die, quo obiit, nam die Paschatis, qui anno 586. decimoquarto Aprilis incidit, a sicario percussus, paulopost obiit.

Theodeberti obitus.

9. Hoc anno Parisiensis urbis non modica pars incendio conflagravit, quo vigente, qui in carceribus tenebantur, liberi dimmissi sunt ne perirent; S. Germani quondam Parisiensis Episcopi miraculo illœsum remansit S. Martini Oratorium, ut narrat Gregorius, quo etiam anno natus est Theodebertus ex Failuba & Childeberto, qui a Magnatico Trevirorum Episcopo baptizatus fuit.

Greg. lib. 8. *cap.* 33. *&* 37.

Philippici victoria de Persis.

Theophil. cap. 14. *Auctor Miscell.e lib.* 17.

10. Illustrem de Persis victoriam Philippici Ducis opera obtinuisse Mauritium anno quarto Imperii sui, qui cum labente concurrit, narrant Theophilactus, & auctor Miscellæ historiæ, ubi etenim Amidam pervenit Philipicus, exercitu educto, ac in tria agmina distributo, in pugnam processit. *Ubi hostes appropinquare pulverea nubes indicio fuit; Philippicus Dei hominisque (Jesu Christi) effigiem circumfert. Jam olim fama emanavit, & usque hodie durat, eam effigiem non texentis manu comparatam, aut pictoris arte, coloribusque variatam, sed divinitus efformatum esse &c.. Hanc effigiem sacra veste nudatam gestans, exercitum obibat, indeque audiendi generosam, & inexpugnabilem militibus alacritatem injiciebat*, inquit Theophilactus lib. 2. cap. 3., qui subdit, Philippicum illam Jesu Christi imaginem ad Simeonem Amidæ Antistitem postea misisse. De hisce imaginibus, quæ non artefactæ dicuntur, qui plura desiderat, adeat Gretzerum in libro cui titulus syntagma de imaginibus non artefactis.

JESU CHRISTI an. 587. Pelagii Papæ 2. an. 10. Mauricii Imp. 6. Autharit Longob. Regis an. 4.

Avares Thraciam devastant.

1. Hoc Christi an. quingentesimo octuagesimosp̄mo, varia fortuna a Romanis pugnatum est; contra Persas quidem feliciter res cesserunt, plurimaque eorum oppida in Romanorum potestatem redacta sunt, pluresque Persarum provinciæ vastatæ. E-contra vero Gaghanus Avarum Dux plures Romanorum provincias rapinis, ac cœdibus afflixit, præceteris vero Thraciam excurrendo vastavit. Romani etenim sub Commentiolo Duce, cui Castus, & Martinus adjuncti fuerant, cum ad ho-

hostem properassent, terga turpiter verterunt, captis etiam Casto, & Ansimatho peditatus Præfectis, ut Theophilatus & Theophanes narrant. JESU CHR. AN. 587. *Theophil. lib. 2. 10. Theoph. in chron.*

2. Hoc etiam anno duodecimo Childeberti Regis, Radegundis nobilitate, ac sanctitate celeberrima, vitæ suæ cursum explevit: *Beatissima Radegundis*, ait Gregorius Turonensis, *ab hoc mundo migravit. Quæ magnum planctum in monasterio, quod constituerat dereliquit; fuique & ego præsens ad eam sepeliendam: obiit autem mense sexto, tertiadecima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes apparuerunt, & qualiter funerata, in libro miraculorum plenius scribere studui*. Fuit autem Radegundis Berthasii Thuringiorum Principis filia, Clothario Francorum Regi nupta, cujus historiam summatim Gregorius refert. *Clotharius Radegundam filiam Bertharii Regis secum captivam abduxit, sibique eam in matrimonium sociavit, cujus fratrem postea injuste per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conversa, mutata veste, monasterium sibi intra Pictaviensem urbem constituit; Quæ orationibus, jejuniis, atque eleemosinis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur*; cumque Sanctorum reliquias impensius veneraretur, in Orientem legatos misit, ut ex Dominicæ Crucis ligno, aliisque reliquiis, suum ditaret monasterium, quas cum accepisset, argentea theca inclusas religiose servabat; dum viveret amicitiæ vinculo cum Fortunato conjuncta fuit, extantque plurima epigrammata ad ipsam directa, cujus etiam vitam idem Fortunatus scripsit, ejusdemque etiam Bandonivia ejusdem alumna conscripsit; utramque vero exhibent Mabillonius, & Bollandus.

Mors S. Radegundis.

Greg. Turon. lib. 3. c. 7.

Fortun. Venant. carm. lib. 11, Mabill. sæcul. 1. Bened.

3. Migrante sancta ejus anima ad Christum, Pictaviensis Episcopus urbe aberat, Dioecesim suam perlustrans. Quare Gregorius Turonensis vocatus fuit; qui adveniens, quod ipse suis conspexerat oculis, antequam eam sepeliret, in libro miraculorum fideliter diffuseque inseruit. Eamque in basilica sanctæ Mariæ, ubi sacra ejus monasterii virginum corpora conduntur, in primis honorifice tumulavit. Cumque Corpus ejus sub muro cum psalmodiis deportaretur (quandoquidem instituerat illa, ut nulla vivens extra monasterii fores egrederetur) tota congregatio in muro lamentabatur, itaut planctus ejus superaret psallentium voces, ac pro psalmo lacrymas,

Gregorius Turon. Radegundis funus prosequitur.

Tt 2 pro

Jesu Chr. an. 587. pro cantico mugitum, pro alleluja gemitum redderent. Nec novum est, ut in funere fidelium defunctorum, una cum aliis lætitiæ canticis caneretur Alleluja, ut S. Hieronymus in epistola ad Aletium de funere Ruffinæ testatur. Moniales interea Gregorium rogabant, ut feretrum, in quo Beatæ corpus portabatur, aliquandiu subsistere juberet, graviter ferentes ejus absentiam. Interea Dominus, ut fidelem famulam suam declararet, corpore ejus in medio populi deposito: *Cæcus quidam lumen recepit: qui multorum annorum passus cæcitatem, ubi ad corpus accessit, ita sanatus est, ut numquam luminibus orbatus videretur: vivit, hodieque clare videns. Cum jam humata esset a Gregorio Episcopo, operculum tumulo ejus non est impositum, donec rediret Pictaviensis Antistes. Itaque libere cereos ad eam afferebant omnes, sepulchrum circumstantes, & singulæ suis cereis nomina sua inscripserant, dabantque cereos omnes per ordinem uni e famulis.* Quæ vero post ejus decessum eo in loco declaratæ sunt virtutes, & edita miracula, quot dæmoniaci liberati, quot pulsis febribus curati, Fortunatus, atque Gregorius pluribus narrant, quæ referre longum esset.

Cæcus ad Feretrum Radegundis lumen adquirit.

Obitus S. Juniani. *Mabill. sæcul. 1. Bened.*

4. Eadem die, & hora, qua B. Radegundis obiit, S. Junianus Abbas Mariacensis vivere desiit, ut narrat in ejus vita Vulfinus Boetius Episcopus Pictaviensis, qui Ludovico pio imperante floruit; hic Sanctus, etsi monasterium Mariacense fundasset, ejusque præposituram gereret, solitariam tamen vitam in loco a se prope monasterium constructo ducebat: *Mandaverat*, autem, *ut statim cum a seculo migrasset, nunciaretur B. Radegundi, ut pro eo precem domino funderet, quod & illa similiter fecerat, accidit ut eodem die, eadem hora, uterque migraret de seculo, & quos hic unius charitatis vinculum constrinxerat, illic eos pariter Paradisi gloria simul acciperet.*

Fredegundis Reges perimere tentat.

5. Hoc anno Guntheramnus Francorum Rex Fredegundis insidiis in vitæ discrimen fuit; at detectis Sicariis, & castigatis liber evasit; Iisdemque artibus assueta Fredegundis, Childeberto quoque non multo post insidias struxit, de quibus plura apud Gregorium videri possunt. Insidiis quoque Arianorum Reccaredus Rex in Hispania, eo quod ad catholicam fidem transiisset, in vitæ discrimen adductus est: *Quidam ex Arianis*, ait Blicariensis Abbas, *Sunna Episcopus, & Seg-*

Arianorum conspiratio in Reccaredum.

& Seggo cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes deteguntur; convicti Sunna exilio traditur, & Seggo manibus amputatis in Galleciam exulans mittitur. Felici quoque exitu adversus Francos hoc anno Reccaredus pugnavit. Sic domesticos simul, ac exteros hostes superavit, & ob catholicam ab eo susceptam fidem, non minus religione ac pietate, quam armis inclaruit. Jesu Chr. an. 588.

JESU CHRITI an. 588. Pelagii 2. Papæ 11.
Mauricii Imp. 7. Longob. Reg. an. 5.

1. Hoc Christi anno quingentesimo octogesimo octavo, Joannes CP. Patriarcha synodum CPoli celebravit, in causa Gregorii Antiocheni Episcopi, cujus meminit Evagrius, qui in ea causa Gregorii vices tamquam advocatum se egisse narrat, eamdemque synodum ante annos octo celebratam fuisse scribebat S. Gregorius Papa ad Eulogium Alex. Episcopum anno 595. ab hoc porro ad annum 595. octo anni etsi incompleti excurrerunt. *Ante annos siquidem octo, sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore, Frater & Coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana Urbe, ex causa alia occasionem quærens, Synodum fecit, in qua se Universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis litteris ex auctoritate S. Petri Apostoli ejusdem Synodi acta cassavit. Quarum videlicet epistolarum Sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Diaconum vero, qui juxta morem pro responsis Ecclesiæ faciendis piissimorum Dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato Consacerdote nostro Missarum solemnia celebrare prohibuit.* SynodusCP. celebratur. Evagr.lib.6. 7.

2. Synodo causam dedit contentio, quæ tunc temporis inter Asterium Orientis Comitem, & Gregorium Antiochenum Episcopum exorta est, qua factum est, ut cum urbis Optimates, ut Asterio gratificarentur, eidem sese adjunxerint, Plebejos etiam, & opifices in suas traxerunt partes, ita ut singulis licitum esset per plateas, & in theatro, contumeliose vociferari adversus Gregorium: ne scenicis quidem ab ejusmodi petulantia abstinentibus. Interea Asterius Magistratu dejicitur, ac Joannes in ejus locum subrogatur; cui Mauricius Imp. jusserat, ut de iis dissidiis, quibus Antiochena urbs conturbabatur diligenter inquireret. Itaque cum Joannes edictis De causa Gregorii Episcopi Anth. in concili CP. agitat.

Jesu Chr. An. 588. Crimina Gregorio Episc. objecta.

edictis propositis denunciasset, licere cujus Episcopum accusare, Libellum contra eum a quodam argentariæ mensæ præposito oblatum suscepit: quo accusabatur Gregorius, quod cum propria sorore alteri viro nupta rem habuisset: *Suscepit etiam accusationes ab aliis ejusdem farinæ hominibus de pace, ac tranquillitate Urbis Antiochiæ, quasi Gregorius eam sæpius perturbasset. At Gregorius, de crimine quidem turbatæ pacis paratum se esse respondit causam dicere. De aliis vero ipsi objectis, ad Imperatorem, & Synodum provocavit. Me igitur Consiliarium, & comitem habens, venit Constantinopolim, his accusationibus responsurus. Cumque omnes, qui ubique sunt Patriarchæ, partim per se, partim per Legatos suos quæstioni interessent, Senatores item urbis regiæ, & ex religiosissimis Metropolitanis quamplurimi, negotio diu multumque examinato, tandem post multas actiones Gregorius causam obtinuit: adeout accusator nervis cæsus, & per totam urbem circumductus, exilio mulctaretur. Inde igitur Gregorius ad suam sedem reversus est.* Sicque synodus in eam causam congregata finem habuit.

Gregorius Antioch. Episc. innocens declaratur.

Joannes CP. Episc. Œcumenici titulum sibi arrogat.

3. Eadem CPolitana synodo, qua Gregorius Antiochenus Episcopus ab objectis criminibus innocens est declaratus, Joannes CP. Œcumenici Episcopi titulum, ab eadem sibi dari confirmarique curavit. At tantæ præsumptioni restitit Pelagius Papa, ac S. Gregorius, Pelagio in Romana sede successor, pro eadem causa, diu multumque adlaboravit, ut ex dicendis infra patebit; Quæ fuerit Pelagii sollicitudo, ut superbum Œcumenici titulum CPolitani Antistites deponerent, his verbis narrat Gregorius in epistola ad Eusebium Thessalonicæ Episcopum: *Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Joannem quondam CP. Antistitem, contra Deum, contra pacem Ecclesiæ in omnium despectum, & injuriam Sacerdotum, modestiæ & mansuetudinis terminos excessisse, & illicite in Synodo superbum ac pestiferum Oecumenicon, hoc est universalis sibi vocabulum usurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta ejusdem Synodi, præter illa, quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorii Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo & temerario superstitionis nomine cohiberet: adeo ut suum illi Diaconum (nisi tantum nefas emendaret)* pro-

Gesta hujus synodi a Pelagio irritantur.

procedere prohiberet. Ad Joannem vero CP. Episcopum, idem cum Pontifex esset, hæc scribebat. *Qui enim*, inquit, *indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses; ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii, gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt: in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissolvit; & Archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit*. Alias quidem, superbo Oecumenici titulo, invitis Romanis Pontificibus, usi fuerant hoc seculo CP. Episcopi, in libello supplici Cleri Antiocheni ad Joannem Cappadocem CP. Antistitem, Oecumenici titulo decoratur Joannes, quin in synodo ab eodem Joanne CP. anno 518. habita, hæc leguntur: *Domino nostro Sanctissimo, & Beatissimo Patri Patrum, Archiepiscopo, Oecumenico Patriarchæ Joanni, synodus in hac Imperiali civitate congregata in Domino salutem*. Justinianus quoque hæc Epiphanio scripserat anno 533.: *Epiphanio Sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo regiæ hujus urbis, & Oecumenico Patriarcha*. Anno vero 542. hæc Anthimo præfatur. *Anthimo Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo CP. ac universali Patriarchæ*. Cum itaque tam superbo nomine delectarentur Constantinopolitani Antistites, ac antiquæ Romæ Pontifices æquare, ni etiam præire studerent; hinc Oecumenici Patriarchæ nomen sibi confirmandum curavit Joannes Episcopus a synodo CPoli hoc anno celebrata. Extat Pelagii nomine epistola ad universos Episcopos, qui huic interfuerunt synodo, qua ibidem gesta irrita declarantur, ac in Joannem CP. Episcopum excommunicationis sententiam dicit, nisi quamprimum Patriarchæ Oecumenici nomen deponeret, quam epistolam suis annalibus Baronius inseruit, ac inter Pelagii epistolas Labbeus recitat, at eam apocrypham esse viri doctissimi probant, ac ex Procli, Celestini, Leonis, Innocentii, Gregorii, & Martini primi scriptis consarcinatam fuisse demonstrant. At etsi ut apocrypha habeatur, ea tamen continet, quæ in eam rem Pelagium scripsisse narrat Gregorius Papa.

Romani milites tumultuantur.

4. Cum bellum Persicum adhuc vigeret, Romanorum res ob mili-

Jesu Chr. An. 588. Evag. lib. 6. cap. 4.

militum defectionem in summum pene discrimen adductæ sunt; Nam cum Mauritius Imp. Philippico exauctorato Priscum bello Persico præfecisset, vir ut narrat Evagrius difficilis & austerus, cum vix in Romanorum castra advenisset: *Elato supercilio, e sublimi despiciens, & ad fastum & pompam vestitus, atque ornatus, edicta quædam proposuit de militum in bellis tolerantia, & de acurata eorumdem armatura, de annona denique, quam ex fisco accepturi essent. Qui cum de his rebus jam antea aliquid didicissent, tunc iram suam in apertum erumpere siverunt. Impetu igitur facto in tabernaculum Prisci, omnes ejus sarcinas, & magnificum apparatum, & ex thesauris pretiosissima quæque, barbarorum more diripiunt. Ipsum quoque interfecturi, nisi conscenso quodam ex funalibus equis, Edessam se proripuisset. Eam urbem milites, missis eo aliquot copiis obsederunt, Priscum sibi dedi flagitantes.* Cum ab Edessenis Priscum obtinere non potuissent, Germanum quemdam vi adhibita, additis etiam verberibus, sibi Imperatorem crearunt, ac militari disciplina abjecta, novos ordinum ductores, tribunosque sibi eligunt, cunctaque pro arbitrio gerentes. Mauritius vero Imp. his auditis, ut in officio milites contineret, Philippicum in Orientem iterum misit: *At Milites non modo non susceperunt, verum si quem forte ei favere suspicati fuissent, is de vita ipsa periclitabatur.* Persæ vero audita militum defectione, in Romanorum fines irruperunt. Germanus tamen, quem sibi Imperatorem, & Ducem milites elegerant, iis obviam factus, ad internecionem delevit. Multis interea, variisque conditionibus ad saniora consilia exercitum revocare conatus est Mauritius, ut refert Evagrius, ac tandem totius negotii cura in Gregorium Antiochenum Episcopum translata est, cui feliciter res cesserunt; exercitum enim oratione sua Imperatori reconciliavit, ac Præfectis obedientissimum reddidit. Gregorius itaque eligitur non solum: *Eo quod ad res maximas perficiendas erat aptissimus, verum etiam eo quod summus ei honor ab exercitu, & quidem jure merito deferebatur. Multos enim milites pecuniis donaverat. Aliis vestem, ac cibaria, aliasque res subministraverat.* Missis itaque nunciis, exercitum in unum congregavit, *ad quem cum venisset, tametsi in lecto decumberet.* Orationem ad milites, reconciliandis animis aptissimam, habuit, cujus initium est: *Ego quidem existimabam &c.* Qua ha-

Romanorum victoria de Persis.

Gregorius Antioch. Episc. exercitus rebellionem extinguit.

habita, *cum multum illacrimatus esset, momento temporis, omnium mentes velut divina quadam virtute commutavit. Statimque postularunt, ut ex conventu discedere ipsis liceret, quo de his quae agenda erant, inter se ipsi deliberarent. Nec multo post reversi, se se arbitrio voluntatique Episcopi permittunt. Qui cum Philippicum illis nominasset, ut eum sibi ductorem postularent, se & universum exercitum gravi jurejurando ea de re obstrictum esse dixerunt. Tunc Gregorius nihil cunctatus, nec ullatenus moratus, Dei gratia sacerdotem se esse dixit, & datam sibi esse potestatem ligandi, atque solvendi tum in Cælo, tum in terris. Simul divinum oraculum eis in memoriam revocavit. Cumque milites hac etiam in re acquievissent, Gregorius precibus, ac supplicationibus Deum placavit. Et immaculato Christi Corpore eis distributo: erat enim venerabilis in primis dies secunda feria quae Dominicae Passioni vicina est: cum universos, duo circiter hominum millia, totis in gramine tumultuarie compositis cœna excepisset, postridie domum reversus est.*

6. Philippicus itaque Antiochiam veniens, exercitui iterum præfectus est, datis acceptisque vicissim benevolentiæ signis. Cum vero his feliciter actis Antiochiam Gregorius rediisset. *Post ejus autem reditum* ait Evagrius, *quatuor mensibus elapsis, anno urbis Antiochiae sexcentesimo, post annum unum, & sexagesimum ab ultimo terræmotu, postremo die mensis Hyperberetaei, dum ego virginem sponsam acciperem, & tota civitas feriaretur, ac publicam festivitatem circa pompam thalamumque celebraret, tertia circiter noctis hora, terræmotus cum fragore, & sonitu irruens, totam urbem concussit &c.*: Quanta ædificiorum ruina fuerit, aut hominum strages pluribus narrat, ac sexaginta circa hominum millia periisse narrat; ex iis Asterius Orientis olim Præfectus, qui Gregorium Episcopum indignis modis vexaverat, Gregorius econtra præter spem, cum domus in qua erat, corruisset, incolumis tamen evasit, ut ibidem videre est.

Antiochia terræmotu concutitur.

7. Cum amicitia inter Gumtheramnum, & Childebertum Francorum Reges aliquatenus interrupta esset, ad eam instaurandam Gregorium Turonensem Childebertus misit, qui Guntheramnum Cabillone conveniens, interrupta amicitiæ fœdera reintegravit; ac *Facta pactio est sub die quarto Kal. Decembris anno 26. Regni Guntheramni, & 12.*

Pax inter Guntheramnum, & Childebertum Reges firmatur

JESU CHR. AN. 588. *Childeberti, & lectis pactionibus Guntheramnus sic juravit. Judicio Dei feriar, si de his quidquam transcendero, quae hic continentur.* Post legatorum colloquium, ad ecclesiam, Paschalem solemnitatem celebraturi, itum est, legatos deinde Gregorium & Felicem convivio Gumthramnus excepit. Eadem legatione cum Gumtheramno, de bello adversus Longobardos in Italiam inferendo actum est; quo exitu paulopost videbimus.

Reccaredus Godsuindam uxorem sibi dari postulat

8. Reccaredus vero Gothorum in Hispania Rex, missa anno proximo ad Childebertum legatione, Glodosuindam ejus sororem, sibi uxorem dari petierat, cui hunc Childebertus responsum dedit. *Prommissio nostra ex hoc habilis dubitur, sed sine Patrui Regis Gunthramni consilio hoc facere non possumus, prommissum enim habemus de majoribus causis nihil sine ejus consilio agere.* Aliud hisce nuptiis impedimeutum erat, quod eadem Glodosuinda Authari Longobardorum Principi, desponsata fuerat, *Flavius Rex Autharit,* ait Paulus, *legatos ad Childebertum misit, petens ejus germanam suo matrimonio sociari, cumque Childebertus acceptis muneribus a Longobardorum legatis, suam germanam coram Rege se daturum promisisset, advenientibus tamen Gothorum de Hispania legatis, eamdem suam germanam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam conversam fuisse cognoverat, repromisit.* Catholicum itaque Principem Ariano facile praeposuit, cui etiam Gunthramnus Rex consensum suum praebuit: Brunichildis vero Regina, fabricatis ex auro, gemmisque duobus clypeis mirae magnitudinis, una cum duabus pateris ligneis ex auro etiam gemmisque contextis per Ebregesilum in Hispaniam Regi misit. Qua de causa effectum postea nuptiae non id habuerint, penitus ignoratur; Hoc unum scimus Badonem Reccaredi uxorem anno proximo, Toletano concilio subscripsisse.

Paul. Diac. lib. 3. 29.

Gotsuindae in Reccaredum conspiratio & mors

9. Ob catholicam susceptam fidem, Arianos adeo sibi infestos reddiderat Reccaredus, ut non semel insidias ei struxerint: de conjuratione in eum hoc anno excitata, haec narrat Blicariensis Abbas. *Anno septimo Mauricii, qui est Reccaredi tertius, Uldila Episcopus, cum Gosuintha Regina insidiantes Reccaredo manifestantur, & fidei catholicae communionem, quam sub specie Christiana quasi assumentes, projiciunt, pubblicantur. Quod malum in cognitionem hominum dedu-*

deductum, Uldila exilio condemnatur: Gotsuinda vero catholicis semper infesta vitæ tunc terminum dedit.

Jesu Chr. an. 589.

10. Childebertus hoc anno adversus Longobardos arma intulit, ac Guntheramuum Regem, ut auxilio sibi esset, per Felicem Episcopum rogaverat, renuit tamen Guntheramnus *non possum* respondit, *in Italiam exercitum meum dirigere, ne ultro morti eos tradam*, gravissima enim lues Italiam tunc vexabat. At Childepertus juvenili ardore incensus, superatis alpibus in Italiam descendit, sed vix tristior umquam belli exitus fuit; nam teste Gregorio, *commotis Ducibus cum exercitum illuc abeuntibus confligunt pariter, sed nostris valde coesis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi, vix in patriam redierunt, tantaque ibi fuit strages de Francorum exercitu, ut olim similis non recolatur*. Sed de his hactenus.

Franci a Longobardis victi ac coesi.

JESU CHRISTI an. 589. Palagii 2. Papæ 12. Mauricii Imp. 8. Autharit Long. Regis an. 6.

1. Redemptionis annum quingentesimum octogesimum nonum ingredimur feliciffimo exordio. Hoc etenim anno Gothorum gens, quæ Hispaniam occupabat, Reccaredi Regis exemplo, abdicata Ariana hæresi, catholicam fidem suscepit, quamobrem piissimus Rex Toleti concilium ex universa Hispania celebrari jussit, quod tertium ex Toletanis dicitur, ac omnium quotquot fuerant celeberrimum, eoque & catholica fides ab Arianis subscripta est, ac ecclesiastica disciplina, sub Arianis Regibus prolapsa, restituta est. Tempus synodi nos docet Præfatio: *In nomine Domini N. Jesu Christi, anno quarto Regnante gloriosissimo domino Reccaredo Rege, die octava iduum majarum æra sexcentesima vigesima septima, hæc sancta synodus habita est in civitate Regia Toletana ab Episcopis totius Hispaniæ, & Galliæ*; idest Narbonensis provinciæ, quæ Gothorum sub potestate erat. De hac synodo Blicariensis Abbas audiatur. *Sancta synodus Episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ, & Galleciæ in urbe Toletana, præcepto Principis Recaredi congregatur Episcoporum numero 72., in qua synodo intererat memoratus Christianissimus Recaredus, ordinem conversionis suæ, & omnium Sacerdotum, vel gentis Gothicæ confessionem tomo scriptam, manu sua Episcopis porrigens, & omnia, quæ ad professionem fidei orthodoxæ pertinent,*

Synodus Toletana tertia.

Tom. 5. concil. p. 998.

JESU CHR. AN. 589.

tinent, *cujus tomi ordinem decrevit sancta Episcoporum synodus*, *Canonicis applicare monumentis*. *Summa tamen synodalis negotii penes sanctum Leandrum Hispalensis Ecclesiæ Episcopum*, *& beatissimum Eutropium*, *Monasterii Servitani Abbatem fuit*.

Reccaredi Regis ad synodum allocutio.

2. Præfuit synodo Leander Hispalensis, licet tertio loco subscriptus legatur, & cum eo septuaginta Episcopi, quorum nomina, & sedes in subscriptionibus leguntur, Congregatis autem in unum Episcopis, Rex adfuit, qui ad synodum hanc habuit orationem. *Non incognitum reor esse vobis Reverendissimi Sacerdotes*, *quod propter instaurandam disciplinæ Ecclesiasticæ formam*, *ad nostræ vos serenitatis præsentiam evocaverim*. *Et quia decursis retro temporibus hæresis imminens in tota Ecclesia catholica agere synodica negotia denegavit*: *Deus*, *cui placuit per nos ejusdem hæresis obicem depellere*, *admonuit instituta de more Ecclesiastica reparare*. *Ergo sit vobis jucunditatis*, *sit gaudii*, *quod mos canonicus prospectu Dei per nostram gloriam ad paternos reducitur terminos*. *Prius tamen admoneo pariter*, *& exhortor*, *jejuniis vos*, *& vigiliis*, *atque orationibus operam dare*, *ut ordo canonicus*, *quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa atque diuturna oblivio*, *quo ætas nostra nescire fatetur*, *divino vobis dono rursus patefiat*. Hæc Rex Recaredus perlocutus, gratias Deo, & Principi universa synodus egit, triduanum exinde prædicatum est jejunium, cumque iterum idibus Maji in unum convenissent Sacerdotes, in medio eorum adfuit Reccaredus, & præmissa oratione, qua de sua, gentisque Gothorum conversione ex Ariana perfidia ad fidem catholicam, fidei suæ confessionem scripto editam synodo obtulit, ut a congregatis Patribus adprobaretur, cui ipse, & uxor ejus subscripsit his verbis: *Ego Badda gloriosa Regina hanc fidem*, *quam credidi*, *& suscepi*, *mea manu de toto corde subscripsi*. Tunc una mente & voce, Deo, & Regi a Patribus est acclamatum.

Gothi catholicam fidem profitentur.

3. His peractis præcepit synodus, ut Gothorum Episcoporum, Clericorum, eorumque qui inter eos principes erant, fides examinaretur, num ex toto corde Arianam perfidiam abjecissent, fidemque catholicam profiterentur. *Quo facto*, sequuntur acta, *Episcopi omnes una cum clericis suis*, *primoresque gentis Gothicæ pari consensione dixerunt*. *Licet hoc*

quod

quod paternitas, atque fraternitas vestra a nobis cupit audire vel fieri, jam olim conversionis nostræ tempore egerimus, quando secuti gloriosissimum dominum nostrum Recaredum, ad Ecclesiam transivimus, & perfidiam Arianam cum omnibus superstitionibus suis anathematizavimus, pariterque abjecimus; nunc tamen propter charitatem & devotionem, quam vel Deo, vel sanctæ Ecclesiæ Catholicæ meminimus nos debere, non tantum hæc eadem quæ petitis, promptissime agere properamus: sed si quæ adhuc congrua fidei esse perspicitis, nobis de charitate persuadete. Nos etenim semel rectæ fidei amor in eam devotionem evexit, ut omne quod nobis verius fraternitas vestra patefecerit; teneamus, & libera fateamur confessione. Omnis ergo qui fidem & communionem ab Ariano venientem, & hucusque a nobis retentam, adhuc tenere desiderat; anathema sit. Quicumque filium Dei &c. Sequuntur alii vigintiduo anathematismi, quibus Arii, & Macedonii impietates abjiciuntur, & quatuor concilia Œcumenica se venerari profitentur. Inter capitula anathemate notata observatione dignum est, quod decimo sexto loco habetur, quo *libellum detestabilem anno duodecimo Geovigildi Regis a nobis datum, in quo continetur Romanorum ad Arianam ecclesiam traductio, & gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto, & male a nobis constituta continentur*, condemnant: Anathematismis subscripsere Episcopi octo, qui Arianum virus evomuerant, quorum nomina ibidem leguntur, Presbyteri quoque & Diaconi ex Ariana hæresi conversi Anathemata subscripserunt, sicuti etiam viri illustres ex Gothis tres, *Fonsa* scilicet. *Aquila*, & *Esla*, cum ceteris Gothorum senioribus. Sic insanabili vulnere Ariana hæresis in Hispania defecit, unde Blicariensis *In hac vero sancta Toletana synodo Arii perfidia, post longas Catholicorum neces, atque innocentium strages, ita radicitus amputata est, insistente Principe, memorato Recaredo Rege, ut ulterius non pullulet.*

Jesu Chr. an. 589.

Labb. concil. tom. 5. pag.

4. Postquam vero, Gothicæ gentis Episcopi, & Clerici, una cum Gothorum primoribus, catholicæ fidei subscripserant, congregatos Patres Reccaredus Rex oratione sua excitavit, ut quæ ad confirmandam catholicam fidem, vel disciplinam restaurandam, moresque corrigendos necessaria, aut utilia judicassent, editis canonibus statuerent; & ut ad catho-

Reccaredi ad synodum oratio.

Jesu Chr. an. 589. Synodi Toletanæ canones.

catholicam fidem in Gothorum animis ſtabiliendam' juxta Orientalium eccleſiarum mores, ſymbolum in Miſſis caneretur, edito canone juberent. Ea itaque oratione excitati Toletani Patres canones vigintitres ediderunt, quorum hæc ſumma eſt. Primus conciliorum omnium decreta, & Pontificum Romanorum epiſtolas ab omnibus obſervari jubet. Secundus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Galliæ (Narbonenſis cujus pars Gothis Regibus parebat) ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani ſymbolum fidei recitetur; ac priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara a populo decantetur: quo & fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti Corpus, & Sanguinem prœlibandum pectora populorum, fide purificata, accedant. Hunc morem Hiſpani primi, inter Latinos receperunt in hac Toletana ſynodo. Illud autem cantabant poſt Conſecrationem, & ante Orationem Dominicam, qui ritus adhuc permanet in Miſſali Mozarabico. Canon tertius Res Eccleſiæ alienare Epiſcopis vetat. Canon quartus permittit Epiſcopis, ut aliquem ex Eccleſiis Parochialibus Monaſterium faciant, de conſenſu Concilii ſui, ut in ea Monachorum congregatio regulariter vivat, & ut de rebus Eccleſiæ aliquid ad eorum ſuſtentationem donet. Quintus Canon ſtatuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ex hæreſi venientes, ab uxoribus ſe contineant, nec ſub uno conclavi cum eis maneant. Qui vero ſemper in clero Catholicæ Eccleſiæ militarunt, ſi in ſuas cellulas, mulieres, quarum familiaritas infamem gignere ſuſpicionem poteſt, introduxerint, ſecundum Canones plectantur; mulieres vero ipſæ venundentur ab Epiſcopis, & pretium ipſarum pauperibus erogetur. Canon ſextus Libertos ab Epiſcopis, vel ab aliis factos, & Eccleſiæ commendatos, libertate frui, & Epiſcopali patrocinio regi decernit. Septimus ſtatuit ut in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum miſceatur. Octavus prohibet ne Clericos ex familia fiſci, ideſt, qui ex familiis fiſco Principis addicti orti ſunt, & qui Eccleſiæ donati ſunt, a Principe, aliquis repetat; ſed Eccleſiæ miniſterio ſemper alligati maneant. Editus eſt hic Canon innuente, & conſentiente Reccaredo Rege. Nonus Eccleſias quondam ab Arianis occupatas, nunc Religioni catholicæ addictas, Epiſcopis vindicat, in quorum Diœceſibus conſtru-

ctæ

ctæ sunt. Decimus libertati viduarum, continentiam secundis nuptiis anteponentium, & virginum respuentium nuptias, consuluit, cavetque ne ab ullo cogantur ad matrimonium ineundum, citra voluntatem parentum, vel suam. Qui vero propositum castitatis viduæ, vel virginis impedierit, a Communione rejicitur. Canon undecimus Peccatores coercet, qui quotiescumque peccare libuerit, toties a Presbytero se reconciliari expostulant; & secundum formam Canonum antiquorum dari pœnitentias decernit. Duodecimus viro Pœnitentiam postulanti non esse dandam, nisi prius tonso; mulieri vero nisi mutaverit habitum: ut solemnis pœnitentiæ professio eos a relapsu prohibeat.

De immunitate Clericorum.

5. Decimus tertius animadvertit in Clericos, qui neglecto Episcopo suo clericos ad publica judicia trahebant, statuitque, ut qui hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & a Communione efficiatur extraneus. Canon decimus quartus Judæis prohibet habere uxores, concubinas, vel mancipia Christiana, aut Officia publica gerere. Decimus quintus statuit, ut si qui ex servis fiscalibus, idest, qui Regio fisco procurando sunt addicti, Ecclesias construxerint, easque dotaverint, Episcopus id auctoritate Regia confirmari curet. Decimus sextus decernit cum consensu Regis, ut per Hispaniam, & Galliam Narbonensem Sacerdotes locorum una cum Judicibus in Idololatriæ sacrilegia, quæ per illas regiones inoleverant, studiose inquirant, & exterminare satagant, coerceantque hujus criminis reos; Dominos vero, qui hoc malum a possessione sua, vel familia extirpare neglexerint, ab Episcopo excommunicari jubet. Canon decimus septimus jubet, ut Sacerdotes cum Judicibus inquirant in parentes, qui filios proprios necant, vel conceptos fœtus excutiunt, ne numerum augeant filiorum. Canon decimus octavus Concilia Provincilia semel quotannis celebrari jubet, antiquorum Ganonum rigorem temperans, qui bis in anno illa congregari præcipiunt. Conciliis autem hujusmodi adesse jubet Judices locorum, & Actores fiscalium Patrimoniorum, Ut discant quam pie & juste cum populis agere debeant, ne ipsos angariis, aut immodicis exactionibus gravent. Invigilare etiam & prospicere præcipit Episcopos, secundum Regiam admonitionem, qualiter Judices cum populis agerent, ac officio suo abutentes corrigerent, & contumaces

ad

Jesu Chr. An. 588.

ad Principem deferrent. Quod si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia, & a Communione suspendant.

Reliqui canones Toletani concilii.

6. Canon decimus nonus decernit, ut bona Ecclesiæ ad Episcopi administrationem pertineant. Canon vigesimus vetat ne Episcopi insolitis exactionibus Presbyteros, aut Diaconos suos gravent: Clericos tam locales, quam Diœcesanos, idest, tam urbis, quam pagorum ab Episcopo vexatos, querelas suas ad Metropolitanum deferre jubet. Canon vigesimus primus Ecclesiarum, Episcoporum, Clericorum servos a Judicibus, vel Actoribus publicis diversis angariis fatigari, vel publicis, aut privatis negotiis applicari vetat: Judices, & Actores, qui hanc immunitatem violaverint, quam omne Concilium a Rege postulavit, excludit ab Ecclesiæ Communione. Canon vigesimus secundus statuit ut Fidelium defunctorum corpora cum Psalmis tantummodo ad sepulchrum deferantur, nec funebre carmen decantetur defunctis, nec proximi defunctorum pectora sua feriant. Vigesimus tertius vetat ne in Sanctorum solemnitatibus, populi qui divinis Officiis interesse debent, saltationibus, & turpibus canticis indulgeant.

Regis edicto canones confirmantur.

7. Synodi decreta Rex edicto suo confirmavit, quo hæc leguntur. *Has omnes constitutiones ecclesiasticas. . . manere perenni stabilitate sancimus. Si quis vero Clericus, aut Laicus harum sanctionum obediens esse noluerit, superba fronte majorum statutis repugnans, si Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni concilio excommunicatus subjaceat; si vero laicus fuerit, & honestioris loci persona est, & medietatem facultatum suarum amittat, fisci juribus profuturam: si vero inferioris loci persona est, & amissione rerum suarum mulctatus in exilio deputetur.* Absoluto concilio Leander Hispalensis, qui primas in eo habuerat partes orationem habuit, cujus initium est. *Festivitatem hanc omnium esse solemniorem festivitatum, novitas ipsa significat &c.*, ac tanti diei lœtitiam ob Gothorum conversionem celebravit.

De synodo Narbonensi.

8. Ut Toletano concilio parerent Narbonensis Galliæ Episcopi, apud Narbonam hoc anno sub die Kal. Novembrium synodum celebrarunt, cui octo interfuere Episcopi: *In nomine Domini N. J. Christi anno quarto Regni Domini nostri gloriosissimi Reccaredi Regis. Narbone, Mignetius, Sedatius, Benenatus, Boetius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergius . . . secundum quod sancta synodus per ordina-*

dinationem Reccaredi Regis in urbe Toletana definivit, die Kal. Novemb. Deo auſpice in unum convenimus, & aliquanta, quæ juſte & pie ſunt edita, recapitulare fecimus. Quindecim deinde ſequuntur canones, quorum primus vetat, ne clerici veſtimenta purpurea induant, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem: ſecundus, ſtatuit ut in fine cujuſcumque Pſalmi, & per Pauſationes ſive intervalla prolixiorum, qui ſecantur in duos, Gloria dicatur. Tertius prohibet, ne Clerici ſtent in plateis, ac variis confabulationibus ſe immiſceant. Canon quartus, omne opus die Dominica prohibet. Sacram diem violantem, ſi ſit ingenuus, damnat mulcta ſex ſolidorum, Comiti civitatis ſolvendorum; Si ſervus, centum flagellis ipſum plecti decernit. Quintus Conjurationes Clericorum ſub laicorum patrocinio fieri ſolitas, aut injurias illatas ſenioribus, ab iis, qui in gradu inferiore ſunt poſiti, pœnitentia per annum in monaſterio agenda caſtigat. Sextus, ſtatuit ut cum Clericis, vel honoratis civibus, qui ad expianda peccata in monaſterium detruduntur, ſic agat Abbas, ſicut ab Epiſcopo fuerit conſtitutum, ad eorum emendationem. Septimus, Clericum adverſus utilitatem Eccleſiæ aliquid agentem, aut meditantem, e gradu deiicit. Octavus, Clericos Eccleſiæ bona diripientes, & fraudem facientes, ad reſtitutionem compulſos, biennii Pœnitentiæ addicit. Nonus, vetat ne Judæi ſuorum corpora defunctorum ad ſepulchrum pſallendo deducant. Quod ſi facere præſumpſerint, ſex uncias Comiti civitatis inferant in pœnam. Decimus, Clerum Epiſcopo ſuo non obedientem privat ſtipendio, & Communione per annum. Undecimus, vetat Epiſcopis ne Presbiteros, aut Diaconos litteras ignorantes ordinent. Si qui vero fuerint litteris ineruditi, nec ad legendum exercitati, eos ſtipendio privat, donec didicerint: Niſi proficiant, detrudit illos in Monaſterium, ut qui populum ædificare non poſſunt. Canon duodecimus, vetat ne Clerici, dum Miſſa celebratur, de altari ante finem egredi audeant, niſi ſubita infirmitate correpti: Nec Diaconi, Subdiaconi, vel Lectores, alba se exuant antequam abſoluta ſit Miſſa. Canon decimus tertius decernit, ut Subdiaconi, & inferiores Clerici conſueta obeant officia, & ſenioribus vela ad oſtia ſublevent; qui id adimplere contempſerint, Subdiaconos verbis corripiendos, & ſi non emen-

Jesu Chr. an. 589. Narbonenſis concilii canones.

Jesu Chr. an. 589.

emendaverint, stipendio privandos: ceteros flagris cœrcendos esse jubet. Vela ad portas templorum, & Sanctuarii suspensa erant, quæ attollere, dum Episcopus, Presbyteri, & Diaconi ingrediebantur, Subdiaconorum, aut inferiorum Clericorum officium erat. Canon decimus quartus decernit, ut qui Magos, Divinatores, sortilegos consulunt, aut eos non denuntiant, ab Ecclesiæ Communione reiiciantur, & sex auri uncias Comiti civitatis pendere compellantur, ipsos autem sortilegos, & Divinatores seu viros, seu mulieres, seu liberos, sive servos, aut ancillas, publice fustibus gravissime castigatos, venundari jubet, ac pretia ipsorum pauperibus erogari. Canon decimusquintus eorum superstitionem emendat, qui diem Jovis festivum habebant.

Conjuratio Argimundi in Reccaredum.

9. Sic Hispanica ecclesia, quæ hactenus sub Arianis Principibus squallens, vepribus abundabat, sub Piissimo Reccaredo, ecclesiastica disciplina florescere incœpit, *ut quæ erat arida, esset in stagnum, & sitiens in fontes aquarum*. Pietas tamen Regis sceleftos, & improbos non absterruit, quin contra ejus dignitatem, ac vitam conspirarent, sed protegente Deo, patefacta conjuratione, perduelles meritas dederunt pœnas, ut narrat Blicariensis. *Reccaredo ergo orthodoxo quieta pace regnante, domesticæ insidiæ prætenduntur. Nam quidam ex cubiculo ejus, etiam Provinciæ Dux, nomine Argimundus, adversus Recaredum Regem tyrannidem assumere cupiens, ita ut si posset, eum & regno privaret, & vita. Sed nefandi ejus consilii detecta machinatione, comprehensus, & in vinculis ferreis redactus, habita discussione, socii ejus impiam machinationem confessi, condigna sunt ultione interfecti. Ipse autem Argimundus, qui Regnum assumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, post hæc dextra amputata, exemplum omnibus in Toletana urbe asino sedens pompizando dedit, & docuit famulos domini non esse superbos*. Hactenus Blicariensis, cujus hæc sunt postrema sui chronici verba.

De Joannis Blicariensis origine moribus, & vita.

Isid. de script. eccles. c. 31.

10. De eo autem nonnulla addere juvabit, de cujus genere, ingenio, & scriptis hæc adnotat Isidorus. *Fuit iste natione Gothus, provinciæ Lusitaniæ Scalaballitanus. Hic cum esset adolescens, Constantinopolim perrexit, ibique Græca, & Latina eruditione nutritus, septimo demum anno in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo incitante Rege Leo-*

Leovigildo Ariana fervebat insania. Hunc suprascriptus Rex, cum ad nefandæ hæresis credulitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio trusus, Barcinone relegatus, per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit Monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, ubi congregata Monachorum societate scripsit regulam ipsi Monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit & in libro Chronicorum ab anno primo Justini Junioris Principatus, usque ad annum octavum Mauritii Principis Romanorum, & quartum Recaredi Regis annum, historico compositoque sermone valde utilem Historiam. Initium Justini Junioris anno 565. affigitur, quod tamen Joannes Biclariensis cum 566.coujungit. Complectitur Chronicum annos vigintiquatuor, quibus nonnulla inserta sunt, quæ postmodum contigere: Gregorii scilicet Pontificis creatio, quæ in Reccaredi annum quintum incidit, nec non Chosrois ad Romanos fuga, quæ anno demum 591. contigit. Porro Joannes ex Biclariensi Monasterio ad Gerundensem Episcopatum evectus est, defuncto Alicio, qui labente anno Toletanæ Synodo interfuit. Joannes vero noster anno 599., Barcinonensi Concilio adfuit, cui his verbis subscripsit. *Joannes peccator de Gerunda in his constitutionibus annuens subscripsi.* Quoto vero anno Episcopatum adeptus est Blicariensis, ignoramus.

Gunthramni exercitus a Gothis victus

11. De gestis in Galiis hoc anno adnotare juvabit, quod cum Gumtramnus Bosonem Ducem cum exercitu in Septimaniam adversus Gothos misisset, nova iterum clade Francorum exercitus effectus est, cum juxta Carcassonem castra posuissent Galli, ut narrat Blicariensis. *Cui Claudius Lusitaniæ Dux a Reccaredo Rege directus, obviam inibi occurrit, cum quo congressione facta Franci in fugam vertuntur, & direpta castra Francorum, & exercitus a Gothis cæditur.*

Ingobergæ Reginæ obitus.

12. Hoc etiam anno quartodecimo Childeberti, Ingoberga piissima fœmina, Chereberti quondam uxor defuncta est, cujus laudes Gregorius celebrat: *Anno quoque quartodecimo Childeberti Regis, Ingoberga Regina Chariberti quondam electa migravit a seculo, mulier valde cordata, ac vita religiosa prædita, vigiliis & orationibus, atque eleemosynis non ignava: quæ credo per providentiam Dei commonita, ad me usque nuncios dirigens, ut in his, quæ de voluntate sua, id*

 est

Jesu Chr. an. 589. *est pro animæ remedio cogitabat, adjutor existerem. Sic tamen ut ad ipsam accedens, quæ consilio habito fieri decernebat, scriptura connecteret. Accessi, fateor, vidi hominem timentem Deum, quæ cum me benigne excepisset, notarium vocat, & habito, ut dixi, mecum consilio, quædam Ecclesiæ Turonicæ, & basilicæ S. Martini, quædam Cœnomannicæ Ecclesiæ delegavit; ac post paucos menses subitanea ægritudine fatigata, migravit a seculo, multos per chartulas liberos derelinquens, septuagesimo, ut arbitror vitæ anno, relinquens filiam unicam, quam in Canthias Regi cujusdam filio matrimonio copulavit*. Edilberto quippe Cantiorum Regi nupserat, & christianam religionem ea in provincia invexerat, ubi hactenus Idolis inmolabatur, atque inde, paulo post ad Anglos facilius ad prædicandum evangelium via patuit, dum S. Gregorius, ut infra videbimus, Apostolicos viros, ad christianam fidem in iis regionibus inserendam, misit.

Autharit nuptiæ cum Theodolinda

13. In Italia vero cum Autharit Longobardorum Rex, a Closvindæ nuptiis, quam uxorem petierat, excidisset, ut anno elapso diximus. Alio amores suos convertit, & Theodolindam Caribaldi Bajoriorum Principis filiam, missa legatione petiit. Quæ cum eidem promissa esset, ille sponsam videndi cupidus, ad ipsam, una cum aliis legatis ignotus accessit, at cum ab ea legatione in Italiam rediisset, irruentibus in Bojariam Francis, Theodolinda cum fratre Gondoal in Italiam fugit, cui statim Autharit obviam cum magno apparatu nuptias celebraturus, in campo Sardis, qui supra Veronam est, occurrens, eamdem cunctis lætantibus in conjugem idibus Maii accepit. At nuptiarum gaudia cito in luctum transierunt, anno etenim sequenti Autharit, veneno, ut creditur, vitam amisit. Quid vero in Italia, Romanos inter, & Longobardos gestum sit ignoramus. Ad hæc tempora quidem referri possunt, quæ Theophylatus refert Longobardos scilicet Romam irrito conatu tentasse *Roma vetus Longobardorum impetus retundit*. Sed bello, aliisque calamitatibus afflictam fuisse Italiam certo scimus ex S. Gregorio, aliisque scriptoribus. Inter ceteras vero clades, quibus hoc tempore urbs afflicta fuit, non est pretereunda Tiberis inundatio, quæ hoc anno, mense Novembri contigit, ut narrat S. Gregorius Papa; de quibus hæc adnotat Gregorius Turonensis.

Paul. Diac. lib. 3. c. 31.

14. *Anno*

JESU CHR. AN. 589.

14. *Anno quintodecimo Childeberti Regis, Diaconus noster ab urbe Roma sanctorum cum pignoribus veniens, sic retulit: Quod anno superiori, mense nono, tanta inundatione Tiberis fluvius Urbem obruit, ut ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla tritici modiorum millia periere. Multitudo enim serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ per hujus fluvii alveum in mare descendit; sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, littori ejectæ sunt; subsecuta est evestigio clades, quam inguinariam vocant.* De qua anno sequenti. Eadem Paulus, & Joannes Diaconus in Gregorii vita. In Venetiarum quoque tractu supra modum Athesis exundans, Veronam absorbere minabatur, quo tempore, quid miri ibidem acciderit in S. Zenonis basilica, S. Gregorius M. his verbis refert: *Nuper Joannes tribunus relatione sua me docuit, quod Pronulphus Comes, cum illic adesset se cum Rege Autharit tempore in loco eodem, ubi mira res contigit, affuisse, eamque rem cognovisse testatus est. Prædictus enim Tribunus narravit, dicens: Quia ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantum crescens, ut ejus unda super muros urbis influeret, atque inde jam maximas regiones occuparet: apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens, ad beati Zenonis martyris, atque Pontificis Ecclesiam venit, cujus Ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit: quæ paulisper crescens, usque ad fenestras Ecclesiæ, quæ erant tectis proximæ, pervenit. Sicque stans aqua, Ecclesiæ januam clausit, ac si elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum. Cumque essent multi inventi inferius, sed aquarum multitudine omni Ecclesia circumdata, qua possent egredi, non haberent, ibique se fame & siti deficere formidarent: ad Ecclesiæ januam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ (ut prædixi) usque ad fenestras excreverat, & tamen intra Ecclesiam nullo modo diffluebat. Hauriri itaque aqua poterat, sed diffluere (ut aqua) non poterat, stans ante januam, ad ostendendum cunctis meritum Martyris; & aqua erat ad adjutorium, & quasi aqua non erat ad invadendum locum.* Hucusque Gregorius.

Tiberis inundatione urbs vastatur.

Paul. de gestis Longob. lib. 3.

Greg. M. Dialog. lib. 3. 19.

Dum Athesis Veronæ exundat a S. Zenonis martyris templo abstinet.

15. De gestis in Oriente hoc anno, adnotare sufficiet, quod bello Persico adhuc vigente, dum Philippicus ad liberan-

Persæ Martyropolim occupant.

JESU CHR. AN. 590. randam Martyropolim a Persis obsessam contenderet. *Sittas quidam, qui Decanus erat, ut injuriam sibi illatam a quodam ex militiæ rectoribus, eam urbem hostibus prodidit, introducta Persarum cohorte*. Quare, re infecta, ad hibernas stationes exercitum Philippicus dimisit.

JESU CHRISTI AN. 590. GREGORII PAPÆ I.
MAURICII IMP. 9. AGILULPHI LONGOB. REGIS AN. I.

De urbis pestilentia.

1. Nonagesimus supra quingentesimum annus volvitur, quo ex horrenda Tiberis inundatione (de qua anno elapso) dira lues urbem invasit, quam a Deo immissam, signa cœlitus visa prænunciarunt, ut S. Gregorius narrat: *Ante triennium quoque hac pestilentia, quæ hanc urbem clade vehementissima depopulavit, in qua etiam corporali visu sagittæ Cœlitus venire, & singulos quosque ferire videbantur (sicut nosti) Stephanus item defunctus est*; eaque Pelagius Papa Secuudus e viris eripitur. *Subsecuuta est de vestigio clades*; ait Gregorius Turonensis; *quam inquinariam vocant, nam medio mense (Januario scilicet) undecimo adveniens, primum omnium (juxta quod in Ezechiele Propheta legitur, a Sanctuario meo incipite) Pelagium Papam percutit, quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est*.

Pelagius 2. Papa obiit.

2. Apud Anastasium tamen legitur Pelagium 2. obiisse, & ad B. Petrum Apostolum sepultum fuisse, sexto idus Februarias, seu die octava mensis Februarii; cumque Pontificatum inierit die 30. mensis Novembris anni 578. sedit, in cathedra Petri annos XI., menses 11., dies X., non vero annos decem, menses 11., dies X. ut habent exemplaria Anastasii, & passim catalogi Romanorum Pontificum.

Reliqua gesta Pelagii Papæ 2.

3. His de Pontificatu, & morte Pelagii Papæ 2. prænotatis, reliqua ejusdem gesta exponimus, inter cetera, narrat Anastasius, quod eo tempore, quo aquæ exundarunt, Pelagius *Vestivit corpus Beati Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis* (confessionem scilicet ubi corpus erat): *Hic Domum suam Xenodochium fecit pauperum senum. Hic fecit cemeterium Beati Hermetis Martiris. Hic fecit supra corpus Beati Laurentii martyris Basilicam a fundamentis constructam, & tabulis argenteis ornavit sepulcrum ejus*. De eadem ecclesia vetus epigramma repertum fuisse narrat Baronius his versibus.

Præ-

Præsule Pelagio Martyr Laurentius olim
Templa sibi statuit tam pretiosa dari.
Mira Fides, Claudius hostiles inferet iras,
Pontificem meritis nec celebrasse suis.
Tu modo Sanctorum, cui crescere constat honores,
Fac sub pace coli tecta dicata tibi.
Martyrium flammis olim Levita subisti:
Jure tuis Templis Lex veneranda redit.

Mirandum vero, atque pavendum quid acciderit, dum ejusdem S. Laurentii corpus detectum est, audi ex S. Gregorio: *Sanctæ*, inquit, *memoriæ decessor meus, itidem ad corpus Sancti Laurentii martiris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus ejus esset collocatum, & effoditur exquirendo, subito sepulcrum ejus ignoranter apertum est; & ii, qui præsentes erant atque laborabant Monachi, & mansionarii, qui corpus ejusdem Martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus superesse potuisset, qui Sanctum, & justum corpus illius viderat.* Hæc Gregorius.

Greg. lib. 3. epist. 30.

4. Præter epistolas, quarum supra meminimus, quamplurimæ aliæ Pelagii nomine circumferuntur, quæ unanimi eruditorum consensu, tamquam adulterinæ rejiciuntur. Inter eas, quæ ad Benignum Archiepiscopum inscribitur, qua ex una ecclesia ad aliam, Episcoporum improbantur translationes, nisi necessitate cogente; Hanc ex bibliotheca Vaticana suis inseruit annalibus Baronius hoc anno, integra vero refertur tomo quinto conciliorum edit. Labbeanæ pag. 931.. Idem esto judicium de epistola, quæ data dicitur Episcopis per Campaniæ, & Italiæ provincias militantibus, qua statuitur Episcopis venerationem habendam esse, nec posse a quolibet accusari. Data Kal. Decemb. indict. XV., annus is est Domini 582. Idem dicendum de epistola, quæ ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ scripta dicitur; in qua Præfationum numerus recensetur, ex Romanæ ecclesiæ liturgia ab antiquis temporibus servata, ac novem fuisse asseritur, ac ut eisdem utantur jubet. Ut enim observat Cardinalis Bona, si Pelagii ætate illis tantum novem præfationibus, in ea epistola memoratis Rom. ecclesia utebatur in festis, tamquam inveteratus usu receptis; cur Gregorius ejus immediatus successor

Epistolæ Pelagio 2. subditæ rejiciuntur.

Card. Bona lib. 2. Rerum Liturg. c. 10.

Jesu Chr. an. 590.

cessor, sacrorumque rituum tenacissimus custos, novas instituit? Cur Joannes Diaconus, qui Gregorii gesta minutissime refert, de præfationibus auctis silet? cur Gregorius ipse in epistola ad Joannem Syracusanum, in qua de additis, vel immutatis in ritibus sacrificii, de quibus S. Pontifex reprehensus fuerat, rationem reddens, de præfationibus tamen, nec verbum habet? Adde quod in antiquis libris Sacramentorum, qui Rom. ecclesiæ titulum præseferunt, quamplurimæ reperiuntur præfationes, vixque ulla missa est, cui propria, & peculiaris non assignetur. Denique ante Pippini, & Caroli Magni tempora Gallicana ecclesia ordinem missæ Romanum non suscepit, sed propriis officiis, propriaque missa usa est, ut ex variis, & antiquis monumentis ostendit, idem doctissimus Card. Bona, & Mabillonius.

Quæ hoc anno acciderunt in monasterio S. Greg.

5. Pelagio secundo successit S. Gregorius, qui hoc anno antequam Rom. Pontifex ordinaretur, dum adhuc in suo Sancti Andreæ monasterio esset, hæc accidisse in Dialogis refert: *Neque hoc silendum puto, quod actum in meo monasterio ante triennium reminiscor. Quidam namque monachus, Justus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto sedulo obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueverat. Hic itaque languore corporis præventus, ad extremum deductus est. Cui in sua molestia frater germanus, nomine Copiosus, serviebat, qui ipse quoque nunc in hac Urbe per eamdem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Justus, cum jam se ad extremum pervenisse cognovisset, eidem Copioso fratri suo, quia ocultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari; Sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt absconsos in medicamine. Quod mox ut mihi nunciatum est, tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia ejusdem mei monasterii semper regula fuerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore percussus, cogitare cæpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum fratribus providerem. Pretioso igitur ejusdem monasterii Præposito ad me accersito, dixi: Vide ut nullus ex fratribus se ad eum morientem conjungat, nec sermone*

mone consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat: sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus frater carnalis dicat, quia propter aureos quos occultatos habuit, a cunctis fratribus abominatus sit, ut saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transverberet, atque a peccato, quod perpetravit, purget. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur; sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in eam corpus ejus proicite; ibique super eum tres aureos, quos reliquit, jactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione. Et sic eum terra operite. In quibus utrisque rebus unam morienti, alteram vero volui prodesse Fratribus viventibus: ut & illum amaritudo mortis a culpa solubilem faceret, & istos avaritiæ tanta damnatio terreret, atque a culpa prohiberet. Nam cum idem monachus pervenisset ad mortem, atque anxie se quæreret commendari fratribus, & nullus e Fratribus ei applicari, & loqui dignaretur: ei carnalis Frater, cur ab omnibus fratribus esset abominabilis, indicavit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia e corpore exivit. Qui ita est sepultus, ut dixeram. Sed Fratres omnes ex eadem ejus sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quæque, & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos esset, unde reprehendi potuissent. Cum vero post mortem ejus triginta jam essent dies evoluti, cœpit animus meus defuncto fratri compati, ejusque cum dolore gravi supplicia pensare, & si quod esset ereptionis ejus remedium quærere. Tunc evocato ad me eodem Pretioso monasterj mei Præposito, tristis dixi: Diu est quod Frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur: debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum (in quantum possumus) ut eripiatur adjuvare. Vade itaque ab hodierna die, diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit., & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, & dies evolutos non numerantibus, idem Frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam Fratri suo germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit dicens: Quid est, Frater? Quomodo es? Cui respondit: Nunc usque male fui: sed jam modo

Sacrificium salubre pro defunctis.

JESU CHR. AN. 590.

bene sum; Quia hodie communionem accepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicavit fratribus in Monasterio. Fratres vero solicite computaverunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta. Cumque & Copiosus nesciret quid pro eo Fratres agerent, & Fratres ignorassent, quid de illo Copiosus vidisset: uno eodemque tempore, dum cognoscit ille quid isti egerant, & isti cognoscunt, quod ille viderat, concordante simul visione, & sacrificio, res aperte claruit, quia Frater, qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam evasit supplicium. Hæc Gregorius triennio post, cum Pontifex factus Dialogos scripsit, anno scilicet 593.: quamplurima alia stupenda prorsus ibidem narrat divinitus ostensa hoc anno, de Theodoro scilicet monacho S. Andreæ, qui dum animam ageret, quia sub habitu monastico vitam secularem egerat, Draconi horrendo traditum se vidit ad devorandum, nisi piæ confratrum præces, & lacrimæ obstitissent. Stephanus autem quidam vir nobilis ad Inferni loca perductus, *vidit multa, quæ prius audita non credidit.* Miles vero quidam eductus de corpore examinis jacuit: sed cito ad vitam rediens narravit se vidisse aliquos in tenebrosum fœtentemque fluvium prolabi, alios vero ad amena loca deduci, sed de his satis.

S. Gregorius omnium consensu Pontifex eligitur.

6. Post Pelagii mortem, dum de successore eligendo Romæ agitur, omnium vota in unum Gregorium intenta erant, utpote qui generis claritudine, vitæ sanctitate, scientia, & rerum peritia omnibus præstaret: Civitas revera erat, quæ supra montem posita non poterat abscondi, & lucerna supra candelabrum ponenda. Occidenti non minus, quam Orienti notissimus. Præfecturæ enim urbanæ fascibus ornatus, qualis futurus esset innotuit, sed clarior evasit, dum contempto seculo, ejusque pompis abdicatis monachum induit; deinde vero Diaconus ordinatus a Pelagio 2. ad Constantinopolitanam Urbem missus, ibi Apocrisarii munere apud Imperatorem Manritium functus fuerat: & sane calamitates, quibus Italia, & Roma undique premebatur, fames scilicet, & imminentes barbarorum gladii, & pestis, talem ac tantum virum requirebant, qui precibus, consilio, fortitudine urbem defenderet, & afflicti populi non solum animas verbo veritatis, sed corpora etiam cibo foveret, ac tueretur; Quæ omnia ipse (ut suo loco dicetur) implevit, atque abundantius præstitit.

7. Dies

7. Dies qua ordinatus Pontifex fuit S. Gregorius, ob tanti Pontificis excellentiam, in tabulas ecclesiasticas relata est, die enim tertia mensis septembris in Martyrologio Romano ita legitur: *Romæ ordinatio incomparabilis viri S. Gregorii M. in summum Pontificem*: idem apud Usuardum, aliaque martyrologia apud Bollandum ad dictam diem habentur. Certius argumentum eruitur ex charactere diei dominicæ, quæ hoc anno in diem tertiam Septembris incidit, & ex duratione ejus sedis. Sanctus enim Gregorius die XII. mensis Martii anni DCIV. ad Deum migravit, postquam Romanæ ecclesiæ præfuisset annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem, ut Joannes diaconus in ejus vita, aliique tradunt.

JESU CHR. AN. 590. De die qua ordinatus est S. Gregorius

8. Dum vero omnes de Pontificis electione gauderent, Solus Gregorius summo mærore afficiebatur. Quia vero a temporibus, quo Gothi Italiam obtinuerant, invalverat mos, ne electus Pontifex, ordinaretur, nisi expectata Principis confirmatione. (Huic vero juri, seu potius injuriæ, quæsitus hic color erat, quod cum Summi Pontificis electio, non solum ad Clerum, sed etiam ad Senatum, populumque Romanum spectaret, citra auctoritatem Imperatoris, aut Principis, qui Senatus, populique caput erat, fieri non deberet. Tum etiam, quia in tanto fastigio collocatus Præsul; auctoritate sua plurimum poterat ad res Imperatoris in Italia tuendas). Petendus ergo erat, atque expectandus Mauritii Imperatoris consensus, antequam ordinaretur; Hunc quidem morem S. Gregorium, tanquam corruptelam improbasse nonnulli tradiderunt, ex commentario in psalmos pœnitentiales, qui olim S. Gregorio inscribebatur, suam sententiam confirmantes. At cum luce clarius sit, eadem in psalmos pœnitentiales commentaria S. Gregorio septimo magis convenire, quam Gregorio Magno, uti pluribus probarunt Maurini S. Gregorii editores, Cardinalis Bona epist. 121. Muratorius, aliique, hinc non est dubitandum S. Gregorium electionis suæ confirmationem ab Imperatore Mauritio expetiisse, ac expectasse; Quin ea arrepta occasione, Summi Pontificatus sarcinam se declinare posse sperabat S. Pontifex; Mauritio quippe confestim scribens, ne electioni suæ consensum præberet, enixe rogavit; ob quam rem scripsit etiam Joanni CP. Episcopo; ut ejusdem epistolæ quarta & quinta lib. primi testantur; Frustra tamen impositum sibi honorem, aut onus abji-

Electi Pontificis confirmatio ab Imperatore exquiritur.

JESU CHR. AN. 590.

abiicere curavit, de quibus hæc narrat Gregorius alter. *Unde factum est, ut epistolam ad Imperatorem Mauritium dirigeret, cujus Filium ex Lavacro sancto susceperat, conjurans, & multa prece poscens, ne unquam consensum præberet populis, ut hunc hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus Urbis Romæ germanus ejus, anticipavit nuncium, & comprehenso disruptis epistolis consensu, quem Populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, quod reperisset locum honoris ejus, data præceptione ipsum jussit institui*. Ait Gregorius Turonensis.

A quibus regererurRom ecclesia fede vacante.

9. Dum vero Imperatoris consensus expectabatur, ut electus Pontifex consecraretur, vacante sede Romana, rerum gerendarum potestas erat penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium notariorum; si vero contingebat unum ex illis tribus Pontificem eligi, quartus addebatur, ut videre est in epistola Romani Cleri ad Scotos data, cum vacasset sedes morte Severini Pontificis, electusque in ejus locum esset Joannes quartus, sed nondum consecratus, cujus initium est *Dilectissimis & Sanctissimis Thomiano &c.: Hilarius Archipresbiter, & servans locum Sanctæ sedis Apostolicæ, Joannes Diaconus, & in Dei nomine electus: item Joannes Primicerius & servans locum S. Sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei consiliarius ejusdem Sedis Apostolicæ*, ubi illud notandum Archipresbyterum, & Archidiaconum suum servare locum; nam Joannes Diaconus, quem Pontificem elegerant, secundo tantum loco nominatur. Electo itaque, donec ordinaretur, nil juris fuit ad res gerendas, nisi tamquam unus ex administratoribus. Nec solum vacante Sede Archipresbyter, Archidiaconus, & Primicerius notariorum ecclesiam Rom. gubernabant, sed etiam absente Summo Pontifice. In capite 2. libri diurni Romanorum Pontificum titulo primo, extat formula literarum ad Exarchum de transitu Pontificis, in qua hac legitur superscriptio: *Domino atque Præcellentissimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus ministeriis feliciter conservando Ill. exconsuli Patricio, & exarcho Italiæ Ill. Archipresbyter Ill. Archidiaconus Ill. Primicerius notariorum servantes locum sedis Apostolicæ*: Ubi Ill. idem est, quod hodie apud nos N. cum scilicet locus nominis indicatur, ut apud Baronium adnotavit Pagius; adnotant tamen Baronius, & Garnerius in citatum locum, Gregorio M., aliisque sequentibus

Garner. in notis ad lib. Diurn. Rom. Pontif. tit. 1. cap. 2.

tibus Pontificibus concessum fuisse, ut Rom. Ecclesiæ administrationem gererent, licet nondum ordinati essent. Quamobrem cum dira lues urbem depopularet, ut populum ad pœnitentiam excitaret, ac Deum propitium sibi redderet, sermonem S. Gregorius ad populum habuit. Dignum sane, quem Gregorius Turonensis litteris mandaverit, cujus etiam Paulus, & Joannes Diaconi, aliique meminerunt, quo inter cetera hæc ajebat: *Oportebat Fratres Dilectissimi, ut flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam, ipsa jam, quam patimur, pœna dissolvat. Ut enim Propheta teste, prædictum est: Pervenit gladius usque ad animam. Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur; nec languor mortem prævenit, sed languoris moras (ut cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit: habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percutionem vacat &c.*

Gregorii sermo tempore pestis. Hier. 4.

10. Supplicationes deinde, seu Litanias S. Pontifex indixit, quarum hic fuit ordo, ut in historia Francornm narrat Turonensis. Clerus egrediatur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani, cum Presbyteris regionis sextæ. Omnes vero Abbates cum Monachis suis ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis egrediantur ab ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri, cum Presbyteris regionis primæ. Omnes Infantes ab Ecclesia Sanctorum Martyrum, Joannis, & Pauli cum Præsbyteris regionis secundæ. Omnes vero Laici ab Ecclesia Sancti Protomartyris Stephani cum Presbyteris regionis septimæ. Omnes Mulieres viduæ ab Ecclesia Sanctæ Euphemiæ cum Præsbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres conjugatæ egrediantur ab Ecclesia Sancti Martyris Clementis, cum Præsbyteris regionis tertiæ: ut de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus, ac lacrymis, ad B. Mariæ semper

S. Gregorius supplicationes indicit. *Greg. Turon. lib. 10. c. 1.*

Jesu Chr. An. 590. per Virginis Genitricis Domini Jesu Christi Basilicam congregemur, ut ibi diutius cum fletu, ac gemitu supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promerere valeamus. Alterum Litaniarum ordinem exhibet Gregorii epistola his verbis: *Crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam juxta distributionem inferius designatam, devota mente cum lacrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat: nullus quodlibet negotium agere præsumat, quatenus ad Sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnia mala, quæ fecimus, deploremus.* Litanias vero ejusmodi ordine digerit: *Litania Clericorum exeat ab Ecclesia B. Joannis Baptistæ. Litania Virorum ab Ecclesia B. Martyris Marcelli. Litania Monachoram ab Ecclesia Martyrum Joannis, & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Ecclesia B. Martyrum Cosmæ, & Damiani. Litania Fœminarum conjugatarum ab Ecclesia B. primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Ecclesia B. Martyris Vitalis. Litania Pauperum, & Infantium ab Ecclesia B. Martyris Cæciliæ.* Cumque diversus sit Gregorius Papa a Gregorio Turonensi in ordine supplicationum describendo, hinc sequitur, easdem non semel, sed sæpius fuisse celebratas. Dum vero supplicationes fierent, ait Turonensis: *Asserebat autem Diaconus noster, qui aderat in unius horæ spatio, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exalasse. Sed non destitit Sacerdos tantus (Gregorius M.) predicare populo ne ab oratione cessaret.* His precibus, & supplicationibus Romanos promeruisse, ut aliquantisper pestilentia cessaret, Paulus, & Joannes Diaconi, qui Gregorii gesta sunt persecuti, non obscure indicant; at non multo post, ut infra videbimus, crudelius soeviit; tunc fortasse illud accidit, quod traditione habetur, (scilicet) dum prope molem Adriani supplicatio transiret, visum Angelum in signum reconciliati Numinis, nudatum gladium in vaginam reponere. De hoc tamen signo Paulus, & Joannes Diaconus, ceterique coevi scriptores omnino silent, ac vulgari tantum traditione, nullaque veterum scriptorum auctoritate hæc constant.

Greg. epist. lib. 11. c. 2.

De visione Angeli super molem Adriani.

S. Greg. fugam meditatur, & late-

11. Gregorius interea in Pontificem electus, sed nondum ordinatus, dum Romanorum saluti & incolumnitati omni studio

studio, & diligentia incumberet, nulla adhuc sollicitudine de sua in Pontificem electione tenebatur. Sperabat enim Mauritium Imp. epistolis suis permotum electioni de se factæ consensum non esse præbiturum, at ubi sua se spe frustratum fuisse intellexit. De fuga quamprimum capescenda cogitavit. Formidabat enim celsum quidem, sed arduum locum: *Et sic metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire*; ut ipsius verbis utar: *Verum cum latibula fugæ pararet, capitur, trahitur, & ad B. Petri Apostoli basilicam deducitur, ibique ad Pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa urbi datus est*. Verba sunt Gregorii Turonensis, quæ Paulus Diaconus excripsit, ac addit, cum ad urbis portas soliciti cives excubarent, ne evaderet. a negotiatoribus eum impetrasse, ut in cratera occultatus extra urbem educeretur, sicque per triduum delituisse, sed nocte, fulgidæ columnæ indicio detectum, & comprehensum fuisse. Joannes etiam Diaconus ejusdem columnæ meminit: *Quia palam egredi portas civitatis non poterat, a negotiatoribus exponendum se, dissimulato, ut fertur, habitu callidus impetravit. Sylvarum saltus expetiit, cavernarum latibula requisivit. In quibus dum ab omnibus summa sollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ super se jugiter e Cælo dependentis agnoscitur, capitur, trahitur, & apud B. Petri Apostolorum Principis Templum Pontifex consecratur*. Sed omni exceptione major testis accedat ipse Gregorius, qui etsi præ animi demissione, atque modestia, hæc silentio premere optasset, dissimulare tamen non potuit, in sui ordinatione, signa divinitus facta. Scribens enim ad Natalem Salonitanum Episcopum; ait: *Conscientiam nostram indicamus ipsius honoris onera, me ægro animo suscepisse, sed quia divinis judiciis non poteram resultare, necessario mentem meam parti laetiori revocavi*; & ad Cyriacum Constantinopolitanum Patriarcham: *Ego quoque, qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conscius, secretiora loca petere aliquando decreveram, sed suprema mihi judicia adversari conspiciens, jugo conditoris subdidi cervicem cordis*. Hæc Gregorius.

Gregorius latebras querit, sed inventus Episcopus ordinatur.

Greg. Turon. lib. 10. c. 1.

Joan. Diac. lib. 1. c. 44.

12. E latebris itaque eductus Gregorius, ac in Pontificem consecrandus ad basilicam Principis Apostolorum Petri perductus, fidei orthodoxæ professione edita, quæ tum apud Joannem Diaconum legitur, lib. 11. cap. 2., ac in appendice ad

De ordinatione S. Gregorii Papæ.

Jesu Chr. an. 590.

ad Gregorii epistolas, solemni ritu ordinatus est. In sublimi autem Cathedra, tanquam super candelabrum locatus, quæ & quanta gesserit (si ipsi credamus vilis humuncio desidia torpens) sed revera gigas fortissimus, & mollis otii supra vires impatiens, factus spectaculum mundo non minus, quam Angelis, & hominibus: antequam vero ea narremus, primum quo statu tunc essent res ecclesiæ, & Imperii attendamus. Videbimus etenim, quod si umquam furentibus undis Petri navicula obrui potuisset, tunc temporis portæ inferi certe prævaluisse videbantur. Nam Longobardi impietatis Arianæ addicti, vel simulacrorum cultui, Romæ totius cristianæ religionis capiti imminebant. In Istriæ, aliisque provinciis furebat, fervebatque obstinatum schisma pro tribus capitulis excitatum. In Hispania, & Gallia Narbonensi ad hæc usque tempora Visigothorum plurimi adhuc retinebant Arianam hœresim. Angli, qui Britanniam invaserant, Christi nomen ignorabant idololatriæ mancipati. Pergebant Donatistæ Africanam ecclesiam scindere. In Galliis vero, ubi fides catholica semel recepta fuerat, variæ morum irrepserant corruptelæ, maxime vero Simoniaca hæresis (sic eam appellat S. Gregorius) & Neophitorum, idest laicorum immaturæ præcipitesque ad sacerdotium promotiones, ita ut ecclesiastica disciplina prorsus sileret. Hæc facies ecclesiæ Occidentalis. Orientalis vero ecclesia ubique Nestorii, aut Eutychetis erroribus inficiebatur. His addendi Agnoitæ, non ita pridem apud Alexandriam exorti.

Quæ & quanta S. Gregorius Pontifex gesserit.

13. His medendis malis totus incubuit S. Gregorius omnibus diebus sui Pontificatus. Quia vero ad tantum opus imparem se judicabat, adversa potissimum valetudine persæpe afflictus, hinc in magna animi anxietate erat, sed adjutorem habuit Deum (qui humilibus dat gratiam, superbis vero resistit) cui vocanti obsecutus fuerat, ejusque, ope schismaticos Italiam turbantes coercuit. Longobardos ad fidem catholicam perduxit; Gothos ecclesiæ reconciliavit, Anglos christianis præceptis imbuit, & sacro lavacro tinxit. Repressit Donatistas in Africa tumultuantes. Agnoitas, aliosque hæreticos in Oriente debellavit. Varios ubique contra fidem, aut bonos mores extirpavit errores. Tot denique, tantaque gessit, ut magni nomen, omnium gentium consensu, sibi promeruit; de quibus plura in ejus vita apud Maurinos videri possunt

possunt lib. 2. cap. 3. n. 3. 4. 5. & 6., ac gesta singulis annis demonstrabunt. Jesu Chr. an. 590.

14. Sciens vero ad Pastoris officium pertinere, ut gregem sibi commissum verbo nutriat (ut declarat concilium Tridentinum) vix tribus elapsis mensibus ab ordinatione sua, tempore adventus, homiliam ad populum habuit, qua præsentis temporis deploravit ærumnas. Pæstilentia adhuc sæviebat, & multos repentina morte trahebat. Subito turbine annosæ arbores erutæ fuerant. Ventis vehementibus concussa civitate, quæ vetustate infirma erant ædificia, solò prostrata fuerant. Eversæ ubique ecclesiæ videbantur, aliisque malis tota Italia, cum urbe acerbius vexabatur. Unde factum est, ut quamplurimi putarent ultimum jam jam imminere diem. Tot flagellis castigatos, ac calamitatibus attritos, ad pœnitentiam flectere, & salutari metu concutere, modis omnibus curavit S. Gregorius his verbis: *Priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in Cœlo acies vidimus, ipsoque, qui post humani generis fusus est sanguine corruscantes.* Et inferius: *Ecce, Fratres mei, jam cernimus quod audiebamus: Novis quotidie, & crebrescentibus malis mundus urgetur. Ex illa plebe innumerabili quanti remanseritis aspicitis: & tamen adhuc quotidie flagella urgent, repentini casus opprimunt, novæ nos, & improvisæ clades affligunt &c.* Et paulo post: *Nudius tertius, Fratres, agnovistis, quod subito turbine annosa arbusta eruta, destructæ domus, atque Ecclesiæ a fundamentis eversæ sunt. Quanti ad vesperum sani, atque incolumes acturos se in crastinum aliquid putabant, & tamen nocte in eadem repentina morte defuncti sunt, in laqueo ruinæ deprehensi? Sed considerandum est nobis, dilectissimi, quod ad hæc agenda invisibilis Judex venti tenuissimi spiritum movit, unius procellam nubis excitavit, & terram subruit, casura tot ædificiorum fundamenta concussit. Quid ergo Judex ipse facturus est, cum per semetipsum venerit, & in ultionem peccatorum ira ejus exarserit, si portari non potest, cum nos per tenuissimam nubem ferit? In iræ ejus præsentia, quæ caro subsistet, si ventum movit & terram subruit, & concitavit aera, & tot ædificia stravit?*

Gregorius populum ad pœnitentiam excitat.

15. Fuerant hæc jamdiu a S. Benedicto prædicta, cum S. Sabinum Episcopum Canusinum alloqueretur, ut ipse Gregorius narrat his verbis: *Roma a Gentilibus non exterminabitur,*

De urbis clade prædictio

JESU CHR. AN. 590. *bitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræmotu fatigata in semetipsa marcescet. Cujus Prophetiæ misteria nobis facta sunt luce clariora: qui in hac urbe dissoluta menia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus; ejusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus.* Hæc Gregorius. Sed his malis, alia addebantur, nempe Longobardorum urgentium metus, pavor ex iis, quibus urbis custodia erat commissa. De quibus Gregorius in epistola ad Paulum scholasticum post initum Pentificatum

Epist. 3. l. 1. ita scribit: *Veniente autem viro magnifico Domno Maurentio chartulario, ei, quæso in Romanæ urbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur, sed seditione militum interno periculo gravius urgemur.* Ut vero famem ab urbe expelleret, Justinum Siciliæ Prætorem rogavit, ut frumentum vehi curaret: *Curam gerite*, ait, *quia si quid minus huc transmittitur (scilicet frumenti petiti) non unus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur*; ex quibus summam Optimi Pontificis diligentiam vides, qui gregis sui non animæ tantum, sed corpori quoque providebat, Jesu Christi vestigia sequens, qui sequentium se turbarum, & mentes verbo veritatis, & corpora pane, & piscibus in deserto pavit. Unde merito, non tam Sedem Pontificiam se conscendisse credebat, quam jactatam undique navem gubernandam; a quiete abstractus, ad bella, ad labores, ad graves subeundas ærumnas vocatus: sic nempe scribens ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, inter alia

Greg. ep. 4. lib. 1. habet. *Quia vetustam navem vehementer confractam, indignus ego infirmusque suscepi: undique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant; per Omnipotentem Deum rogo, ut in hoc mihi periculo orationis vestræ manum porrigatis: quia & tanto enixius potestis exorare, quanto & a confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis.* Hæc Gregorius pressus angustiis, undique gemens ac dolens.

Librum de cura pastorali S. Gregorius scribit.

16. Verum quo magis increbrescere mala vidit, tunc fortior ad ea superanda surrexit, ut diceret cum Apostolo *cum infirmor, tunc potens sum. In omnibus tribulationibus patimur, sed non angustiamur.* Quanta enim inter tot fluctus & procellas tranquillitate fuerit, ex eo quisque intelligere potest, dum ut ipse testatur in epist. ad Leandrum Episcopum Hispa-

Hispalensem in ipso veluti Pontificalis muneris tyrocinio, tamquam si summo otio frueretur, præclarissimum illud de pastorali cura commentarium perfecit, atque vulgavit. Quod antequam ederetur, diu parturivit S. Doctor, jam enim mente concœptum gerebat, cum trigesimum Moralium librum elucubraret, ut conferenti argumenta admonitionum tertiæ partis, cum capite 13. laudati libri constabit; ubi videlicet legitur. *Aliter namque viri, aliter admanendæ sunt feminæ aliter juvenes, aliter senes &c: quæ sic concludit, & quidem de singulis quis sit admonitionis ordo subtiliter insinuare debuimus, sed formidata locutionis prolixitate præpedimur. Auctore autem Deo in alio opere id explere appetit animus. Si tamen laboriosæ hujus vitæ adhuc aliquantulum tempus restaverit.* Cum etenim ab Joanne Ravennatensi Episcopo interrogatus fuisset, cur pastorale officium, fuga & latebris declinare voluerit, Gregorii Nazianzeni exemplo, qui Apologiam de fuga sua scripsit, eamdem retractavit causam, ac postquam cum Nazianzeno eorum temeritatem arguit, qui ad Episcopale officium, vel sponte se offerrunt; vel etiam ut cathedram Episcopalem obtineant, precibus postulant, pastoralis officii difficultates prosequitur, tum in animarum gubernatione, & in verbi divini prædicatione, ac in christianæ perfectionis assequendæ necessitate: *Antistitis enim vitium est*, inquit, *non esse quam optimum*. Deinde. *Ars artium, & scientia scientiarum est hominem regere*. Quæ legitur in Apolog. Geg. Nazianzeni cap. 31. & lib. Reg. Past. 1. part. 1. cap. 1. Simili occasione, de eodem argumento scripsit, S. Joannes Grisostomus libros sex de Sacerdotio. Quanti vero S. Gregorii Papæ de cura pastorali opus existimaverint viri doctrina, & pietate clarissimi, tam Græci, quam Latini, quot synodis commendatum, atque pastoribus, tamquam exemplar datum, quo suos mores componerent, atque commissum gregem regerent, nostri non est diutius immorari, adeat qui talia scire cupit Præfationem in dictum librum, Hoc tamen non tacebo, quod dum ipse alios scribendo docuit, primus ipse implere curavit, etsi præ animi humilitate aliter ipse sentiebat; cujus hæc sunt verba: *Ecce bone vir reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis esse debeat Pastor invigilo; Pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliosque ad perfectionis*

De præstantia tractatus regulæ Past. S. Greg. M.

Greg. oper. tom. 2.

JESU CHR. AN. 590. *ctionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor.*

Quo animi sensu Pontifex ordinatus sit Gregorius.

Epist. 3. l. 1.

17. Hæc Gregorium scripsisse non ad captandam humilitatis famam, sed ex intimo cordis sensu, satis nos docent epistolæ, quas ipso suæ sedis initio scripsit, ad eos, qui secum de Pontificatu gratulati sunt, in iis enim quantum ab ea dignitate abhorreret, admirari satis non licet. Hinc ad Paulum Scholasticum scribens ait: *Quidquid mihi ex honore sacerdotalis officii extranei arrident, non valde penso: de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minime doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui; si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem.* Gravius adhuc cum amicis questus est, eo quod apud Imperatorem non intercessissent, ut de sua electione decretum irritum redderetur, ut ex epistolis ab eo scriptis constat. Ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, & alios; ad primum ajebat: *Si Charitatis virtus in proximi dilectione consistit, & sic diligere proximos sicut nos jubemur; quid est quod me beatitudo vestra non ita sicut se diligit? Quo enim ardore, quo studio Episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me sicut vos diligitis, qui illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis.* Quamplurimæ aliæ ejusdem argumenti supersunt epistolæ, dignæ quidem ut legantur, quas tamen brevitatis studio prætermittimus, contenti ea referre, quæ ad Theodistam Imperatoris sororem, genere & pietate illustrem fœminam scribit, ubi post exordium. *Sub colore Episcopatus ad seculum sum reductus: in qua, cura silicet, tanti terræ curis inservio, quantis me in vita laica nequaquam deservisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor: Unde me a Conditoris mei facie longe expulsum deploro &c.* Deinde post aliqua: *Sed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores, pavoresque corrui: quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multum formido. Undique causarum fluctibus quatior, & tempestatibus deprimor; ita ut recte dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed* ab

Psal. 68.

ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est: ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: Redite prævaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor: Cor meum dereliquit me. Contemplativæ vitæ pulchritudinem, velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem & pulchram, quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo judicio, nescio, Lia mihi in nocte conjuncta est, activa videlicet vita; fœcunda, sed lippa, minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, & erga multa satagere. Hæc & alia multa in eamdem, quæ ibidem videri possunt; ac tandem his verbis epistolam concludit: *Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri simiam Leonem jussit. Et quidem pro jussione illius vocari Leo potest, fieri autem Leo non potest: unde necesse est, ut omnes culpas & negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet: quia virtutis ministerium infirmo commisit.* Hæc & alia S. Gregorius, hisque similia ad Narsetem Patricium, & ad Anastasium Antiochenum Episcopum, quæ exscribere longum esset.

Isa. 46. *Psal. 39.* *Genes. 29.* *Lib. 1. epist. 6. & 7.*

IstriæEpiscopos ad communionem cum Rom. ecclesia revocare satagit.

18. De gestis autem a Gregorio Pontificatus sui initio acturi, adnotamus. Illud in primis S. Pontifici curæ fuisse, ut schisma ob tria capitula in Istria excitatum comprimeret; Quam ob causam Severum Episcopum Aquilejensem, datæ fidei prævaricatorem (Ravennæ enim coram Joanne Archiepiscopo schismati renunciaverat). Romam una ceteris schismaticis Episcopis vocavit, quos etiam Mauritius Imp. ut Romam pergerent, jusserat. Unde in epistola hoc desinente anno ad eos data scribebat S. Pontifex. *Pro qua re, imminente latore præsentium, juxta christianissimi & serenissimi rerum domini jussionem, ad Beati Petri Apostoli limina cum his sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo, aggregata synodo, de ea quæ inter nos vertitur dubbietate, quod justum fuerit judicetur*. In hac re uti vicinior excubabat etiam Joannes Ravennatensis Episcopus, qui jubente Gregorio effecerat, ut Pontificis, & Imperatoris litteræ per Tribunum ad Severum deferrentur. Severus autem his acceptis litteris, utpote lœsæ fidei, & perjurii reus, uti eidem exprobat S. Gregorius: *Et*

Greg. lib. 1. epist. 16.

JESU CHR. AN. 590.

Et nos ſiquidem quantum incorporatum te jampridem fuiſſe in unitate Eccleſiæ gaviſi fueramus, abundantius nunc diſſociatum a Catholica ſocietate confundimur. Ad collegas litteras dedit, conſilium, & opem eorum imploraturus; ii vero coacta ſynodo, S. Pontificis juſſa ſpernentes, litteras ad Mauritium Imperatorem dederunt, & ſchiſmaticorum, & hæreticorum more, eccleſiaſticum judicium declinantes, ejuſdem opem implorarunt, ne ad ſynodum Romæ congregandam ire compellerentur, ac Imperatoris ſe ſententiam ſequi teſtati ſunt. Hunc libellum a Nicolao Fabro acceptum, ſuis annalibus inſeruerat Eminentiſſimus eccleſiaſticæ hiſtoriæ parens, in quibuſdam ſubſcriptionibus Epiſcoporum corrigendus, ut notatum a Noriſio, & Pagio. Huic pſeudo ſynodo ſubſcripſere, Ingenuinus Epiſcopus S. Eccleſiæ ſecundæ Rhaetiæ, Laurentius Epiſcopus S. eccleſiæ Bellunatæ, ideſt Bellunenſis; Agnellus Tridentinus, ut legitur apud Paulum Diac. lib. 3. cap. 27., non vero Trajentinus, ut in Codice Nicolai Fabri quo uſus eſt Baronius; præterea tres illi Epiſcopi ita ſubſcripti reperiuntur in ſynodo Gradenſi ſub Elia Aquilejenſi Metropolita anno 589. Subſcripſere ſex alii, inter eos Horuntinus Vicentinus, ut legitur in Paulo Diacono citato non vero Horontius Epiſcopus eccleſiæ Venetinæ, ut apud Baronium. Coacta autem ſynodus Marani fuit, ſeu Mariani ex Paulo Diacono, loco laudato, cui nec Severus, aut alius quiſquam ex Iſtriæ Epiſcopis adſuit. Cum etenim ſub Imperatoris Mauritii Imperio eſſent, Longobardi ægre ferebant ſuarum urbium Epiſcopos, cum iis, qui Imperatori ſubjectas urbes regebant, convenire.

Noriſ. de ſynodo 5. c. 9. §. 5.
Pagius not. 11. hoc anno

Iſtriæ Epiſcopi ad Imperatorem confugiunt.

19. Schiſmaticorum autem libellus hæc continebat: *Sub Gregorio Papa ſchiſmaticorum libellus ſupplex Epiſcoporum ad Mauritium Imperatorem. Suggerendum domno noſtro clementiſſimo, ac piiſſimo domno Mauritio Tiberio, humiles Venetiarum, vel ſecundæ Retiæ Ingenuinus, Maxentius, Fontejus, Laurentius, Agnellus, Felix, Auguſtus Junior, & Horontius Epiſcopi. Pietatis veſtræ eſt, clementiſſime dominator, preces humilium ſacerdotum Imperiali dignatione ſuſcipere: quod etiam ſupplices deprecamur per Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum Salvatorem omnium, per fidem Catholicam, & regnum quod meruiſtis a Deo conceſſum, atque ſalutem Dominorum filiorum veſtrorum, quibus perpetuum Imperium*

perium Deo gubernante permanet, ut auditum inveniat supplicatio nostra apud pias aures vestras, & cum fiducia recurrentes ad principalia remedia, mereamur, quæ petimus, impetrare. Nam etsi nos peccata nostra ad tempus gravissimo jugo summiserunt, auxiliante nobis Domino, nullo pondere pressurarum ab integritate Catholicæ fidei invenimur ullo modo titubare. Deinde nec obliti sumus sanctam Remp. vestram, sub qua olim quieti viximus, & adjuvante Domino redire totis viribus festinamus. Suggerimus etenim, domine piissime Princeps, scandalum Ecclesiæ, quod tempore divæ memoriæ Justiniani Principis totius mundi Ecclesias conturbavit, nostrarum quoque provinciarum partibus ex tunc jam esse compertum; damnationem scilicet trium Capitulorum, id est, epistolæ venerabilis Ibæ Episcopi Edessenæ civitatis, personæ quoque Theodori Mopsuestiæ Episcopi, atque Scriptorum Theodoreti Episcopi Cyri, quæ in sancta Synodo Chalcedonensi recepta sunt, & Vigilio tunc Romano Præsuli, atque omnibus pene Sacerdotibus damnatio ipsa, sicut revera contraria Sancto Chalcedonensi Concilio execrabilis noscitur extitisse. Qui etiam Vigilius scripta sua per omnes Provincias mittens, anathematis vinculis obligavit omnem populum, si quis damnationi trium Capitulorum præberet aliquando consensum. Et licet postea Imperiali pondere ad consensum damnationis Capitulorum ipsorum paulatim singuli tunc fuerint coarctati, nostrarum tamen Provinciarum venerandi decessores, quibus indigni successimus, prædicti quondam Vigilii instructionibus informati, ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, servantes cum universo populo nobis credito, sequentes etiam in omnibus definitionem Sancti Chalcedonensis Concilii, defensioni Capitulorum ipsorum, & reverentiam exhibemus, & a comunione damnantium cum divina gratia abstinere dignoscimur. Et cum Smaragdus gloriosus Chatularius Patrem nostrum sanctæ memoriæ Heliam Archiepiscopum Aquilejensis Ecclesiæ, pro causa ipsa pluribus vicibus contristaret: cum nostro omnium consilio atque consensu direxit ad pia vestigia Principatus vestri preces, supplicans, ut expectata Dei misericordia, revocatis omnibus Consacerdotibus Synodi nostræ in potestatem sanctæ Reip. ad vestræ clementiæ præsentiam veniretur, & vestrum in causa ipsa expectaretur judicium. Quod pietas vestræ mansuetudinis ad mercedem & laudem Imperii

JESU CHR. AN. 590. *perii sui, clementi dignatione suscipiens, jussionem suam dedit ad prædictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam sacerdotum pro causa communionis inquietare præsumeret, sed Dei misericordia operante sustineretur; quousque compressis gentibus ad libertatem omnes Sacerdotes Concilii sub sancta Rep. pervenirent. Deinde defunctus est memoratus Archiepiscopus noster Helias, Nos vero pro impetratis precibus ejusdem cum omnibus populis ardentibus devotiores effecti, si fieri potuisset, eisdem diebus ad vestra certabamus redire vestigia: & gratias Deo retulimus, & pro vita imperii vestri, sicut ipse novit Dominus, assiduas preces ejus obtulimus Majestati. Post hoc ordinato in sancta Aquilejensi Ecclesia beatissimo Archiepiscopo nostro Severo, quæ contumeliæ illatæ sint, & quibus injuriis, ac cæde corporali fustium, & qua violentia ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque reductus in custodia, quibusque necessitatibus oppressus, atque contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio pervenire. Nos autem tam inauditis calamitatibus Patrem, & Archiepiscopum nostrum, quod nunquam sub Christiano Principe factum dignoscitur, cognoscentes afflictum, insanabilium dolorum sumus stimulis vulnerati: Nam in hoc tempore iterum cognovimus, reverendum Papam Gregorium, ad ejusdem Patris nostri exhibitionem misisse cum sacratissima vestræ pietatis jussione, ut pro causa ipsa communionis ad Romanam deberet civitatem deduci. Quod audientes, quamvis certi essemus talem jussionem Domini nostri specialiter adversariorum improba importunitate subreptam, contabuimus; & contriti, atque luctu gravissimo sauciati, ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius judicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum quo causa ipsa esse dignoscitur, & cujus communionem ab initio motionis causæ hujus, usque nunc decessores nostri, & nos cum omni populo evitamus. Et quidem memoratum beatissimum Archiepiscopum nostrum frequenti contestatione convenimus: ne nobis absentibus, & a se ad præsens divisis de communi causa Ecclesiæ aliquid audeat definire. Quoniam, piissime Domine sic accensi sunt omnes homines plebium nostrarum in causa ista, ut ante mortem perpeti, quam ab antiqua Catholica patiantur communione divelli.* Quare post multa Imperatorem enixe rogant, ne Severum Aquilejensem Episcopum, eorumque Primatem ad urbem ire, ad dicendam causam com-

compelleret; seque suo tempore coram ipso adfuturos promittunt; fidei suæ rationem reddituros: *Nam cum quo nobis ipsa causa est, & quem in communione vitamus, judicem experiri non possumus &c.*; sicque Romani Pontificis judicium declinantes, ad Imperatoris tribunal se sistere paratos esse testantur, ac tandem: *Præsentem igitur supplicem relationem confidenter direximus, quam pia clementia dignetur placida aure recipere, ut effectum nostræ supplicationis Deo vobis aspirante sortiti, pro quiete matris nostræ Aquilejensis Ecclesiæ sacratissimis jussionibus relevetur; & pro incolumitate domini nostri, ac dominorum filiorum vestrorum Domino Deo nostro jugiter supplicemus.* Sequuntur subscriptiones hoc ordine: *Ingenuinus Episcopus sanctæ Ecclesiæ secundæ Retiæ hanc relationem a nobis factam subscripsi. Maxentius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Juliensis, ut supra. Laurentius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Bellunatæ, ut supra. Augustus Episcopus sanctæ Catholicæ Concordiensis Ecclesiæ, ut supra. Agnellus Episcopus sanctæ Trajentinæ seu Parentinæ Ecclesiæ. Junior Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Veronensis, &c.. Fontejus Episcopus sanctæ Feltrinæ Ecclesiæ, &c.. Felix Episcopus sanctæ Tervisianæ Ecclesiæ, &c.. Horontius Episcopus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Venetinæ, &c..*

Gradensis synodus a schismaticis celebratur.

19. Interea Severus aliam indixit synodum apud Gradum cum Istriæ Episcopis, atque in unam sententiam itum est, ut a Pontifice Cæsarem appellarent, ut ex epistola synodica ad Mauritium Imp. data constat, cui privatas etiam addidit Severus, uti ex rescripto Mauritii ad Gregorium Pontificem scimus; atque ut Imperatoris gratiam sibi conciliarent, testabantur se quotidiana vota, ac preces fundere pro Principum incolumitate, & victoriis, nihilque sibi cordi magis esse, quam ut ejectis barbaris, & pace reddita, coram ipso se sisterent, sententiam audituri; his addebant timendum esse, ne vi adhibita, Istriæ Episcopi ad vicinos Longobardos transirent; Addebant etiam, quod nisi ea vis prohiberetur, qua cogebantur in Romanæ ecclesiæ communionem transire, futurum, ut quamplurimæ ejusdem provinciæ ecclesiæ, ex Aquilejensis Primatis jurisdictione sese subtraherent, ut cum iis sociarentur, qui cum Romano Pontifice in trium capitulorum damnatione consentiebant. His acceptis litteris Mauritius Imperator a priori sententia recessit, & absque

JESU CHR. AN. 590.

absque ullo veritatis examine, hæc Gregorio rescripsit. *Quia igitur, & tua Sanctitas cognoscit præsentem rerum Italicarum confusionem, & quod oportet temporibus competenter versari. Jubemus tuam Sanctitatem nullatenus molestiam eisdem Episcopis inferre, sed concedere eos otiosos esse, quousque per providentiam Dei, & partes Italiæ pace aliter constituantur, Episcopi Istriæ, seu Venetiarum iterum ad pristinum ordinem redigantur*. Eadem mandata accepit a Mauritio Imp. Romanus Exarchus, a quo cum eadem intellexisset Joannes Ravennatis Episcopus, certiorem per litteras Gregorium fecit, quid post hæc in hac causa egerit Gregorius Pontifex, sequentibus annis videbimus.

Grodieldis & Basina seditionem in monasterio excitant.

20. Ex Italia in Gallias migrandum est, quo nos synodus Pictaviensis vocat ad sedandam discordiam, quæ universam fere Galliam turbavit. Anno igitur decimoquarto, Childeberti Regis, (scilicet currenti) conventus Episcoporum Galliæ Pictavis celebratur. Totius tragediæ, ac scandali auctores fuerunt Chrodieldis filia Chariberti Regis, ac Basina filia Chilperici pariter Francorum Regis, quæ in Leuboveram Abbatissam rebelles, monasterii claustra erumpentes, cum quadraginta aliis virginibus Deo dicatis, ad Reges Francorum confugerunt. Quousque fœmineus furor eas impullerit, ex Gregorio Turonensi, qui hæc omnia vidit, & fusiori stylo descripsit, videamus. *Venerant pedestri itinere a Pictavo, nec ullius equi beneficium habuerunt; unde anhelæ, & satis exiguæ, idest consumptæ erant: sed nec victus alimoniam ullam eis in via quisquam præbuerat. Accesserunt enim ad urbem nostram die prima mensis primi: erant enim pluviæ magnæ, sed & viæ dissolutæ erant a nimia inmensitate aquarum*. Æstivo vero tempore Chrodieldis ad Regem Guntheramnum profecta, cum ab eo nihil præter munera, quibus ditata fuit, obtinuisset, Turonos rediit, quo tempore ex seductis virginibus complures lapsæ, abierunt retro post Satanam, ac viris matrimonio conjunctæ sunt. Regressæ vero Pictavos, sceleratorum turba collecta, monasterium nocte invadunt, atque Abbatissam vinculis alligarunt. *Cum vero hæc agerentur* (subdit Gregorius) *Lundegisilus Episcopus Burdegalensis, adjunctis secum Nicasio Engolimensi & Saffario Petragorico, ac ipso Moroveo Pictaviensi Episcopis, eo quod hujus urbis metropolis esset, ad Basilicam Sancti Hilarii advenit, arguens*

Greg. Turon. lib. 9, c. 39.

Greg. ibid. cap. 41.

has

bas puellas, & in monasterium reducere cupiens: Sed cum illæ obstinatius reluctarentur, & hic cum reliquis (juxta epistolam superius nominatam) eis excomunicationem indiceret; exurgens turba murionum præfatorum, tanta eos in ipsa sancti Hilarii basilica cæde mactavit, ut corruentibus in pavimento Episcopis, vix consurgere possent. Sed & Diaconi, & reliqui Clerici sanguine perfusi, cum effractis capitibus basilicam sunt egressi. &c. Subdit vero de factiosa femina Chrodielde. *Ex hoc*, inquit, *Chrodieldis ordinatores elegit, villas monasterii pervadit; & quoscumque de monasterio arripere potuisset, plagis, ac cædibus affectos, suo servitio subjugavit; minans, ut si monastertum posset ingredi, Abbatissam de muro projectam terræ deijceret.*

Episcopi cæduntur in Ecclesia.

21. Cum autem Episcopi, easdem factiosas fœminas a sacra comunione suspendissent, ad alios Episcopos, apud Guntheramnum regem congregatos, ut eamdem probarent sententiam, litteras dederunt, sicuti ex synodali epistola constat his verbis. *Dominis semper suis atque Apostolica Sede dignissimis Gundesilo, Nicasio, Saffario, Moroveo, Æterius, Syagrius, Anacarius, Hesychius, Agricola, Urbicius, Felix, Veranus, item Felix, & Bertheramnus Episcopi, Litteras vestræ Beatitudinis, quantum referante nuncio de vestra sospitate gavisi, excepimus; tantum de injuria, quam vos pertulisse signastis, non modico mœrore astringimur, dum & regula transcenditur, & nulla reverentia religioni servatur. Sed quia indicastis monachas, quæ de monasterio bonæ memoriæ Radegundis, instigante diabolo, fuerunt digressæ, quod nullam a vobis aquieverint correctionem audire, nec intra monasterii sui septa, de quo egressæ fuerant, voluissent reverti, insuper basilicæ domni Hilarii per cædes vestras, vestrorumque injuriam intulisse: quapropter ipsas a comunionis gratia visi fueritis suspendere, ac per nostram exinde mediocritatem elegistis consulere.* Quare consensu suo hactenus gesta confirmantes, subdunt: *Ut qui in talibus excessibus videntur deprehendi, non solum excommunicatione, verum etiam pænitentiæ satisfactione debeant coerceri: ea de re addentes cum venerationis cultu summæ aviditatis dilectionis instinctum, indicamus, ea quæ definistis, nos concordanter vestræ sententiæ consentire, quoadusque in Synodali Concilio Kalend. Novembris pariter positi debeamus consilio tractare, qualiter talium temeritas frænum distri-*

Epistola Synodalis ad Episcopos.

JESU CHR. AN. 590. *districtionis possit accipere ; ut deinceps nulli liceat sub hunc lapsum faciente jactantia similia perpetrare . &c.* Hactenus epistola synodalis, cui in hæc verba Episcopi subscripserunt. *Peculiaris vester Ætherius peccator salutare presumo . Cliens vester Mesychius reverenter audeo salutare . Amator vester Syagrius reverenter saluto . Cultor vester Urbicius peccator famulanter saluto . Venerator vester Veranus Episcopus reverenter saluto . Famulus vester Felix salutare præsumo . Humilis vester , atque amator Felix audeo salutare . Humilis atque obediens vester Bertheramnus Episcopus salutare præsumo .* Ætherius porro Lugdunensis Episcopus erat, ad quem extat S. Gregorii epistola , Esychius Gratianopolitanus , Syagrius Augustodunensis , Urbicus Regiensis in Gallia Narbonensi, Veranius Gabelicensis, Felix Belicensis , Betheramnus vero Cenomanensis, de quo mentio sit a Gregorio Turon .

Subscriptiones Episc.

Grodieldis per Sicarios nocte monasterium invadit .

22. At quid furiis agitata Mulier addiderit, pejora prioribus , ex eodem Gregorio audi : *Cum autem scandalum quod serente diabolo in monasterio Pictaviensi ortum , in ampliorem quotidie iniquitatem consurgeret , & Crodieldis aggregatis sibi (ut supra diximus) homicidis, maleficis , adulteris , fugitivis ; & reliquorum criminum reis , in seditione parata resideret ; jussit eis , ut irruentes nocte in monasterium , Abbatissam foras extraherent .* At illa tumultum sentiens venientium, ad sanctæ Crucis arcam se deportari poposcit : gravabatur enim humore doloris podacrici. Sed ubi ingressi sunt viri scelerati ab Grodielde immissi, cereo accenso, cum armis huc illucque vagantes per Monasterium inquirentes Abbatissam , introeuntes in Oratorium , repererunt jacentem super humum ante arcam sanctæ Crucis . Tunc unus accerbior ceteris , qui ad hoc scelus patrandum ingressus fuerat ut Abbatissam gladio divideret , ab alio (ut credo , divina providentia cooperante) cultro percutitur : profluente vero sanguine, solo decubans, votum , quod levi conceperat animo non explevit . Interea Justina Præposita cum aliis sororibus , palla Altaris, quod erat ante Crucem Dominicam , extincto cæreo , Abbatissam cooperit . Sed venientes cum evaginatis gladiis & lanceis sicarii , sanctimonialium manibus laniatis, apprehensam Præpositam pro Abbatissa, quia tenebræ erant , excussis linteaminibus tenuerunt, ac soluta cæsarie rapientes usque ad Basilicam sancti Hilarii inter manus deferunt custo-

custodiæ mancipandam: appropinquantesque Basilicæ, cœlo modicum albescente, uti cognoverunt non esse Abbatissam, mox ad monasterium redire puellam præcipiunt: revertentesque Abbatissam apprehendunt, extrahunt, & in custodiam juxta Sancti Hilarii Basilicam, in loco ubi Basina metatum habebat, retrudunt, positis ad ostium custodibus, ne quis ullum captivæ præberet auxilium. Exinde nocte subobscura aggressi monasterium, cum nullo fulgore accensi luminis potirentur, extracta e promptuario cuppa, quæ olim pice linita sicca remanserat, ignem injiciunt. Unde incendium ingens secutum est; ac cunctam monasterii supellectilem rapuerunt, hoc tantum quod ferre non poterant, relinquentes. Hæc autem gesta sunt ante septem dies Paschæ. Cumque Episcopus Pictaviensis Moroveus hæc omnia graviter ferret, nec valeret seditionem diabolicam mitigare, misit ad Chrodieldem dicens: Relinque Abbatissam liberam, ne his diebus in carcere retineatur: alioqui non celebrabo Pascha Domini, neque Baptismum in hac urbe ullus cathecumenus obtinebit. His addidit Pictaviensis Episcopus, quod si obstinata perseverasset Abbatissam in vinculis detinere, se eam, collectis in unum ejusdem urbis incolis violenter abstracturum. His verbis acceptis statim Chrodieldis percussores deputavit, dicens. Si eam violenter quis auferre tentaverit, statim eam gladio percutite. Adfuit autem diebus illis Flavianus nuper Domesticus ordinatus; cujus ope Abbatissa e S. Hilarii Basilica dimissa est. Inter hæc ad sepulcrum sanctæ Radegundis homicidia perpetrantur, & ante ipsam beatæ Crucis arcam, quidam per seditionem truncati sunt. Cumque superveniente die, per Chrodieldis superbiam scelera augerentur, & assiduæ cœdes, & reliquæ plagæ, quas supra memoravimus, a seditiosis perpetrarentur, atque ita jactantia tumuisset Chrodieldis, ut consobrinam suam Basinam despiceret; illa pœnitentiam agere cæpit, dicens: Erravi sequendo Chrodieldis jactantiam; & ecce despectui habeor ab eadem, & Abbatissæ meæ contumax evasi. Et conversa humiliavit se coram Abbatissa, expetens humiliter pacem ejus, fuerutque imposterum uno animo, eademque voluntate. Postea vero multæ inter has feminas inimicitiæ ortæ sunt. *Quis igitur tantas plagas, tantasque*

In ecclesia cædes committuntur.

JESU CHR. AN. 590. *tasque strages, vel tanta mala verbis poterit explicare, ubi vix præteriit dies sine homicidio, hora sine jurgio, vel momentum aliquod sine fletu?* Immane ac novum plane bellum hoc invexit Diabolus ad vexandam Ecclesiam, quo jugiter Santi vexarentur Episcopi, ut nobiles, sed factiosas, moniales in officio continerent.

Synodus Pictaviensis indicitur. Tom. 5. concil. p. 1593.

23. Sed Tragediæ hujus reliqna prosequimur, duce eodem Gregorio Turonensi. *Hæc autem Childebertus Rex audiens, legationem ad Guntheramnum Regem direxit, ut scilicet Episcopi conjuncti de utroque regno, hæc quæ gerebantur sanctione canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus Rex mediocritatis nostræ personam cum Ebregisilo Agripinensi, & ipso urbis Pictavæ Moroveo Episcopo jussit adesse. Guntheramnus vero Rex Gundegisilum Burdegalensem cum provincialibus suis, eo quod ipse Metropolitanus huic urbi esset. Sed nos resultare cæpimus, dicentes, quod non accederemus ad hunc locum, nisi sæva seditio, quæ per Chrodieldem surrexit, Judicis districtione prematur.* Pro hac causa Macconi tunc temporis Comiti prolata præceptio est, in qna jubebatur, ut hanc seditionem, si resisterent, vi opprimeret. Hæc audiens Chrodieldis, sicarios suos cum armis ante ostium Oratorii adstare jubet: ut scilicet repugnantes contra Judicem, si vim vellet inferre, pariter resisterent. Unde necessarium fuit huic Comiti illuc cum armis progredi, & quosdam cæsos vectibus, nonnullos telis transfixos, & acrius resistentes gladiorum ictibus affectos opprimere. Quod cum Chrodieldis cerneret, accepta Cruce Dominica, cujus prius virtutem despexerat, ei obviam egreditur, dicens: Nolite super me, quæso, vim inferre, quæ sum Regina, filia Regis, Regisque alterius consobrina: nolite facere, ne quando veniat tempus, ut ulciscar ex vobis. Sed vulgus parvipendens, quæ ab ea dicebantur, irruens ejusdem satellites vinctos e monasterio extraxerunt, ac ad stipites percusserunt, eorumque alios gravissime cæsarie, alios manibus, nonnullos auribus, naribusque mulctarunt; sicque seditio pressa quievit. Tunc residentibus sacerdotibus &c.

Synodalis epistola ad Francorum Reges.

24. Pergit enim dicere de judicio hac in synodo habito de Abbatissa, deque calumniis adversus eam a Chrodielde compositis, de quibus iidem Episcopi ad Francorum Regem

Reges hæc scripserunt. *Dominis gloriosissimis Regibus, Episcopi qui adfuerunt &c.. Quia ex jussione potestatis vestræ cum ad Pictavam Civitatem pro conditionibus monasterii sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter Abbatissam hujus monasterii, & monachas, quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus, agnoscere deberemus; evocatis Patribus, interrogata Cradieldis, & Basina, quare tam audacter contra suam regulam foribus monasterii confractis discesserant, & hac occasione congregatio adunata discessit? Quæ respondentes, professæ sunt, famis, nuditatis, insuper & cædis se jam non ferre periculum. Adiicentes etiam, eo quod diversæ earum in balneo lavarentur incongrue; ad tabulam ipsa luserit, atque seculares cum Abbatissa reficerent: etiam sponsalia in monasterio facta sint: de palla hollosérica, vestimenta neptis suæ temeraria fecerit, foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconsulte sustulerit, & ad collum neptis suæ facinorose suspenderit; vittam de auro exornatam eidem nepti suæ superflue fecerit: barbatorias intus eo quod celebraverit.* Hactenus accusationes, quas diluit Abbatissa: pergunt enim, quæ sunt subsecuta, Patres: *Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet? dixit: De fame quod conquerunt, secundum quod temporis penuriam permitteret, nunquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento vero dixit. Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere, quam necessitas indigeret. De Balneo vero quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadragesimæ, & pro calcis amaritudine, ne lavantibus noceret novitas ipsius fabricæ, jussisse domnam Radegundem, ut servientes monasterii publice, hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet: quod per Quadragesimam usque ad Pentecostem in usu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit: Et postea similiter multi per tempora laverunt. Retulit Abbatissa, se nec probare quod dicerent, & se nescire an factum sit. Sed adhuc inculpans easdem, quod si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent? De tabula vero respondit: Et si lusisset vivente domna Radegunde, se minus culpa respiceret: tamen nec in regula per scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit: sed ad jussionem Episcoporum repromisit, cervice se inflexa, per pœnitentiam, quidquid jubere-*

JESU CHR. AN. 590. *beretur*, *implere*. Hic advertas, Lector, secundum illud
I. Cor. 10. Apostoli. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*. Etenim Appolonius
apud Euseb. l. 5. c. 17. antiquus Teologus probro objicit Priscillæ Montani, quod tabulis luderet; ait enim? *Propheta ne tabulis, & tesseris ludit*? Sed pergunt, de excusatione ejus ad alias accusationes hæc dicere: *De conviviis etiam ait, se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum esset sub Domna Radegunde, se Christianis fidelibus eulogias obtulisse; nec sibi comprobari cum illis ullatenus convivasse. De sponsalibus quoque ait: Coram Pontifice, clero, vel senioribus pro nepte sua orphanula arrhas accepisse: & tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est; tamen nec tunc convivium in monasterium fecerit. De palla quod reputarent, protulit monacham nobilem, quæ ei mafortem holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, & inde partem abscidisset, unde quod vellet, & faceret: de reliquo vero quantum opportunum fuit ad ornatum altaris pallam condigne condiderit; & de illa scissura, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit; quæ per omnia donatrix Didimia confirmavit.*

De Maforte Olosferico. *Cassianus l. 1. cap. 7. de habitu monachi.*

25. De *Maforte Holoserico* de quo fit sermo; operimentum capitis maxime fœminarum esse ait Ducangius in Glossario ex Papia, Isidoro, & aliis, ac etiam pro monastico scapulari sumitur, nam Mafortes monachis tribuit Cassianus: his addunt Patres concilii Pictaviensis. De foliolis aureis, & vitta auro exornata, Macconem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eo quod per manum ejus a sponso puellæ prædictæ neptis suæ, viginti solidos accepit, unde hoc publice fecerit, nec de re monasterii quidquam ibi permixtum sit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ (quod absit) adulterii reputarent, sive quid homicidii, vel maleficii fecerit, aut crimen capitale, quo percuteretur, edicerent: respondentes protulerunt, non habere se aliquid, nisi per hæc, quæ dixerant, eam ista fecisse contra regulam proclamantes. Abbatissæ itaque causa discussa, ad Chrodildis crimina examinanda se se Episcopi converterunt; quod scilicet mona-

sterii

sterii claustris disruptis, seditiosis feminis licuisset, quod vellent, per tot menses impune committere, quibus per ordinem discussis, nec invento crimine quod Abbatissam dedeceret, de levioribus causis paterna commonitione contestati sumus, ne hæc deinceps aliaque pro reprehensione digne repeteret. Dehinc nobis percunctantibus causam adversæ partis; quæ majora crimina commiserat, idest, quæ prædicationem sui sacerdotis intra monasterium, ne foras procederent, despexerat, quod Pontifice conculcato, & in summo contemptu monasterio relicto, confractis seris, & januis apertis discesserat; earumque exemplo ad idem peccatum aliæ pertractæ fuerant. Insuper quod Gundegisillus Pontifex cum suis provincialibus, pro ipsa causa commonitus per præceptionem Regum Pictavos accessisset, & ad audientiam eas ad monasterium convocasset; despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad Beati Hilarii confessoris Basilicam, ubi ipse commorabatur, accedentes, ut condecet Pastorum solicitudinem, dum commonerentur, facta seditione fustibus, tam Pontifices, quam ministros affecerant, & intra basilicam fuderunt sanguinem Levitarum. Dehinc ex jussione Domnorum Principum, cum vir venerabilis Theutarius præsbiter in eadem causa directus fuerit, & statutum fuisset quando judicium fieret: non expectato tempore, monasterium seditiosissime, igne accenso, conturbarunt, ita ut intra monasterii septa vulneratis plurimis in ipsis oratoriis, spoliato monasterio, denudata, & disciffa capillis Abbatissa, graviter etiam vulnerata, atque ducta, & tracta per compita, & in locum tamquam in carcerem retrusa. His itaque aliisque facinoribus gravioribus etiam perpetratis, cum a nobis præciperetur, non solum tam justa monita spreverunt, sed etiam ut Abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod male gestum fuerat, emendarent; de ejus interfectione tractarunt, quod publice sunt professæ: Quare reseratis a nobis, & recensitis canonibus, visum est æquissimum, eas, usquequo dignam agerent pœnitentiam, a communione privari, & Abbatissam loco suo permansuram restitui. Unde hæc addunt: *Hæc nos pro vestra jussione, quod ad Ecclesiasticum pertinuit ordinem, circumscriptis canonibus absque personarum aliqua acceptione, suggerimus peregisse. De cetero quod de rebus monasterii, vel*

Jesu Chr. an. 590.

 instru-

JESU CHR. AN. 590. *instrumentis chartarum domnorum Regum parentum vestrorum de loco subreptum est, quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes, nullatenus erunt voluntarie redditura, qualiter vestra, vel anteriornm Principum merces æterna permaneat, ad loci instaurationem vestræ pietatis atque potestatis est, auctoritate regia cogere reformari: neque ipsas ad locum quem tam impie, & profanissime desluxerunt, ne pejora proveniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare, quatenus his in integrum, præstante Domino, restitutis, sub Catholicis Regibus totum acquiratur Deo, nihil perdat religio: ut status conservatus tam Patrum, quam canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Christus vos Dominus alat, regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam.* Hucusque epistola ad Reges Francorum, hicque finis synodi Pictaviensis ea de causa convocatæ. Quibus tamen superbæ mulieres non aquievere. Unde hoc eodem anno in Metensi Concilio, quod mense Novembri celebratum est, Basina a Chrodielde sejuncta, coram Episcopis solo prostrata veniam tandem petiit, ac se in monasterium reverti paratam esse dixit. Chrodieldis vero redire in monasterium abnuit, dum Leudovera viveret. Ambabus tamen Childebertus a Synodo veniam impetravit. *Et istæ in communionem receptæ Pictavo regredi jussæ sunt, scilicet ut Basina in monasterium regrederetur; Chrodieldis vero in Villa, quæ quondam Vaddonis fuerat sibi a Rege concessa resideret.*

De synodo Metensi. *Tom. 5. concil. pag.*

26. De Metensi itaque concilio nonnulla subdimus, cui occasionem præbuit Ægidius Rhemensis Episcopus, cujus historia summatim referenda est, partim ut majori notitia syuodi instruamur, partim ut judicia Dei magis clarescant, qui feras sæpe quidem, certas tamen sontibus pœnas imponit. Ægidius itaque Aulicam potius, quam episcopalem vitam agens; politicis, & secularibus negotiis, se inmiscebat contra prœceptum Apostoli. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Non deerant tamen homini ingenii dotes, quas Venantius celebravit.

2. ad Timot 2. Venant. Fort. lib. 3. c. 20.

Clarior effulget quam Lucifer ore sereno,
Ille suis radiis, tu pietate nites,
Nihil lupus insidiis cauto subducit ovili,
Te Pastore sacro pervigilante gregem,

Fa-

Facundo eloquio cælestia dogmata fundis;
Ecclesiæ crevit te monitore domus &c.

Eum vero Childebertum, & Chilpericum ad bellum Gunthramno Regi inferrendum excitasse fama vulgaverat; quam ob causam nepoti suo reconciliatus Guntheramnus id consilii dederat, *ut Ægidium Episcopum, qui ei semper inimicus extiterat, nullo modo aut crederet, aut haberet, quia ipsi Patri suo sæpius pejerasset*. Insuper conjurationis, quam Rauchingus in Childebertum excitaverat participem fuisse addidit: *Nec mora, rapitur Episcopus, & ad Metensem urbem, cum esset valde ab ægrotatione longinqua defessus adducitur*. At Episcopi, ecclesiæ jura violata fuisse apud Regem conquesti sunt, eo quod Episcopum, nullius adhuc criminis convictum, sua sede abreptum, vinculis mancipasset, eaque de causa Metis adesse recusarunt. Quare Childebertus, ut errorem emendaret, Ægidio, ut Rhemos rediret, permisit. Interea litteras ad Episcopos Regni sui misit, eosdem admonens, ut medio mense nono, idest Novembri, Metis adessent, ubi cum Episcopi congregati essent, ab Ennodio Duce accusatus Ægidius, quod chartas falso titulo inscripsisset, ac Childeberto Regi insidias struxisset, interrogatus num crimina diluere posset, sponte confessus est, dicens. *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen Majestatis reum esse mortis, qui semper contra utilitatem hujus Regis, matrisque ejus abii, ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina novi, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt*. Quare Ægidius dignitate sua exutus, Argentorati relegatus est, ac in ejus locum Romulfus Rhemorum Episcopus ordinatus est, Ægidium tamen quasi celeste sidus, poetica licentia Venantius his versibus celebrat.

Greg. Turon. lib. 7. c. 26.

Venant. Fort. lib. 3. c. 20.

Actibus Egregiis venerabile culmen Egidii,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Substrator ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in vostris prodere pauca favens:
Namque reus videor tantis existere causis,
Si solus taceam, quidquid ubique sonat.

Jesu Chr. an. 590.

Synodus Antissiodorensis.

tom. 5. concil.

27. De synodo, ad alteram synodum transimus, scilicet Antisiodorensem, quam Aunacharius Antisiodorensis Episcopus cum Abbatibus, & presbyteris suæ diæcesis celebravit. Hujus concilii epocha incerta est, cum preter nomen Episcopi nulla temporis nota occurrat. Cumque Aunacharius pluribus annis Antisiodorensi ecclesiæ præfuerit; hinc factum est, ut alii eam synodum citius, alii tardius collocaverint Æditores conciliorum, Sirmondus in notis anno 588. Cointhius vero cum Basnagio anno 586. Baronius, & Pagius cum labenti anno alligarunt. De eadem agens Dupinius ait, Synodus hæc fuit Abbatum, & presbyterorum Turonensium habita anno 578. per Aunacharium Turonensem Episcopum. Aliud profecto agebat vir clarissimus, dum Aunacharium Episcopum dicit Turonensem, quem nemo dubitat fuisse Antissiodorensem. In ea canones quadraginta quinque conditi sunt, quorum primo decernitur: *Non licet Kalendis Januarii vetula, aut cervicula facere, vel strenas diabolicas observare*, ubi *vetula* pro *vitula* scribitur, ut apud S. Audoenum in vita S. Ælígii. *Nullus in Kalendis Januarii nefanda, & ridiculosa vitulas, aut cervulos faciat*. Invehitur Synodus in eos, qui Ethnicorum more Kalendis Januarii assumpta, vel vitulæ, vel cervi effigie, huc & illuc cursitare solebant. Secundo omnes presbyteri ante Epiphaniam missos dirigant suos, qui initium quadragesimæ referant, eadem die declarandum. Tertius: *Non licet compensos in domibus propriis, nec pervigilias in Festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes, aut ad arbores Sacrivos, vel ad fontes exsolvere*. Sentes termini erant, quos ethnica superstitio in Deos referebat. Florus in Tarquinio superbo, Templum coruscante. *Cedentibus ceteris Deis miras res dicta restitere Juventus, & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum*. Sacrivi vero numinibus dicatas arbores significant de quibus auctores frequenter meminere. Statius lib. Theb.

Dupin. secul. 6. pag. 509.

Antissiodorensis synodi canones.

Florus lib. 1. cap. 7.

At arbore Casta.
Nect panturpureas niveo discrimine Vittas.

Arnobius adversus gentes lib. 1. part. 2. *Venerabar? o cæcitas picturatas veternosas in arboribus tænias, si quando conspexeram*. Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

Et

Et quæ fumifigas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultricii ſucciſa bipenni.

Ceterum ſi vigilias Gentilium more frequentare prohibebat hic canon, in eccleſiis chriſtiano more celebrare jubebat; his verbis: *Sed quicumque votum habuerit in eccleſia vigilet*. 4. *Non licet ad Sortilegos, vel ad auguria reſpicere, non ad Caragios, ne ad ſortes, quas Sanctorum vocant*. Caragii Magi ſunt, qui multa, quæ implere non poſſunt pollicentur. Eo pertinent verba Eligii apud Audoenum. Non Carragios, non Divinos, non Sortiligos interrogare præſumatis; & Narbonenſis ſynodi can. 14.: *Si qui viri, aut mulieres, divinatores quos dicunt eſſe Caragios, atque Sorticularios, in cujuſcumque domo fuerint inventi*. Ab eccleſiæ communione ſuſpendatur. 5. Pervigilæ privatæ, quæ in honorem Beati Martini obſervabantur omnino prohibentur. 6. Media quadrageſima presbyteri Chriſma petant, ſi morbo impediantur, Archidiaconum mittant cum Chriſmario, & linteo, ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent. 7. Medio Majo omnes presbyteri ad ſynodum veniant, & Kal. Novemb. ad concilium Abbates ſe conferant. 8. Non muſtum, ſed vinum dumtaxat aqua mixtum in Sacrificio offeratur. 9. Chori ſecularium puellarum cantica, & convivia in eccleſiis prohibentur. 10. Duæ miſſæ una die, in uno altari non celebrentur. 11. In vigilia Paſchæ ante ſecundam noctis horam vigiliæ non finiantur. *In illa nocte non licet poſt mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolemnitatibus*. 12. *Non licet mortuis, nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involvere*. 13. Non licet Diacono velo, vel palla ſcapulas ſuas involvere. 14. Non licet mortuum ſuper mortuum mittere. 16. Non licet die Dominico boves jungere, vel alia opera exercere, niſi pro cauſis conſtitutis. 17. Eorum qui ſibi mortem conſciſcunt oblatio non recipiatur. 18. Baptiſmus extra Paſcha non conferatur niſi morituris, quicumque presbyter extra noſtrum permiſſum id fecerit, tribus menſibus a communione eccleſiæ arceatur. 19. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono poſt acceptum cibum, vel poculum miſſas tractare, aut in eccleſia dum miſſæ dicuntur ſtare. 20. Presbyter, Diaconus,

aut

JESU CHR. AN. 590. aut Subbiaconus post acceptam benedictionem (scilicet post ordinationem) si infantes procreaverint, aut adulterium perpetraverit, deponatur. Archipresbyter, qui Episcopo id non indicaverit, integro anno non communicet. 21. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi conjugati ab uxoribus abstineant. 22. Non licet relictæ presbyteri, Diaconi, vel Suddiaconi post ejus mortem alteri nubere. 23. Si monachus in monastorio adulterium commiserit, aut peculium habere præsumpserit, furtumque fecerit, & hoc Abbas per se non emendaverit, aut Episcopo, vel Archidiacono non innotuerit ad pœnitentiam agendam in alio monasterio retrudatur. 24. Abbas, vel monachus nuptiis non intersit. 25. Abbati, vel monacho non licet filios de baptismo habere. 26. Abbas, qui mulierem in monasterium ingredi permiserit, *tribus mensibus in alio monasterio retrudatur pane & aqua contentus*. 27. Novercam ducere non licet. 28. Uxoris filiam nullus in conjugem accipiat. 29. Nemo matrimonium contrahat cum relicta a Fratre. 30. Sororum alteram altera defuncta ducere non licet. 31. Non licet consobrinam sibi matrimonio conjungere. 32. Non licet Nepoti avunculi uxorem ducere. 33. Clericis non licet ad Trepalium, *ubi rei torquentur stare*. 34. Presbyter judicio capitis non intersit. 35. Clericus clericum ad judicem secularem non trahat. 36. Mulier nuda manu, Eucharistiam non accipiat. 37. Nec mulier pallas Dominicas contrectet. 38. Nemo cum excommunicato communicet, aut cibum sumat. 39. Qui cum excommunicato communicat, simili sententiæ subjaceat. 40. Non licet presbytero inter epulas cantare, vel saltare. 41. Non licet Presbytero, aut Diacono aliquem per se accusare. Si causam habeat, seculari vices suas committat. 42. *Mulier quando communicat Dominicalem suum habeat, quod si quæ non habuerit, usque ad aliam diem Dominicum non communicet*. Quid rei sit Dominicale, controversia est inter eruditos. Placuit Baronio, cui complures subscribunt, Dominicale esse linteolum nitidum, quo fœminæ Eucharistiam accipiebant, de quo in sermone 252. de tempore, apud Augustinum dicitur: *Omnes viri quando communicare desiderant lavant manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina ubi Christi corpus accipiant . . . . Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum, & cor mundum*

Quid sit Dominicale.

dum exhibeant. Verum Baluzius in suis ad Gratianum notis causa 33. quest. 5. capite *mulier*, in veteri Codice hæc haberi ait: *Si mulier communicans Dominicale suum super caput, non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet*. Dominicale itaque velum potius significat, quod mulieres ad sacram mensam accedentes suo capiti imponere jubebantur. Jam enim canone 36. cautum erat ne mulieres nuda manu communionem acciperent; Baluzii sententiam laudat Card. Bona (vide epist. Card. Bonæ 260. 264. 287. ubi de Dominicali Baluzii explicationi subscribit). 43. Judex qui in clericum, absque Episcopi voluntate animadverterit, a christianorum consortio rejiciatur. 44. Laicus qui monentem Archipresbyterum spreverit, a limine ecclesiæ pellatur, & insuper mulctam, quam Rex instituit sustineat. 45. Qui Synodalia hæc decreta contempserit, anno a christianorum consortio habeatur alienus. Hactenus canones concilii Antissiodorensis ad ecclesiastica disciplinam in clero, & in populo promovendam, quibus subscripsere Aunacharius Episcopus, Abbates septem, Presbyteri 34. Diaconi tres nomine presbyterorum, quorum vicem gerebant.

JESU CHR. AN. 590.

De die Paschatis quæstio in Galliis agitatur.

28. De die Paschalis, hoc anno in Galliis dissidium fuit. Alii enim Dominicam Resurrectionem celebrarunt septimo Kal. Aprilis, die nempe 26. Martii, luna decimaquinta, alii die secunda mensis Aprilis luna 22. Priores juxta Ciclos Alexandrinos; Posteriores, quorum sententiam amplexus est Gregorius Turonensis cum suis clericis, juxta Ciclos Victorianos. Diu hæc agitata fuit quæstio, utrum in plenilunio, idest luna decimaquinta Pascha a Christianis rite celebrari posset (cum ea die Judei Pascha faceret). Hanc de die Paschatis quæstionem anno 594. in Galliis agitatam fuisse Baronius cum Calvisio scribit. At hoc anno contigisse nos docet annus 15. Childeperti Regis, ut a Pagio, Basnagio adnotatum est, de quibus plura apud Bucherium lib. de doct. temporum cap. 10. videri possunt.

Concilium Hispalense.

29. Hoc eodem anno concilium Hispalense primum celebratum est. Episcopi enim in epistola ad Pegasium Episcopum scribunt, se eidem subscripsisse die prima nonarum Novembrium, anno quinto Regni gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis. Era 628. Regnum injerat Reccaredus mense Aprili, aut Maij initio anni 586., ideoque mense Novem-

JESU CHR. AN. 590. vembri hujus anni quintus Reccaredi erat; Provincialis hæc synodus fuit, cui interfuerunt Episcopi octo, Leandro Hispalensi Præside. In ea tres canones conditi sunt, quos ad Pegasium Astigitanum Episcopum direxerunt in epistola ad ipsum data. Primo libertatem, quam servis ecclesiæ dederat Gaudentius Episcopus Astigitanus, Pegasii antecessor, irritam reddunt, nisi aliter indemnitati ecclesiæ ex ejus peculio consulatur. 2. Repetendos esse servos legatus suis consanguineis ab eodem Episcopo, si de bonis defuncti ecclesia compensari nequeat. 3. Canone cautum est, ut Clerici consortia extranearum mulierum vitent, data judicibus secularibus facultate, easdem a Clericorum consortio divellere, ut eas vel vendant, vel servituti mancipent, dato tamen sacramento se eas Clericis, numquam restituturos. Sic Reccaredi pietate ecclesiæ disciplina florebat. Optimi tamen Principis pietas, & religio perduelles movit. Nefarii enim homines adversus ejus Regnum, & vitam conspirarunt: at favente numine, detectis eorum insidiis pœnas dederunt, idque hoc anno 8. Mauritii Imp., qui est Reccaredi quartus contigisse refert Joannes Abbas Blicariensis in chronico ad hunc annum: *Reccaredo ergo orthodoxo quieta pace regnanti, domesticæ insidiæ prætenduntur. Nam quidam ex cubiculo ejus etiam Provinciæ Dux nomine Argimundus adversus Reccaredum Regem tyrannidem sumere cupiens, ita ut si posset, eum regno privaret, & vita; sed nefandi ejus consilii machinatione comprehensus, & in vinculis ferreis redactus. Habita discussione, socii ejus impiam machinationem confessi, condigna sunt ultione interfecti. Ipse autem Argimundus, qui regnum assumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, post hæc dextera amputata, exemplum omnibus in Toletana urbe asino sedens pompizando dedit, famulos Dominis non esse superbos.*

De Joanne Blicariensi ejusque gestis, & chronico.

32. His autem verbis chronicum suum absolvit Blicariensis, qui cum natione Gothus esset, ac catholicam fidem profiteretur, in exilium a Leovigildo Rege Ariano Barcinonam missus, ab Arianis longam sustinuit persecutionem, Gerundensis postea Episcopus, Monasterium Blicariense ædificavit, ut narrat Isidorus libro de viris illustribus cap, 44: Ejus chronicon incipit ab anno primo, Justini Junioris, & definit anno 8. Mauritii Imp., & Reccaredi Regis quarti annos 24. complectens, quibus tamen aliqua adhuc addidit, ut

ut Chosrois ad Romanos fuga, de quibus infra.

33. Magnum interea bellum hoc tempore excitatum est, quo tota fere exarsit Italia; superiori anno fœdus cum Francis inierat Mauritius Imperator, ut Longobardos Italia exturbaret, quamplurimæ adhuc epistolæ supersunt a Childeberto scriptæ ad Mauritium Imp., & ad alios in aula Imp. degentes, & Brunechildis ad Constantinam Augustam, quibus hæc illustrantur, ut videre est apud Muratorium hoc anno, nos summatim ea narramus. Childebertus itaque inito fœdere cum Mauritio, exercitum adversus Longobardos immisit, verum infausta fuere hujus expeditionis initia. Præfecti enim militum, prædonum more bellum agentes, per Rethias, & Tridentinas alpes eorum pars, Odoaldo Duce ingressa, Mediolanum usque pervenit. Chedinus vero alter Francorum Dux, qui lævam Italiæ partem ingressus fuerat, castellis pluribus dirutis & incensis, Veronam usque progreditur, ac contra fidem datam, Insubrorum plurimos captivos duxit; Autharit vero Longobardorum Rex Ticino inclusus, Longobardisque loca munita tutantibns, cunctando Francos absque pugna vicit. Nam advenientibus æstivis caloribus, disenteria, aliisque morbis Galli afflicti sunt; ac paulo post, fame, & morbo attriti, ad sua rediere, cum nihil præter excursiones, cœdes, & incendia patrassent; ut eodem loco narrat Turonensis. Sed cum metueret Autharit, ne Italiam denuo repeterent, legationem ad Gunthramum, & Childebertum misit, pacem ab iis petens, quam certe firmasset, nisi morte præventus fuisset; nam dum hæc agerentur, adveniunt alii oratores nunciantes Longobardorum Principis mortem, ait Turonensis.

De bello per Francos in Italiam gesto

apud Ducanges tom. 1. scriptorum Rerum Francorum.

34. Veneno apud Ticinum nonas Septembris Autharis extinctus est; *postquam sex regnaverat annos*, ait Paulus Diaconus lib. 3. cap. 36. Arianæ perfidiæ, usque adeo addictus fuit, ut hoc anno prohibuerit, in solemnitate Paschali, ne Longobardi Orthodoxorum baptismate tingerentur, quam legem iniquitatis merito accusat Gregorius Papa, & ultorem Deum in suum caput provocasse adnotat in epistola ad universos Italiæ Episcopos his verbis. *Quoniam Nefandissimus Autharit in hac, quæ nuper expleta est Paschali solemnitate, Longobardorum filios in fide Catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum divina Majestas extinxit, ut solemnita*

Autharis Longobardorum Regis mors.

Jesu Chr. an. 590. *nitatem Paschalem ulterius non videret; vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini Omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete; quanta virtute valetis, eos ad fidem rectam suadendo rapite; æternam eis vitam sine cessatione prædicate: ut cum ad districti veneritis conspectum judicis, possitis ex vestra sollicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris.* Hæc Gregorius: quibus etiam indicatur, pestem illam, inguinariam in Urbe primum grassantem, alia etiam Italiæ loca invasisse.

Theodolinda Regina Longobardorum Agilulfum Taurini Ducem ad thalamum, & Regnum vocat.

35. Post Autharit mortem Longobardorum Duces, missa ad Childepertum Francorum Regem legatione, pacem cum eo firmarunt. Eodemque tempore Theodolinda Autharit vidua, Agilulfum Taurinatium Ducem sibi in maritum, ac Longobardis Regem elegit. Celebrantur nuptiæ: *Incboante jam mense Novembri*, & postea Agilulfus mense Majo ab omnibus in Regnum, apud Mediolanum levatus est, ait Paulus Diac. lib. 3. in fine.

Persæ Martiropolim occupant.

36. De gestis autem in Oriente, ac de bello Persico narrat Evagrius: *Sequenti æstate* (idest hoc anno) *cum exercitus Romanorum in unum collectus esset, & Persæ expeditionem suscepissent adversus Romanos, circa Martyropolim gravis commissa est pugna. In qua Filippicus superior fuit, multique Persæ, & inter hos Princeps quidam fortissimus (Marusas nomine) in prælio ceciderunt. Persarum tamen multitudo non contemnenda Martyropolim ingressa est, id quod maxime illis studio fuerat. Exinde Romani ab obsidione quidem urbis abstinendum sibi esse censuerunt, Neque enim fieri posse, ut eam vi expugnarent, & hæc quidem æstivo tempore facta sunt a Romanis; hyeme vero dimissus est exercitus.*

ex Miscellæ lib. 17.

Theodosius a Patre Imperatoris insignia, obtinet.

37. In urbe vero Regia Mauritius filio suo Theodosio summos honores, cum Imperii insignibus tribuit, ut narrat auctor chronici Alexandrini: *Indictione octava Feriis Paschalibus, Mauritius Tiberius inauguravit Theodosium Filium suum Imperatorem, sed non in societatem administrationis, nec aliud, quod sub isto gestum, quod in cognitionem Imperatoris esset, sed tantum coronatus est.*

J E-

JESU CHRISTI an. 591. Gregorii Papæ 2. Mauricii Imp. 10. Agilulphi Long. Regis 2.

S. Gregorii charitas erga pauperes.

1. Christi Redemptoris annum quingentesimum nonagesimum primum auspicamur, quo ex quamplurimis S. Gregori gestis, præstantiora tantum annalibus inseremus, ne in immensum excurrant. In primis vero admirari libet tanti Pontificis charitatis officia, quibus, dum universalis ecclesiæ onera sustinebat, privatis etiam personis adjuvandis præsens ubique erat, ut egentes inopia levaret, mœrentes consolaretur, dissidentes componeret, *factus omnia omnibus*. Testes sunt ejus epistolæ, inter eas ad Anthemium subdiaconum in Campania hoc anno mense Februario scribens jussit, ut ancillis Dei Nolæ degentibus, ac egestate oppressis, ac Presbytero monasterii S. Erasmi, ac duobus monachis in oratorio S. Archangeli servientibus eleemosynam erogaret. Hac de causa Anthemium subdiaconum in Siciliam pergentem, ut Romanæ ecclesiæ patrimonium administraret, inter cetera admonuit, ut pauperum curam gereret, eorumque catalogum Romam mitteret, cujus jussa cum negligentius Anthemius gessisset, his eum verbis excitavit: *Discedenti tibi mandavimus, & postmodum præceptis discurrentibus injunxisse meminimus, ut curam pauperum gereres; & quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, & vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem, domnæ Paterichiæ meæ, mox ut præsentem jussionem susceperis, offeras ad calciarum puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos: domnæ Palatinæ relictæ Urbici solidos viginti, & tritici modios trecentos. Qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur*. Eidem vero Palatinæ illustri feminæ, aliis litteris ad eumdem datis hoc anno, solidos triginta annuos dari jussit. Pastori autem oculis infirmo annuos modios vigintitres, & Fabæ undecim, Petro subdiacono scribens, ut darentur, jussit, atque hæc satis sint ad exemplum adducta, ex quibus reliqua disces, quæ in aliis Provinciis, potissimum vero in urbe idem Gregorius erga pauperes ageret, innumeræ quippe sunt ejusdem epistolæ hac de causa scriptæ, quas brevitatis studio præterimus.

Greg. lib. 1. epist. 24.

 2. Cum

JESU CHR. AN. 591. S. Gregorii Synodica epistola.

2. Cum quintum vix mensem in Pontificatu egisset Gregorius, post datum initio Pontificatus fidei symbolum, de quo superiori egimus anno, Synodicas epistolas ad singulos Patriarchas misit: *Hinc*, ajebat, *est ut quoties in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se Sanctam Chalcedonensem synodum, cum aliis generalibus synodis custodire fateantur*. In ea Sanctus Pontifex, quales esse deceat ecclesiæ Pastores, qualis recta pascendi gregis forma docuit; deinde se catholicæ fidei custodem, ac vindicem esse admonet: *Sub qua fide*, scilicet, *vivendum est secundum statuta Patrum*, ut ajebat Gelasius Papa, ac fidei professionem, iisdem litteris inseruit. Fpistolæ autem hic est titulus, *Gregorius Joanni Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino; Gregorio Antiocheno, Joanni Hierosolymitano, & Anastasio Ex-Patriarchæ Antiocheno a paribus*. Cur autem hic nominari contingat duos Patriarchas Antiochenos, Gregorium, scilicet, & Anastasium, id factum est, quia duo erant Patriarchæ Antiocheni, nam Anastasio ex ea sede pulso, Gregorius fuerat subrogatus, quia vero injuria magis, quam jure id factum fuerat, & Anastasius præcipue, pietatis, & doctrinæ laude, inter Orientales fulgebat, noluit S. Pontifex pro exauctorato eum habere, & ad eum, sicut ad ceteros Patriarchas synodicam misit. Quia vero successorem in sede habuerat Gregorium, ad eum quoque, ne pacem Orientalis ecclesiæ turbaret, suas misit epistolas. A paribus vero dictæ sunt, eo quod singulis Patriarchis missæ, eædem essent, uti innumeris exemplis constat, ac Bigonius in notis ad Marculfum adnotat, & Mabillonius de re diplomatica lib. 1. cap. 2. num. 7.

De epist. Synodica S. Gregorii.

Professio Catholicæ fidei S. Gregorii. ad Rom. 10.

3. Fidei autem professio ab Gregorio edita hæc continebat: *Præterea*, inquit, *quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor; Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, & Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio*. Synodum Chalcedonensem nominatim probavit S. Gregorius, ad retundendam

dam Schismaticorum calumniam, qua ajebant irritum fieri Chalcedonense concilium, ex damnatione trium capitulorum a synodo quinta facta. Pergit vero Gregorius: *Quia in his* (quatuor conciliis) *velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ, atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror: in quo epistola, quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur: In quo Theodorus, personam mediatoris Dei, & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, & in quo scripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutatur.* Sunt hæc illa tria capitula ab orthodoxis damnata, quorum causa totum orbem turbatum supra vidimus. Rursum vero, ne horum damnatione videretur carpere sacrosanctum concilium Chalcedonense; generali hac, quam subdit sententia, satisfacit: *Cunctas vero, quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit in Deo Patre per Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo vivit, & regnat consubstantialiter Deus, in unitatem Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Hactenus de his Gregorius.

JESU CHR. AN. 591.

4. Privatas etiam ad Anastasium epistolas dedit, in quibus rationem reddit, cur ad eum sicuti ad ceteros Patriarchas scripserit, ubi in fine hæc adnotat: *Præterea sicuti Patriarchis aliis, vel Patribus, ita & synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod voluntate hominum putamini non esse*: ad litteras addidit dona, claves nempe S. Petri, sequitur enim: *Amatoris vestri Beati Petri Apostoli vobis claves transmisi, quæ super ægros positæ, multis solent miraculis coruscare.* Ad Andream quoque virum insignem, clavem misit habentem intus de catenis S. Petri, nam ad finem epistolæ hæc habet: *Præterea sanctissimam clavem a S. Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis miraculis solet coruscare: nam etiam de ejus cate-*

Gregorii ep. ad Anastasium, & ad alios. *Greg. lib. 1. epist. 26.*

Claves ex Sepulcro S. Petri Greg. ad diversos mittit.

Jesu Chr. an. 591. *catenis interius habetur; eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent*. Eadem leguntur in epistola ad Joannem exconsulem Patricium & Quæstorem, cum illi idem munus misit. Hic quia plus ceteris Gregorium diligebat, apud Imperatorem egit, ut ejusdem electionem confirmaret, ad quem inter alia hæc Gregorius scribit: *Vobis quidem omnipotens Deus, qui bono animo fecistis, bona æterna retribuat, sed me a tanto loci hujus periculo, qualiter voluerit absolvat, quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum factus sum Episcopus, quorum Synthicia, scilicet pacta, & consentiones, Spathæ sunt, & gratia poena. Ecce ubi me patrocinia vestra perduxerunt*.

Greg. lib. 1. epist. 31.

De usu' clavium Sepulcri S. Petri.

5. Porro de his clavibus e corpore S. Petri missis, de quibus sæpe mentio apud Gregorium Papam, illud opportune in memoriam repete, quod Gregorius Turonensis habet in libro de gloria martyrum, ubi inter alia, de harum clavium usu narrat: *Multi enim & claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulchri Principis Apostolorum scilicet faciunt, qui eas ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitatem tribulantium medentur. Omnia enim fides integra prestat*. Quanta, & quam miranda consueverit Deus per hujusmodi claves, & per sudaria sepulchro admota, quæ brandea, sive palliola dicebantur operari miracula, ex utroque Gregorio, satis liquet, ut plura addere superfluum sit. In pastorali officio exercendo tantam habuit Gregorius sollicitudinem, ut ea enarrari vix possint: Quare vix pauca delibabimus.

Episcopos a Præfectis judicari S. Gregorius prohibet.

6. Cum cognovisset Blandum Hortensem Episcopum ab Exarcho Romano Ravennæ detineri, synodum fieri jussit, ut si Episcopum criminibus obnoxium invenissent, eum quidem deponerent, sin minus in suam restituerent ecclesiam, pati enim non poterat Episcoporum judicia, apud Præfectos agitari, cum ipsi Præfecti adversus Episcopos causam habentes, ab Episcopis judicium expectarent, ut in epistola ad Malchum Episcopum testatur. Clericis quoque, ac laicis præsto erat, cum eos a Præfectis exagitari sciebat, cujus argumenti sunt epistolæ ad Gennadium Patricium Exarchum in Africa, & ad Honoratum Diaconum. Quanta vero ejus sollicitudo esset, ut Episcopi animarum saluti invigilarent; testis

testis est epistola altera ad Projectitium Narniensem Episcopum hoc anno data, in qua hæc leguntur: *Pervenit ad nos, peccatis imminentibus, in civitate vestra Narniensi mortalitatem omnino grassari, quæ res nos nimis afflixit. Quamobrem salutantes fraternitatem tuam, modis omnibus suademus, ut a Longobardorum, sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione sive exorthatione, nulla ratione cessetis, & maxime a Gentilium & Hæreticorum, ut ad veram rectamque fidem Catholicam convertantur. Sic enim, aut divina misericordia pro sua eis forsitan conversione, & in hac vita subveniet, aut si eos migrare contigerit, a suis (quod magis notandum est) transient facinoribus absoluti.*

Quid Episcopi agere debeant tempore pestis.

7. Id etiam in Gregorio notatu dignum est, quod cum in dando effusissimus esset, in accipiendo continens erat, ut ex epistola ad Felicem Messanæ civitatis Episcopum constat, qua habet: *Nobis de cetero, ne quid trasmittere debeas, inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis: Palmatianas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus; sed eas, ne quod exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus prætio venundari, & id fraternitati tuæ transmittimus singulatim.* Per *Palmatianas*, palmatas vestes intellige, opere ut vocant Phrygio, sive plumario concinnatas, quas in prætio habitas apud Romanos notissimum est, quamobrem minus apte Baronius *Palmatianas*, pro vino palmatiano explicat.

S. Gregorius in dando liberalis & in accipiendo continens.

8. Ceterum Gregorius, qui Episcoporum xenia respuit, eosdem ut Coepiscopos pauperes sublevarent, hortatus est. Cum enim ex hostili incursione, perturbatæ essent Orientis regiones, plurimi Episcopi a suis sedibus avulsi, ne vagarentur, ut profugos & extorres Episcopos Illyrici Episcopi alerent, Imperator jusserat; eosdemque datis epistolis excitavit Gregorius: *Jobinus excellentissimus vir filius noster, Præpositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicibus destinatis, jussum fuisse, Episcopos, quos a propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos, qui nunc usque in locis propriis degunt, pro sustentatione, & stipendiis præsentis vitæ esse jungendos. Et licet ad hoc fraternitatem vestram jussio principalis admoneat: habemus tamen majus his mandatum æterni Principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, ut non dico Fratres, & Coepiscopos no-*

Episcopi expulsi, aliis Episcopis alendi commendantur.

JESU CHR. AN. 591.

nostros, sed ipsos etiam, quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem, & caelesti primitus Principi obedientes existere, & Imperialibus etiam jussionibus consistere, quatenus fratres Coepiscoposque nostros, quos & captivitatis, diversarumque necessitatum angustiae comprimunt, debeatis consolandos, convicturosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem ut per communionem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientiae debeant alimenta percipere. Sic enim proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus; sed tamen eos vestris solatiis contineri summopere hortamur. Hucusque Gregorius de his, quae ad Episcopos pertinent.

Gregorii cura pro disciplina monastica.

9. In monastica autem disciplina restituenda, ubi collapsa erat, aut iis revocandis, qui eam deseruerant, quantam S. Pontifex sollicitudinem gesserit, testis est ejusdem epistola ad Venantium quemdam, qui post monasticam professionem, ad secularem vitam transierat, quem ideo, ut ad monasterium rediret, his verbis admonet. *In quo enim habitu fueris, recolis; & supernae districtionis animadversione proposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat; districtionem futuri judicii, dum vales; horresce, ne tunc illam amaram sententiam audias, cum jam nullis fletibus evadas.* Et inferius: *Ananias pecunias Deo voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit: sed qua morte mulctatus sit, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, quia eos, quos dederat nummos Deo abstulit: Considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed te ipsum Deo Omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti. Considera judicium Dei quod mereatur, qui semetipsum Deo vovit, continuoque mundi desideriis irretitus mentitus est quod vovit.* Haec & alia ad eum Gregorius. Nihil tamen ex his epistolis profecit, Venantius etenim extra monasterium usque ad obitum perseveravit. Hinc aliae extant ejusdem Gregorii litterae post annos octo ad eum datae cum aegrotaret, aliae vero ad Joannem Syracusanum Episcopum, cum in vitae pene exitu esset; ex quibus apparet, illius curam ad exitum usque gessisse. Monachos vero,

vero, qui uxores duxerant, ab earum complexu avulsos, suis monasteriis restituendos esse jussit, ut ex epistolis hoc anno ad Petrum, & ad Anthemium subdiaconos datis constat; eosque ut a feminarum consortio, abstinerent, jussit; ac ne ante annum decimum octavum in monasterium reciperentur, lege lata jussit; ac ad monachos sine disciplina vagantes, Abbatem Orosium misit, eique præcepit, ut monasterium in Corsica erigeret, sub cujus disciplina vivere possent. Quos vero sciebat religiose vivere, ut Deo propensiori cura vacarent, pastorali sollicitudine excitabat, ac ut secularia negotia monasteriorum, per viros seculares exercerent, admonuit. Si quos vero egestate laborare sciebat, eleemosinis sublevabat.

Liberati Diaconi Fastum comprimit.

10. Clericalis autem disciplinæ custos fuit fidelissimus, & vindex acerrimus, ut ex innumeris constat exemplis. Hinc Liberatum Diaconum ambitionis spiritu inflatum, ultimo loco inter Diaconos stare jussit, ut humilitati, & subjectioni assuesceret. Majori adhuc severitate usus est adversus Laurentium Romanæ ecclesiæ Archidiaconum, quem ob superbiam, aliaque vitia in ordinem redegit, ejusque locum Honorato concessit, uti ex proœmio lib. II. epistolarum, nunc vero num. 2. ad calcem epist. S. Greg. . Nam ut ait Joannes Diaconus: *Antiquissimum ecclesiæ ordinem Gregorius ab Apostolis traditum, & ad sua usque tempora solemniter conservatum, adeo studiosissime retinebat, ut nullum quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitateve polleret, anterioribus Clericis in conventu, consessu, statione, sive subscriptione præponeret*. Unde Agathensis synodus, can. 3. *Episcopus posteriorem* (Clericum) *priori nullum præponat*. Idem de Episcopis in concilio Africano can. 53. vide epist. S. Leonis Papæ Doro Beneventano Episcopo inscripta.

Laurentius Archidiaconus Rom. ecclesiæ deponitur.

Joan. Diac. lib. 3. c. 21.

S. Gregorius Episcopos ubique admonet, & corrigit.

11. Cum vero omnium ecclesiarum sollicitudinem gereret, utpote cui agnorum, & ovium cura commissa erat, quique ut ajebat Bernardus: *Non modo ovium, sed & pastorum pastor*. Hinc totius orbis Episcopos, ut muneri suo satisfacerent, admonere & excitare nunquam destitit; rebelles vero, & contumaces, pro criminum qualitate, debita censura castigavit; Demetrium Neapolitanum Episcopum hoc anno variis criminibus obnoxium ea sede dejecit; ut ex epistola ad Neapolitanos scripta scimus, qua inter cetera hæc narrat. *Demetrius siquidem, qui nec antea Episcopus dici*

JESU CHR. AN. 591. *meruit, tantis, & talibus nequitiis inventus est involutus, ut si secundum suorum qualitatem facinorum judicium, sine misericordia recepisset, divinis mundanisque legibus durissima procul dubio fuerit morte plectendus: sed quia pœnitentiæ reservatus, sacerdotii honore privatus est &c.*

Clericorum cum mulieribus cohabitatio prohibetur.

12. Ex canonum quoque instituto clericis prohibuit, ne una cum fœminis habitarent, hæc inter alia ad Symmacum defensorem scribens: *Præterea volumus ut Sacerdotes, qui in Corsica commorantur prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur, excepta dumtaxat matre, sorore, vel uxore, quæ caste regenda est.* Quando etenim matrimonio copulati ad Sacerdotii ordinem promovebantur, post susceptos ordines cum uxoribus vivere poterant, tamquam fratres, numquam vero tanquam mariti; magna tamen cautela hujuscemodi licentia uti debebant; ne eos tentaret diabolus. Unde de castissimo Presbytero, hæc in Dialogis narrat: *Sed neque hoc sileam, quod vir venerabilis Abbas Stephanus; qui non longe ante hoc tempus in hac urbe defunctus est (quem ipse etiam bene nosti) in eadem Provincia Nursiæ contigisse referebat. Ajebat enim quod illic Presbyter quidam Ursinus nomine, commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam: Qui ex tempore ordinationis acceptæ Præsbyteram suam, ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere numquam sinebat; eamque sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Habent quippe Sancti viri hoc proprium: nam ut semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindunt. Unde idem vir, ne umquam per eam incurreret culpam, sibi etiam per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergo venerabilis Presbyter cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, inardescente graviter febre correptus, ad extremum deductus est. Sed cum eum Presbytera sua conspiceret, solutis jam membris, quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus ejus apposita curavit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo adnisu valuit ut loqui potuisset, infervescente spiritu, collegit vocem, atque erupit, dicens: Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Illa igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna*

Ursinus Presbyter uxoris præsentiam, instante morte refugit.

magna cœpit lætitia clamare, dicens: Bene veniant domini mei: Bene veniant Domini mei: Quid ad tantillum servulum vestrum estis dignati convenire? Venio, Venio: Gratias ago, gratias ago; Cumque hæc iterata crebro voce repeteret: quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit, dicens: Nunquid hic convenisse sanctos Apostolos non videtis? Beatum Petrum, & Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conversus, dicebat: Ecce venio: Ecce venio. Atque inter hæc verba animam reddidit. Hucusque Gregorius.

JESU CHR. AN. 591.

13. Cumque accepisset in Sicilia Subdiaconos. contra Pelagii prædecessoris sui decretum, non semel uxores ducere, id ultra fieri prohibuit, ac decretum suum sapientissimus Pontifex ita temperavit, ut fineret quidem conjugatos subdiaconos uxores retinere, ea lege, ut ad sacros ordines numquam ascenderent: *Quia nullus debet*, ajebat, *ad ministerium altaris ascendere, nisi cujus castitas fuerit ante susceptum ministerium approbata*. At ne deinceps Episcopi subdiaconum ullum ordinarent, nisi qui victurum se caste promisisset, jussit. Quo solo Gregorii loco vetus fabella a Magdeburgensibus vulgata, ex conficta S. Uldarici Augustani Episcopi epistola ad Nicolaum Papam, qua narratur, quod cum Sacerdotibus solemni decreto, cum uxoribus commisceri prohibuisset, paulo post, ex Pontificis piscina infantium capita ad sex millia a piscatoribus extracta sunt; quos cum ex furtivis Sacerdotum, fornicationibus, & adulteriis natos esse non dubitaret S. Gregorius, facti sui pœnitens, edictum suum mox revocavit; ac ut nuberent Sacerdotes permisit; Ne tamen cum delirantibus, insanire videar, si serio hæc confutare voluero, hæc adnotasse sat erit; fieri nullo modo potuisse, ut tot ex adulterinis presbyterorum conjunctionibus nascerentur, ut ad sex millia in unum collecta, in Pontificis piscina projicerentur, quæ commodius in Tiberim, qui urbem abluit; aut in cloacis, qnæ satis amplæ sunt projci potuerant; Quantus autem toto sui Pontificatus tempore fuerit S. Gregorii zelus in coercenda Presbyterorum, aut clericorum incontinentia; quamplurimæ ejusdem epistolæ, singulis fere Pontificatus annis scriptæ, satis prebant; ut plura addere superfluum sit, falsam Uldarii epistolam, totamque fabulam confutat Antonius Zaccharia in opusculo Italico sermone scripto de Clericorum cœ-

Subdiaconos uxores ducere prohibet.

Magdeburgi cent. 6. 7. 9. 10.

Fabula de infantibus occisis rejicitur.

JESU CHR. AN. 591.

cœlibatu lib. 2. cap. 4. pag. 293. Romæ edito 1774.

Gregorii gesta hoc anno disciplinam ecclesiæ spectantia.

14. Ad ecclesiasticam etiam disciplinam sartam tectamque servandam ad Anthemium Subdiaconum hoc anno scribens, jussit, ut Venafranæ ecclesiæ suppelectilem, quam Clerici Judæo vendiderant, restitui curaret, nempe argenteos calices duos, coronas cum Delphinis duas, & de aliis coronis lilia (erant vasa ista ad usum luminarium); insuper & pallia majora sex: *Et clericos, vel Diaconum qui tantum nefas commiserant in pœnitentia relegandos, ut tale tantumque delictum suis lacrimis possint diluere*. Tantum scelus Donatistis exprobrabat Optatus his verbis: *Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis calices Christi sanguinis portatores .... avari dum venditis. Sacrilegi dum inconsiderati vendidistis .... Emerunt forsitan in usos suos sordidæ mulieres, emerunt Pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis*. Petro etiam subdiacono præcepit, ut delinquentes Sacerdotes, & Levitas in monasterium ad pœnitentiam relegaret. At sicut in delinquentes pastoralem virgam exercuit, ita digne ministrantibus prospexit, ne quid eis deesset, hac de causa Candido Episcopo de Urbeveteri jussit, ut egrotanti Clerico consueta tribueret stipendia. Quia vero, ob bellicas turbas, quamplurimæ ecclesiæ absque ministris derelictæ erant, earum curam vicinis Episcopis delegavit; ut in iis Presbyteros destinarent, qui ex more baptismum infantibus conferrent, & ex hac vita migrantibus pœnitentiam impertirent, ut ex epistola ad Episcopum Sipontinum, de Canusina ecclesia, & ad Leonem in Corsica Episcopum de Sagonensi ecclesia.

Optat. de schismat. donat. lib. 6. cap. 2.

De Episcoporum electione & ordinatione.

15. Atque ut vacantibus ecclesiis Episcopi quamcito præficerentur, sollicitus fuit. Cumque electores dissiderent, vel minus idoneum eligerent, tunc ipse eorum supplebat negligentiam, ac Episcopum eligebat, ut ex epistola ad Severum de eligendo Ariminensi Episcopo constat. Transtulit etiam Martinum Episcopum a Tainatensi ecclesia, ad Saonensem, eo quod Tainatensis ecclesia hostili feritate occupata, ac diruta jaceret. Curavit insuper ut Sanctorum reliquiis ecclesiæ ditarentur, ac Joanni Episcopo Ferentino jussit, ut in S. Stephani monasterio, reliquias S. Agathæ solemniter collocaret. Petro autem Subdiacono præcepit, ut Oratorium Beatæ Mariæ, quod in cella fratrum nuper edificatum

tum fuerat, dedicaret. Quia vero in his solemnitatibus Agapes antiquitus institutæ peragebantur, in quibus pauperes epulari solebant, ad supplendam illius ecclesiæ inopiam, Petrum, ut impensam faceret, his verbis admonuit: *Quia cellæ ipsius tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festivitate concurrere: propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum.*

S. Gregorius in ecclesiæ dedicatione pro Agapis expensas erogat.

16. Res Ecclesiæ sic servari voluit, ut ab alienis omnino abstinendum esse judicaret: hinc domum Petronii ab Ecclesia injuria vindicatam, statim Theodoræ illius viduæ restituendam jussit, ac Episcopis Siciliæ scribens, eos admonuit, ne facile iis fidem haberent, qui sub falso nomine defensorum Romanæ Ecclesiæ vectigalia exigebant: ac possessiones, & pecunias Taurominitanæ Ecclesiæ ab actionariis Rom. Ecclesiæ per vim occupatas, ut eidem Ecclesiæ redderentur jussit. Cæterum qui noluit aliena bona sub quovis pretextu ab Ecclesiæ ministris occupari, earum indemnitati etiam consultum voluit, & ne per subreptionem Ecclesiæ bona invaderentur, ad Petrum subdiaconum scribens, his verbis admonet. *Sed tua experientia sanctæ Ecclesiæ utilitatem conspiciat, memor, quod ante sacratissimum Beati Petri Apostoli corpus potestatem Patrimonii ejus acceperis. Et licet hinc scripta decurrant, quod utilitatem patrimonii fieri nullo modo permittat, quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus.* Et iterum, quam fuerit rerum Ecclesiæ vigilans custos, ita tamen, ut aliorum indemnitati semper voluerit esse consultum, indicant ejus epistolæ datæ ad eumdem Petrum, in quarum una ad finem, hæc adnotat: *Hæc omnia sollicite perlege, omnemque illam familiarem negligentiam tuam postpone. Scripta mea ad rusticos, quæ direxi, per omnes massas fac relegi, ut sciant quid sibi contra violentias debeant defendere ex auctoritate nostra, eisque vel authentica, vel exemplaria nostra dentur. Vide ut omnia absque imminutione custodias: quia de his, quæ tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvi, & tu si negligis, obligaris; terribilem judicem considera, & de adventu illius nunc tua conscentia contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cœlum & terra tremuerit.*

De rebus ecclesiæ custodiendis S. Gregorii sententia.

Jesu Chr. an. 591.

rit. Audisti quod volo; vide quid agas. Hæc Gregorius; exemplo suo condemnans quosdam Ecclesiæ ministros, qui fideliores videri volunt, dum cuncta extorquent, & corrodunt, ut in Ecclesiæ aream inferant, sacrificium se Deo præstare opinantes, quod tamen acceptum Deo esse non potest, scriptura clamante. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Quantum autem ab his abhorreret S. Gregorius, eadem epistola indicat, aliæque plurimæ eadem de causa scriptæ. Insuper, ne ex delictis, commodum aliquod ecclesiæ fiscus sentiret, prohibuit. Unde addit. *Cognovimus etiam, quod si quis ex familia culpam fecerit, non in ipso, sed in ejus substantia vindicatur: de qua re præcipimus, ut quisquis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum est vindicetur. A commodo autem ejus omnino abstineatur*, & inferius de Sacerdotibus, vel clericis delinquentibus. *De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex Clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione misceatis*. Quamobrem post S. Gregorium, pie sancteque Tridentinum concilium Episcopos admonuit, ut si quæ pro delictis pecuniariæ pœnæ exigerentur, eas in usus pios omnino convertant.

Ecclef. 34. Redarguitur nimia avaritia ministrorum ecclesiæ

Qualem pauperum curam Gregorius haberet.

17. Ecclesiarum vero administratores, non ecclesiæ tantum, sed ut pauperum præcipue curam haberent, hortabatur, hinc ad Anthemium: *Non solum inquit frequentibus præceptionibus, sed etiam præsentem te sæpius me monuisse memini, ut illic vice nostra, non tantum pro utilitatibus Ecclesiasticis, quantum pro sublevandis pauperum necessitatibus fungereris, & eo magis a cujuslibet oppressionibus vindicare.* Deinde: *Iterum atque iterum experientiam tuam necessario submonemus, ut illic si quæ inter pauperes, & Romanam Ecclesiam sanctam quæstiones vertuntur, omni mentis integritate discutiat, sicque Patrimoniales utilitates peragat, ut a benignitatis justitia non recedat*. Quapropter Rom. Ecclesiam, cum alterius ecclesiæ jactura locupletiorem fieri, noluit, ut ex epist. ad Laurentium Mediolanensem Episcopum constat.

Epist. 55. l. 1.

De patrimoniis Rom. ecclesiæ in diversis provinciis.

18. Habebat tunc temporis Romana Ecclesia locupletissima patrimonia, non in Italia solum, & Sicilia, sed in Asia, in Gallis, in Africa; Hæc autem cum Gennadii Exarchi diligentia ad pristinam culturam restituta fuissent, eidem gra-

gratias S. Gregorius agens, Hilarium ejusdem Patrimonii rectorem commendat, ejusque zelum laudat, eo quod christianæ fidei propagandæ causa, barbaras gentes in Africa expugnaret. Hujus autem viri pietate, & religione S. Gregorius, non ad terrena tantum lucra promovenda, sed præcipue ad schismaticorum, & hæreticorum temeritatem coercendam usus est, præsertim ad Donatistarum petulantiam reprimendam, atque Donatistarum Episcopos, qui ad ecclesiam redierant, ad Primatus honorem transire prohibuit, ad Numidiæ Episcopos hæc scribens. *Petistis enim per Hilarium Chartularium nostrum a beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a B. Petri Apostolorum Principi ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, hoc de Primatibus constituendis, ceterisque capitulis, exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo Clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantum modo curam gerere, non autem etiam illos Antistites, quos Catolica fides in Ecclesiæ sinu & edocuit, & genuit, ad obtinendum culmen Primatus anteire.* Ac tandem, ut totis viribus commissis sibi gregibus invigilarent; his verbis in fine epistolæ hortatus est: *Quæso ergo vosmetipsos invicem alterna pace diligite in Christo, & hæreticis, vel inimicis Ecclesiæ uno cordis intuitu obviate. De proximorum animabus estote solliciti: ad fidem quos valetis prædicatione charitatis, prætenso etiam terrore futuri judicii, suadete.* Ad Gennadium vero Africæ Proconsulem, hæc scripsit: *Concilium Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite; ut Primatum non ex ordine loci, pospositis vitæ meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse vero Primas non passim (sicut moris est) per villas; sed in una juxta eorum electionem civitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis meliori negotio resistendi Donatistis possibilitas disponatur: Ex Concilio vero Numidiæ, si qui desiderarint ad Apostolicam Sedem venire permitte; & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit, obviate.*

JESU CHR. AN. 591. *Greg. lib. 1. epist. 75.*

Donatistarum audaciam in Africa comprimi jubet S. Gregorius.

JESU CHR. AN. 591. *te. Magna profecto excellentiæ vestræ apud Creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cum enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit revocari, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis suæ dignitatem viderit ampliari. Persolventes præterea paternæ charitatis affectum, Dominum petimus, quo brachium vestrum ad comprimendos hostes fortem efficiat, & mentem vestram zelo fidei, velut mucronem gladii vibrantis exacuat.*

Abusus in Africanis ecclesiis S. Gregorius emendare conatur

19. Graves quoque adversus Episcopum Lamigensem querelæ delatæ sunt, eo quod clericum Donatistam, accepto prætio catholicis prætulisset, quam ob causam ad Hilarium monachum scribens Gregorius, ut hæc in provinciæ concilio corrigeret, jussit: *Felicissimus* inquit, *atque Vincentius Diaconus ecclesiæ Lamigensis, oblata petitione, quæ tenetur in subditis, suggesserunt ab Argentio ejus Civitatis Episcopo gravem se injustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in ecclesiis fuisse præpositos, eumque inter alia, non leve aliud facinus, quod dici, nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsenti pagina præcepti duximus injungendum, quatenus præfatum Episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more Concilium, & omnia secundum oblatæ petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione perquirantur; & quæcumque eorum judicio fuerint terminata, te exequente, modis omnibus compleantur.* Hunc Hilarium monachum fuisse, & Romanæ ecclesiæ Chartularium, a Pelagio 2. in Africam missum nos docent epistolæ Gregorii. Morabatur hic in Africa non Apocrisarius, sed judex ecclesiasticus, ad quem aliæ sancti Gregorii epistolæ extant. Quodnam autem Chartularii munus esset, (de quo in annalibus sæpe mentio fit) solo nomine indicatur; eum scilicet fuisse, qui Registrorum, Codicillorum, Chartarum curam habebat. An vero idem esset Chartularii, & Chartofilacii officium apud Græcos dubitari potest, cum Chartularius alterius officii, & inferioris esset, ut apud Codinum videre est, de quibus qui plura desiderat Goarium adeat, & Gretserum in notis ad caput primum Codini.

De officio Chartularii. *Codinus de officialibus Palatii Consp. & officiis magnæ ecclesiæ cap. 1.*

Judæi inviti ad fidem non sunt cogendi

20. Quem vidisti usque nunc Apostolica auctoritate, invisisse Orientem, & Africam, eumdem prosequimur Gallias adeuntem. Ita plane, cui sollicitudo omnium ecclesiarum

rum incumbebat, litteris suis omnes Christiani orbis regiones adibat. Cum enim accepisset Judæos in Galliis ad Christianam fidem suscipiendam vi sæpe impelli, ne ultra id fieret, ad Virgilium Arelatensem, & Theodorum Massiliensem Episcopos scribens, prohibuit. *Plurimi siquidem Judaicæ religionis viri in hac provincia commorantes, ac subinde in Massiliæ partes pro diversis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Judæorum, vi magis ad fontem baptismatis, quam prædicatione perductos. Nam intentionem quidem hujuscemodi, & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eamdem intentionem, nisi competens Scripturæ Sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proveniat, aut juxta aliquid animarum, quas eripi volumus (quod absit) dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suavitate, sed necessitate pervenerit; ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur.* Hæc ad Galliarum Episcopos S. Gregorius, qui hoc eodem anno, de iisdem Judæis non persequendis, sed benignitate, & mansuetudine ad fidem alliciendis, epistolam dedit ad Petrum Episcopum Terracinensem, jubens, ut locum, in quo convenire consueverant, ablatum iisdem restitueret.

S. Leandri consultatio de trina mersione.

21. Interea cum in Hispaniis Gothorum plurimi, Reccaredi Regis exemplo excitati, ex Ariana perfidia catholicam fidem suscepissent, de trina in baptismate administrando inmersione; uti apud Arianos, passim fiebat, quæstio excitata est; cui sopiendæ Leander Hispalensis Episcopus, pro sua in Apostolicam Sedem reverentia, S. Gregorium consulendum censuit, cui Pontifex his verbis satisfecit. *De Trina vero mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quam quod ipsi sentistis: quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio Infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri: neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus Personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere, quando &* in

Jesu Chr. an. 591. *in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nuncusqueab Hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne, dum mersiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur*. Hactenus Gregorius, plane docens cum hæreticis (quantum fieri potest) nullam habendam esse comunionem in iis etiam, quæ adiaphora sunt, deinde quantum animo exultaret, atque gauderet de Reccaredi Regis, & Gohotorum gente ad Fidem conversione, his verbis exponit: *Explere loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod comunem filium Reccaredum gloriosissimum Regem ad Catholicam fidem integerrima agnovi devotione conversum. Hujus dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam, quem nescio, fecistis. Sed &c.*

ImpostorGalliarum ecclesias turbat, & occiditur. *Greg. Turon. lib.10. c.25.*

22. Hoc autem anno, qui a Gregorio Turonensi numeratur Francorum Regum Childeberti 16., & Gumthramni 30., in Galliis PseudoPropheta a Demone obsessus, plurimos decepit, uti Gregorius ocularis testis narrat, addens, se ex iis plurimos vidisse. *Quos objurgantes, ab errore revocare, nisi sumus*. Is porro a Dæmone obsessus, cum femina quadam, quam Mariam appellaverat, Arelatensem provinciam, aliasque finitimas concursans, se ab insana plebe adorari jubebat; utque pauperes alliceret, quorum multa millia seduxerat, largiores iis elemosinas distribuebat; eodemque tempore regiones pervagans, divites in itinere, aut per vicos & urbes expoliabat. Tandem post varios casus, quos referre non juvat, gladio percussus, *Cecidit Christus ille. Qui magis Antichristus nominari debet, & mortuus est; dispersique sunt omnes, qui cum eo erant. Maria autem illa suppliciis dedita, omnia phanthasmata ejus, ac præstigias publicavit &c.*

S. Aredii præclaræ res gestæ; & obitus.

23. Hoc quoque anno Aredius monachorum celeberrimus in Galliis ad Deum abiit, cujus res gestas brevi compendio Gregorius persecutus est. Lemovicinæ urbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, ac Theodeberto Regi traditus, aulicis palatinis adjunctus; cumque tunc temporis apud urbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus esset, non solum in predicatione admirabilis, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus, intuens puerum in Regis

Regis palatio, nescio quid in vultu ejus cernens divinum, præcepit ei se sequi. At ille relicto Regis palatio, secutus est eum. Cumque ingressi in cellulam, de iis quæ ad Deum pertinent confabularentur: expetiit adolescens a beato Sacerdote se corrigi, ab eo doceri, ab eo imbui, ac in divinis litteris ab eodem exerceri; quo cum aliquandiu substitisset; & clericus esset ordinatus, quadam die psallentibus clericis in Ecclesia, descendit columba e camera, quæ leniter volitans circa eum, resedit super caput ejus, quem frustra per plures dies abigere conatus est, non sine Nicetii admiratione. Patre deinde, & fratre defunctis, in Patriam revertitur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullam prolem præter hunc habebat, ac cum jejuniis, atque orationibus vacaret, domus cura & patrimonii in matrem translata, monasterium fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii: *& reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante &c.*. His curationes plurimas ab eo peractas, ac portenta commemorat Gregorius, quæ exponere longum esset; ac tandem addit quod Turonos veniens ibidem obiit. ac miraculis inclarisse adnotat. S. Aredii vitam exibet Mabillonius seculo primo Benedictino, & tom. 2. Analectorum pag. 48. & sequentibus, cujus testamentum exhibet ex pervetusto Codice Allanensi, notisque illustravit.

S. Sulpitii Bituricensis Episcopi obitus.

24. Aredio, S. Sulpitium Episcopum Bituricensem addimus, qui eodem anno obiit, quo S. Aredius defunctus est. Hunc virtutibus, & eruditione conspicuum, & in Pastorali cura sollicitum fuisse, constat ex Prefatione historiæ septem dormientium eidem a Gregorio Turinensi dicatæ. Sulpitius ecclesiæ Bituricensi Episcopus factus est post Remigium anno nono Childeperti Regis, anno scilicet 584., ut nos docet Greg. Tur. eumque concilio Matisconensi 2. anno 585. interfuisse, ex ejus subscriptione constat. Cujus memoria martyrologio Romano die 29. Januarii recolitur. *Cathedramque ejus Eustasius Augustodonensis Diaconus sortitus est*, inquit Gregorius Turonensis loco citato. Hic Sulpitius, ab altero Sulpicio, qui sequenti seculo floruit, quique Episcopus etiam Bituricensis fuit, ac Apollinarem antecessorem habuit, suc-

Greg. Turon. lib. 6. c. 30.

S. Sulpitius Severus Bituricensis Episcopus, diversus a Sulpitio Pio ejusdem ecclesiæ Episcopo.

JESU CHR. AN. 591.

cessorem vero Astregesilum, de quo in Martyrologio Romano die decimaseptima Januarii fit mentio, distinguendus est: utriusque vitæ extant apud Bollandum die 17. & 29. Januarii ab his etiam diversus plane fuit alius Sulpitius Severus, qui seculo quinto ineunte floruit, discipulus Beati Martini, quem Presbyterum tantum fuisse nunc inter eruditos convenit, ut supra de eo agentes adnotavimus.

Gregorius Turonensis historiam absolvit, operta ejus, & mors.

25. Labenti anno Gregorius Turonensis, ex cujus scriptis, plura narravimus, historiæ Francorum finem imposuit. Unde res gestas postremis suæ vitæ annis, in ea historia non est persecutus, etsi inter mortales fuerit usque ad annum 595.; ut ait Pagius, vel 594. ut scribit Basnagius. Romam eum aliquando fuisse, honorificeque susceptum fertur, cujus virtutes in parvo corpore admirans Pontifex, *dominus*, ait ille; *fecit nos, & non ipsi nos, idem in parvis, qui & in magnis*. Ortum habuit circa annum 543. Episcopatum vero adiit anno 572. vel 573., in Cœlum abiit anno 594., vel 595.. In eo quidem humilitatem, fidei, religionisque amorem, divitiarum contemptum, in pauperes diffusam charitatem, ceterasque virtutes, fulsisse dubitari non potest, in historia vero nimia credulitate sæpe laborasse, non negabunt ii, quibus veritas placet; Quot libros ediderit, ipse loquatur: *Decem libros historiarum. Septem libros miraculorum (idest de gloria Martirum, 4. de miraculis S. Martini; & unum de gloria Confessorum). Unum de vitis Patrum Inscripsi: Psalterii tractatum librum unum commentatus sum* (is liber non extat). *De Cursibus etiam ecclesiasticis unum librum condidi* (is etiam liber periit). *Quos libros licet stylo rusticiori scripserim, tamen conjuro &c. ut omnia vobiscum integra illibataque permaneant, sicut a nobisrelicta sunt*: Gregorii Turon. memoria die 15. Kal. Decembris in ecclesia recolitur, cujus successor Pelagius fuit.

Agilulphus Longobardorum Rex dictus.

26. De Longobardorum gestis in Italia anno proximo diximus post Autharis Regis obitum, Theodolindam ejus viduam, Agilulpho Taurinatum duce nupsisse, quem etiam Agonem nonnulli appellant; porro hoc anno mense Majo in comitiis Longobardorum Mediolano Rex declaratus est, ait Paulus Diaconus, statimque Agnellum Tridentinum Episcopum in Gallias, misit, ut captivos, qui superiori anno a Francorum ducibus, in servitutem reducti, & in gallias translati fuerant, redimeret.

27. Ad

27. Ad Orientales res quod attinet, cum Filippicus post victos in prœlio Persas, ab obsidione Martyropolis abstinuisset, id ita Imperatori displicuit, ut eo submoto, Commentiolum eidem subrogaverit, qui cum maximis cladibus Persas affecisset, Martyropolim usque progressus, *Ocbas* munitissimum Persarum castellum impetu facto potitus est; Hormisdas vero Persarum Rex ob res in Cholcide male gestas, Varamum ab exercitu revocavit: & ignominiæ causa, vestem ad eum muliebrem misit. Quod convitium indignatus Baramus seu Varamus, facta rebellione Hormisdæ litteras cum hac inscriptione misit. *Chosroes Filiæ, non Filio Hormisdæ*, hincque civile bellum excitatum est, quo post varios casus, Hormisdas Regno exturbatus est, ac in carcerem missus, tandem necatus est, Persarumque Regnum, in ejus filium Chosroen translatum fuit.

Commentiolus loco PhilippiciRomanorum Dux.

Hormisdas Regno ejectus a Filio occiditur,cui Chosroes succedit.

28. Chosroes vero paternum adeptus Imperium, Varamum ducem patri suo rebellem, sibi reconciliare conatus est, cui scribens, hanc præfationem superbissimi hominis dignam posuit, quasi Deus, non homo fuisset: *Cosrohes Rex Regum, dominantium dominus, Gentium dominus, Princeps pacis, hominum salus. Inter Deos quidem homo bonus, & æternus, inter homines autem Deus illustrissimus. Victor longe gloriosissimus cum sole exoriens, nocti oculos (stellas) largiens, a Majoribus nobilis, Rex belli Osar, bene merens de omnibus, Asonas mercede conducens, & Regnum Persis custodiens. Varano Persarum duci amico nostro*, frustra tamen Varamum, ut arma deponeret, admonuit. Quamobrem cum undique premeretur, ad Mauritium Romanorum Imperatorem auxilium petens, confugit, a quo benigne exceptus, & in filium adoptatus, cum exercitu, cui Narses præerat, in Persidem remisit; Chrosroes autem, ut Persarum fines ingressus est, ut collata in se beneficia aliquatenus compensaret, Mauritio *Daras* (missis per Dolbam legatum oppidi clavibus), & Martyropolim Romanis reddidit, quo tempore S. Domitianus Melitinensis Episcopus, qui Chosroi comes datus a Mauritio fuerat, concionem in ea urbe ad populum habuit, quæ extat apud Theophylatum: lib. 4. cap. 16., ac ibidem dies septem cum lœtitia transegisse addit; Post hæc Chosroes difficili implicatus bello, Sergii Martyris auxilium imploravit: *Quem colere etiam barbaræ nationes consueverant*, eique promisit.

Chosroes Mauritii implorat auxilium & obtinet.

Cru-

JESU CHR. AN. 591. *Evag. lib. 6. cap. 18. & 20.* Chosroes in Regnum restitutus dona Sergio Martyri offert.

Crucem ex auro puro confectam, & margaritis, perlucidisque ex India lapillis variatam, victoriae suae primitias oblaturum. Unde Evagrius; *Nec fallitur; nam Barames a Romanis unico bello superato, & solo cum ignominiain fugam verso, Chosroes ad suum ipsius Regnum reductus est*, deinde. *Chosroes autem jam in suum Regnum restitutus, mittit ad Gregorium* (Episcopum Antiochenum) *Crucem multo auro, & lapidibus pretiosis exquisite elaboratam, qua honorem Sergii Martyris incliti illustrari voluit.*

Inscriptio Crucis a Chosroe missa.

29: Hanc Crucem Theodora Justiniani conjux Sergio dicaverat, quam Chosroes Senior, una cum aliis muneribus inde asportaverat, aliam quoque Crucem auream tunc misit cum hac inscriptione Graecis litteris. Hanc Crucem ego Chosroes Rex Regum, Filius Hormisdae misi; cum enim Diabolico conatu, & veteratorio infelicissimi Baramis, & suorum caballariorum in Romaniam confugere eramus compulsi, & propter adventum scelerati Zadespram cum exercitu ad Nisibin, quo caballarios, quia partibus Nisibentium stabant subduceret: caballarios cum duce ad Carchas usque, qui Zadespram resisterent, ejusque vires frangerent miseramus, ope & praesidio communiti S. Sergii Martyris honoratissimi, & in primis memorabilis. Quoniam acceperamus eum res ab se postulatas solere largiri, primo anno Regni nostri, septimo idus Januarii postulavimus opem ab eo, votumque fecimus, si caballarii nostri Zadespram vel interficerent, vel captivum secum ducerent, nos auream Crucem lapillis distinctam ad ejus templum missuros, qua venerandum ejus nomen illustraretur, atque ad quintum idus Februarii caput Zadespram ad nos perlatum fuit. Itaque postulationis nostrae facti compotes, quo res gesta S. Sergii memini illustrandum, hanc Crucem a nobis fabricatam, ad templum ejus misimus, una cum Cruce, quam Justinianus Imperator Romanus ad idem templum misit, quamque Chosroes Rex Regum, Filius Cabadi proavi nostri temporibus, quibus Romani, & Persae gravissime inter se diffiderent, huc advexit, quam denique nos in nostris thesauris invenimus, & ad aedem Sancti, & venerabilis Sergii mittendam curavimus. Hactenus Chosrois inscriptio Crucis a se missae, perpetui monumenti causa. Pergit vero Evagrius. *Has cruces Gregorius Episcopus Antiochenus, cum de sententia Mauritii Imperatoris*

ris accepisset, cum magna pompa ad sacrum Martyris templum defert, inque eo reponit: Haud ita multo post alia dona ad Sanctum illud templum misit Chosroes, inter quæ erat discus ex auro confectus, in quo scribenda curavit hæc verba. Jesu Chr. an. 591.

30. Ego Chosroes Rex Regnum, Filius Hormisdæ; Hæc in hoc disco inscribenda curavi, non ut spectentur ab hominibus, neque ut amplitudo tui venerandi nominis ex meis verbis cognoscatur, sed partim propter rerum in eo inscriptarum, veritatem, partim propter multa beneficia accepta; quæ ibidem commemorat, cum præsertim uxor sua Sira nomine concepit, quæ hactenus sterilis fuerat, Inscriptio in disco posita.

31. Pergit vero Evagrius: *Hæc dona a Chosroe oblata ea loqui videntur, quæ cum Propheta Balaam consentiunt: quod plane Dei providentia factum est, ut Gentilium linguæ verba salutaria proferrent*; ex quibus Novatores arguuntur, qui ferro flammis sacrosanctas Cruces, Sanctorumque reliquias persecuti sunt, dum ab infidelibus, & Idololatris, debita iis reverentia exhibetur. Nec fama defuit hoc tempore Chosroen Persarum Regem fidem christianam suscepisse. Hinc Blicariensis, qui ad annum 590. chronicon suum perduxit, hæc verba eidem chronico postea inseruit. *Imperator Persarum Christi suscepit fidem, & pacem cum Mauritio firmavit.* Fredegarius etiam in chronico cap. 9. ad annum 28. Gumtramni, qui anno 589. respondet, multa refert incredibilia, majora etiam quam, quæ apud Paulum diaconum leguntur ex auctore Miscellæ; scilicet de fuga uxoris Chrosroes, & de ejus baptismo, ut videre est apud Baronium, idem exauctoribus Græcis testatur Theophylatus, scilicet Chosroen confessum fuisse Deum, *qui a Romanis coleretur omnium esse potentissimum: atque ore libero veterem superstitionem condemnasse*, sed de baptismo ab eo, vel ab uxore ejus suscepto, ne verbum quidem habet Evagrius; Hæc fabula inde exorta est, quod Chosroes pro sua in Regnum restitutione S. Sergio Martyri votum fecerit. Cœterum Chosroen numquam Christianum fuisse manifeste constat ex epistola S. Domitiani Episcopi Melitinæ ad S. Gregorium Papam, in qua scribit irrito conatu elaborasse, in suadenda ei Christiana religione, unde S. Pontifex ad Domitianum rescribens ajebat. *Imperatorem vero Persarum, etsi non fuisse conversum doleo, vos tamen ei christianam fidem prædicasse*

Chosroes Persarum Rex creditus Christianus, sed falso.

Paulus Diac. lib. 4. c. 52.

Bar. an. 593. num. 4. 5.

Theophyl. l. 4. cap. 10. l. 5. cap. 2.

Jesu Chr. an. 591. *se omnimodo exulto: quia etsi ad lucem venire non meruit; vestra tamen Sanctitas prædicationis suæ præmium habebit. Nam in balneum niger intrat, & niger egreditur, sed tamen Balneator nummos accipit.* Hactenus dicta hoc anno in Perside gesta sunt, *Fœdera deinde*, ait Theophilatus, *inter Romanos, & Persas pari æquitate coli cœpta. Hoc tandem modo acre illud, & Persicum bellum a Romanis non sine gloria finitum, & compositum est*; duraverat annis viginti, ut nos edocet Theophylatus, cœperat enim anno 571., & cum Hormisda hoc anno extinctum est.

FINIS.



I N-

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

 Ar-

B

D

E

Galliæ

M

Syno-

Tria

V

ERRA-

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 1.	prodiit.	prodit.
5.	esset.	cesset.
12.	Gassino.	Cassino:
47.	*dum* ad Sergii Mart. aram.	dele *dum*.
106.	volumini.	volumine.
113.	mundumque a Trinitate.	mundumq. non a Trinitate.
166.	Expugnantur.	expungantur.
185.	credendo.	credenda.
218.	adduxeruni.	abduxerunt.
260.	periti.	periit.
334.	cujus.	cuique.
379.	vostri.	vestris.
380.	neci panturpureas.	nectebant purpureas.
381.	pervigilæ.	pervigiliæ.
384.	legatus.	legatos.

